



REALE ACCADEMIA DELLE SCIENZE DI TORINO
PLANA IX 114

JACOBI BERNOULLI,

Profess. Basil. & utriusque Societ. Reg. Scientiar. Gall. & Pruss. Sodal.

MATHEMATICI CELEBERRIMI,

ARS CONJECTANDI,

OPUS POSTHUMUM.

Accedit

TRACTATUS
DE SERIEBUS INFINITIS,

Et EPISTOLA Gallicè scripta

DE LUDO PILÆ RETICULARIS.



BASILEÆ,
Impensis THURNISIORUM, Fratrum.
cIɔ Iɔcc XIII.

NICOLAUS BERNOULLI
L. S.



PRodit nunc tandem diu desideratus Patrui mei de Arte Conjectandi Tractatus posthumus curâ Thurnisiorum Fratrum, qui rem gratam publico facturi Manuscriptum Auctoris ab heredibus defuncti comparatum suis sumtibus imprimi curaverunt. Propositum fuit Auctori monstrare eximium usum quem in vita civili habet ea Matheseos pars, à paucis hactenus tractata, quæ de probabilitatibus dimetiendis agit. Qua ratione & quousque Auctor hoc suum propositum executus fuerit jam recensitum est in Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum Gallicæ Anni 1705. & in Ephemeridibus Eruditorum Parisiensibus Anni 1706. Divisit Auctor Opus istud in quatuor Partes, quarum I^ma^ continet Illustris Hugenii Diatribam de Ratiociniis in Aleæ Ludo cum Annotationibus, quam Tractatui suo tanquam prima Artis Conjectandi elementa præmittendam esse judicavit. II^da^ Pars complectitur Doctrinam de Permutationibus & Combinationibus ad dimetiendas probabilitates sumopere necessariam, cujus Usum Parte III^tia^ in variis Sortitionibus & Ludis Aleæ explicuit. IV^tam^ Partem qua usum & applicationem præcedentium ad res civiles, morales & œconomicas ostendere voluit, adversa diu usus valetudine tandemque ipsa morte præventus imperfectam reliquit. Optassent quidem Editores, ut Defuncti Frater, qui unice absolvendo huic operi maxime idoneus fuisset, defectum supplevisset; sed ipsi plurimis aliis districto negotiis operæ hujus demandatione noluerunt esse molesti. Mihi quoque, quem olim Specimina quædam hujus Artis ad Jus applicatæ in Dissertatione Inaugurali dedisse noverant, id negotii deferre in animo habebant, quod vero absens & in

peregrinatione constitutus suscipere non poteram. Reversus in Patriam denuoque rogatus operam hanc declinavi, cum juvenem me longoque rerum usu & experientia ad materiam hanc tractandam necessaria haud instructum negotio huic imparem fore sentirem, facileque judicarem, non tantum Lectori non satisfactum, sed etiam reliquis pretium ademtum iri, si vulgaria duntaxat & trita afferrem. Suasor itaque fui, ut Tractatus iste qui maxima ex parte jam impressus erat, in eodem quo eum Auctor reliquit statu cum publico communicaretur. Ne vero res utilissima, applicatio scilicet calculi probabilitatum ad œconomica & politica, plane negligatur, rogamus Nobiliss. D. Auctorem Libri Gallici *Essai d'Analyse sur les Jeux de Hazard*; Clariss. item Moyvræum, quorum uterque egregia hujus Artis Specimina non ita pridem publicavit, ut ipsi negotium hoc in se suscipere, eximiaque sua inventa cum publico suo tempore communicare dignentur. Speramus interim generalia illa, quæ Auctor quinque postremæ Partis capitibus tradit, Lectori industrio in specialium quæstionum enodatione non contemnendo usui fore. Hæc de ipso Tractatu præfanda esse censuimus. Adjunctæ sunt ab Editoribus Positiones Auctoris de Seriebus Infinitis, quinque Disputationibus olim ab ipso pertractatæ, quarum cum exemplaria multa hactenus frustra apud Bibliopolas nostros quæsita fuerint, illas simul impressas Tractatui isti subjecerunt. Accedit quoque ob cognatam materiam Epistola Auctoris Gallica cui titulus: *Lettre à un Amy, &c.* Illud etiam monendum est Typum variationum Versus Bauhusiani, *Tot tibi* &c. inter schedas Auctoris repertum à Correctore in gratiam Curiosorum insertum fuisse, adeoque postrema verba paginæ 78. omittenda esse. Reliquos errores, paucos quidem, à Correctore non observatos in calce Libri notavimus, quos ut Lector benevolus corrigat, precamur.

ARTIS

ARTIS CONJECTANDI
PARS PRIMA,

Complectens

Tractatum Hugenii de Ratiociniis in Ludo Aleæ,

Cum Annotationibus

JACOBI BERNOULLJ.

CHRIST. HUGENII
ad
FRANC. SCHOOTENIUM
Præfatio.



Um in editione elegantissimorum ingenii Tui monumentorum, quam præ manibus nunc habes, Vir Clarissime, id inter cœtera Te spectare sciam, ut varietate rerum, quarum tractationem instituisti, ostendas quàm latè se protendat divina Analytices scientia, facilè intelligo etiam illa plurimùm proposito Tuo inservire posse, quæ de Aleæ Ratiociniis

conſcripſimus; quantò enim minùs rationis terminis comprehendi poſſe videbantur, quæ fortuita ſunt atque incerta, tantò admirabilior ars cenſebitur, cui iſta quoque ſubjacent. Quare cùm in Tui gratiam primùm illa exponenda ſuſceperim, Tuque digna exiſtimes, quæ ſimul cum ſubtiliſſimis Tuis inventis in lucem exeant, adeò Tibi non refragabor, ut etiam è re meâ eſſe exiſtimem hac potiſſimùm ratione ipſa in manus hominum pervenire. Quippe cùm in re levi ac frivolâ operam collocâſſe videri alioqui poſſem, non tamen prorſùs utilitatis expers ac nullius pretii cenſebitur, quod Tu veluti inter Tua adoptaveris, nec ſine multo labore è vernaculâ linguâ noſtrâ in Latinam converteris. Quanquam, ſi quis penitiùs ea quæ tradimus examinare cæperit, non dubito quin continuò reperturus ſit, rem non, ut videtur, ludicram agi, ſed pulchræ ſubtiliſſimæque contemplationis fundamenta explicari. Et Problemata quidem quæ in hoc genere proponuntur, nihilo minùs profundæ indaginis viſum iri confido, quàm quæ Diophanti libris continentur, voluptatis autem aliquantò plus habitura, cùm non, ſicut illa, in nudâ numerorum conſideratione terminentur. Sciendum verò, quòd jam pridem inter præſtantiſſimos totâ Galliâ Geometras calculus hic agitatus fuerit, ne quis indebitam mihi primæ inventionis gloriam hâc in re tribuat. Cæterùm illi, difficillimis quibusque quæſtionibus ſe invicem exercere ſoliti, methodum ſuam quisque occultam retinuêre, adeò ut à primis elementis univerſam hanc materiam evolvere mihi neceſſe fuerit. Quamobrem ignoro etiamnum an eodem mecum principio illi utantur; at in reſolvendis Problematîs pulchrè nobis convenire ſæpenumerò expertus ſum. Horum Problematum nonnulla

nulla in fine operis addidisse me invenies, omissâ tamen analysi, cum quòd prolixam nimis operam poscebant, si perspicuè omnia exequi voluissem, tum quòd relinquendum aliquid videbatur exercitationi nostrorum, si qui erunt, Lectorum. *Vale*.



DE RATIOCINIIS in Ludo Aleæ.



Tsi lusionum, quas sola sors moderatur, incerti solent esse eventûs, attamen in his, quantò quis ad vincendum quàm perdendum propior sit, certam semper habet determinationem. Ut si quis primo jactu unâ tesserâ senarium jacere contendat, incertum quidem an vincet; at quantò verisimilius sit eum perdere quàm vincere, reipsâ definitum est, calculoque subducitur. Ita quoque, si cum aliquo certem hâc ratione, ut ternis lusibus constet victoria, atque ego jam unum lusum vicerim, incertum adhuc uter nostrûm prior tertii victor sit evasurus. Verùm quanti exspectatio mea, & contra quanti illius, æstimari debeat, certissimo ratiocinio consequi licet, atque hinc definire, si ludum uti est imperfectum linquere inter nos convenerit, quantò major portio ejus quod depositum est mihi quàm adversario meo tribuenda esset: vel etiam si quis in locum sortemque meam succedere cupiat, quo pretio me eam ipsi vendere æquum sit. Atque hinc innumeræ quæstiones exoriri possunt inter duos, tres, plurésve collusores. Cumque minimè vulgaris sit hujusmodi supputatio, & sæpè utiliter adhibeatur, breviter hîc quâ ratione aut methodo expedienda sit exponam, ac deinde etiam, quæ ad aleam sive tesseras propriè pertinent, explicabo.

Hoc autem utrobique utar fundamento: nimirum, in aleæ ludo tanti æstimandam esse cujusque sortem seu expectationem ad aliquid obtinendum, quantum si habeat, possit denuò ad similem sor-

tem sive expectationem pervenire, æquâ conditione certans. Ut, exempli gratiâ, si quis me inscio alterâ manu 3 solidos occultet, alterâ 7 solidos, mihique optionem det ex utrâ manu solidos accipere mâlim; hoc tantundem mihi valere dico, ac si 5 solidi mihi dentur. Quoniam quinque solidos habens, denuò eò pervenire possum, ut æquam expectationem nanciscar ad 3 vel 7 solidos obtinendos: idque æquo lusu contendens.

PROPOSITIO I.

SI a vel b expectem, quorum utrumvis æquè facilè mihi obtingere possit, expectatio mea dicenda est valere $\frac{a+b}{2}$.

Ad hanc regulam non solùm demonstrandam, verùm etiam primitùs eruendam posito x pro eo quod æquivalet expectationi meæ, oportet me, quùm x habeo, rursus ad similem sortem pervenire posse, æquâ conditione certantem. Ponatur itaque lusus esse talis, ut cum altero certem hâc conditione, ut quisque deponat x, ac ut victor victo traditurus sit a. Hic autem lusus justus est, & patet me hâc ratione æquam habere sortem ad obtinendum a, si lusum perdam scilicet; aut $2x-a$, si vincam: tum enim obtineo $2x$, id nempe quod depositum est, de quo alteri erogandum est a. Quòd si autem $2x-a$ tantundem valeret atque b, æqua mihi sors obtingeret ad a quàm ad b. Pono itaque $2x-a \propto b$, & fit $x \propto \frac{a+b}{2}$, pro valore meæ expectationis. Cujus demonstratio facilis est. Etenim habens $\frac{a+b}{2}$ possum cum alio certare, qui etiam $\frac{a+b}{2}$ deponere volet, hâc conditione ut vincens victo sit traditurus a. Quâ ratione similis expectatio mihi obtinget ad obtinendum a, si perdam, aut ad obtinendum b, si vincam; tum enim obtineo $a+b$, id nempe quod depositum est, alterique inde concedo a.

In numeris. Si ad 3 vel 7 æqua sors mihi obtingat, tum expectatio mea per hanc Propositionem valet 5; & certum est me 5 habentem rursus ad eandem expectationem pervenire posse. Si enim

cum

cum alio certans 5 deponam, atque ille similiter 5 deponat, hâc conditione, ut, qui vincit, alteri sit daturus 3: erit hic lusus omnino justus, & patet mihi æquam obtingere sortem ad obtinendum 3, si perdam; aut 7, si vincam: quoniam tunc obtineo 10, de quo alteri concedo 3.

Annotationes.

AUctor hujus Tractatûs in fine Procemii sui generaliter, in hâc verò & duabus sequentibus Propositionibus specialiùs totius Artis fundamentum exponit, quod cùm plurimùm intersit ut rectè intelligatur, conabor illud alio magis populari & ad cujusque captum accommodato ratiocinio demonstratum dare, hoc tantùm posito seu axiomate seu definitione: quòd *unusquisque tantundem expectet, vel expectare dicendus sit, quantum infallibiliter obtinebit.* Nimirum ad primam Propositionem: Cogitemus, quendam alterâ manu occultâsse 3 solidos seu a, alterâ 7 solidos seu b; alterique mecum permittere, ut unus quod in unâ, alter quod in alterâ manu est, accipiamus: quâ ratione fiet, ut simul ambo infallibiliter consecuturi simus, ac proinde expectare debeamus, id quod in utrâque manu reconditum est, nempe 10 solidos seu $a+b$. Sed concedendum quoque est, utrumque nostrûm æquale jus habere in hoc quod expectamus; quare consequitur, expectationem totalem in duas æquas portiones dividendam esse, & cuique tribuendum seorsim dimidium expectationis totalis, id est, 5 seu $\frac{a+b}{2}$.

Coroll. Patet hinc, si in unâ manu occultaverit aliquid seu a, in alterâ nihil, fore cujusque expectationem seorsim illius alicujus dimidium, seu $\frac{1}{2}a$.

Schol. Ex dictis colligi potest, vocabulum *Expectationis* non sumi hîc sensu vulgari, quo communiter expectare vel sperare dicimur quod omnium optimum est, licèt nobis pejus accidere possit; sed quatenùs spes nostra impetrandi optimum temperata & imminuta est metu consequendi pejus: adeò ut per valorem ejus semper significetur intermedii quidpiam inter optimum quod speramus, & pessimum quod metuimus; quod hîc & in sequentibus ubique est intelligendum.

PROPOSITIO II.

SI a, b, vel c expectem, quorum unumquodque pari facilitate mihi obtingere poſſit, expectatio mea æſtimanda eſt $\frac{a+b+c}{3}$.

Ad quod rurſus inveniendum, ponatur, ut ante, x pro valore expectationis meæ. Oportet ergò me, cùm x habeo, ad eandem expectationem pervenire poſſe juſto luſu. Ponatur luſus eſſe talis, ut cum duobus aliis ludam hâc conditione, ut quisque noſtrûm trium deponat x, & ut cum uno hoc pactum aggrediar, ſi ipſe victor evadat, mihi ſit daturus b, & ego ipſi traditurus ſim b, ſi idem mihi obtingat. Cum altero autem hanc ineam conditionem, ut ille ludum vincens mihi traditurus ſit c, aut ego ipſi ſim daturus c, ſi ego vincam. Et patet hunc ludum juſtum eſſe. Æquam autem hâc ratione ſortem habebo ad obtinendum b, ſi nimirum primus vincat, aut c, ſi ſecundus vincat, aut etiam $3x-b-c$, ſi ego vincam; tunc enim obtineo $3x$, quod depoſitum eſt, de quo uni concedo b, & alteri c. Quòd ſi $3x-b-c$ æquale fuerit ipſi a, eadem mihi obtingeret expectatio ad obtinendum a, quæ ad b, aut ad c. Pono itaque $3x-b-c \propto a$, & fit $x \propto \frac{a+b+c}{3}$, pro valore meæ expectationis. Eodem modo invenitur, ſi ad a, b, c, aut d æqua ſors mihi obtingat, id tanti valoris eſſe, quanti $\frac{a+b+c+d}{4}$. Atque ita porrò.

Annotat.

Aliter ſic demonſtrabitur: Fingamus, tres eſſe loculos, in quorum uno reconditum ſit a, in altero b, in tertio c, mihique cum duobus aliis poteſtatem fieri, ut quisque pro ſe loculum accipiat, ſervetque quod inibi repererit: ſic fiet, ut omnes tres accipiamus omnes loculos, habeamusque quicquid in iis reconditum eſt, ſcil. $a+b+c$; unde, cùm dici nequeat, unum altero potiorem ſpem vel expectationem habere, conſequens eſt uniuscujusque expectationem ſeorſim æquivalere tertiæ parti hujus aggregati, vid. $\frac{a+b+c}{3}$. Eodem modo, ſi

do, si 4 sint loculi, in quibus abscondita sint a, b, c & d, mihique unus eorum in sortem cedere debeat, censebitur mea expectatio æquare 4^{tam} partem totius aggregati, sive $\frac{a+b+c+d}{4}$. Sic si 5 sint loculi, erit mea expectatio $\frac{a+b+c+d+e}{5}$, &c.

Cor. Patet etiam, si in uno pluribusvé loculis nihil sit absconditum, quòd tum similiter expectatio mea, ejus quod in reliquo vel reliquis continetur, futura sit pars tertia, si loculi sint tres, vel quarta si 4, vel 5ta si 5, &c.

PROPOSITIO III.

SI numerus casuum, quibus mihi eveniet a, sit p; numerus autem casuum, quibus mihi eveniet b, sit q, sumendo omnes casûs æquè in proclivi esse: expectatio mea valebit $\frac{pa+qb}{p+q}$.

Ad hanc regulam eruendam, ponatur rursus x prô valore expectationis meæ: ergo oportet me, cùm x habeo, ad eandem expectationem pervenire posse, ut ante, justo lusu. Ad hoc autem tot collusores sumam, ut unà mecum numerum ipsius $p+q$ efficiant, quorum deponat quisque x, ita ut depositum sit $px+qx$, & quisque sibi ludat æquâ expectatione ad vincendum. Porrò cum tot ex hisce collusoribus, quot indicat numerus q, sigillatim hoc pactum inibo, ut eorum qui vincat mihi sit daturus b, aut ego contra ipsi idem b, si vincam. Similiter cum reliquis collusoribus, constituentibus $p-1$ sigillatim hanc conditionem aggrediar, ut eorum quisque, qui ludum vincit, mihi sit daturus a, & ego tantundem (a scilicet) ipsi, si ego vincam. Et patet hunc lusum hâc conditione justum esse, nemine videlicet injuriam patiente. Deinde patet me nunc q expectationes habere ad b, & $p-1$ expectationes ad a, & 1 expectationem (me nempe vincente) ad $px+qx-bq-ap+a$, tunc enim obtineo $px+qx$, id quod depositum est, de quo tradere debeo b unicuique q lusorum, & a unicuique $p-1$ lusorum, quæ simul conficiunt $bq+ap-a$. Si itaque $px+qx-bq-ap+a$ æquale esset ipsi a, haberem p expectationes ad a, (quandoquidem jam $p-1$ expectationes

tiones ad id habebam) & q expectationes ad b, & sic ad priorem meam expectationem rursus pervenissem. Quocircà pono $px+qx-bq-ap+a \infty a$, & fit $x \infty \frac{ap+bq}{p+q}$, pro valore expectationis meæ, omnino ut in initio positum fuit.

In numeris. Si 3 mihi expectationes forent ad 13, & 2 expectationes ad 8, haberem per hanc regulam tantundem ac 11. Et facile est ostendere, me, si 11 habeam, rursus ad eandem expectationem pervenire posse. Ludens enim contra 4 alios, & quisque nostrûm quinque deponens 11, cum duobus ex illis sigillatim pactum inibo, ut horum qui vincat mihi sit daturus 8, aut ego ipsi idem 8, si vincam. Similiter cum duobus reliquis, ut eorum quisque, qui ludum vincit, mihi sit daturus 13, aut ego ipsi tantundem, si ego vincam. Qui quidem lusus justus est. Et patet me hoc modo duas habere expectationes ad 8, nimirum si alteruter eorum, qui mihi 8 promiserunt, vincat, & 3 expectationes ad 13, nimirum si alteruter reliquorum duorum, qui mihi 13 tradere debent, vincat, aut si ipse ludum vincam: ego enim ludum vincens obtineo depositum, id est, 55, de quo unicuique duorum tradere debeo 13, & unicuique reliquorum duorum 8, ita ut & mihi relinquatur 13.

Annotat.

Aliter ita: Ponamus, tot unà mecum esse collusores, quot sunt in universum casûs, nimirum $p+q$, singulisque singulos evenire casûs; quod fit, si totidem concipiantur loculi, & in singulis reconditum intelligatur, quantum unoquoque casu acquiritur, videl. in singulis p loculorum a, & in singulis q loculorum b; singuli jam collusores accipiant singulos loculos, universi ergò accipient omnes, obtinebuntque infallibiliter quicquid in loculis reconditum est, id est, $pa+qb$. Igitur cùm omnes expectent æqualiter, distribuendum erit, quod universi accipient, per numerum collusorum seu casuum, sic ut singulorum expectatio fiat $\frac{pa+qb}{p+q}$. Atque eâdem ratione ostendetur, si mihi p casibus eveniat a, q casibus b, & r casibus c, sortem meam fore $\frac{pa+qb+rc}{p+q+r}$.

Coroll.

Coroll. 1. Conſtat hinc primò, ſi p caſibus mihi eveniat a, & q caſibus nihil, expectationem meam fore $\frac{pa}{p+q}$.

2. Conſtat deinde, ſi numeri caſuum recipiant communem diviſorem, poſſe valorem expectationis reduci ad minores terminos; ut, ſi a obtingat mihi caſibus mp, & b caſibus mq, fiet expectatio mea juxta regulam $\frac{mpa+mqb}{mp+mq}$, quæ factâ diviſione per m æquivalet huic $\frac{pa+qb}{p+q}$.

3. Si habeam p casûs ad obtinendum a, q casûs ad b, & r ad c, tantundem hoc mihi valet, ac ſi p & q caſibus in unum conflatis, haberem $p+q$ casûs ad $\frac{pa+qb}{p+q}$, & r casûs ad c; quia utroque modo per regulam invenitur ſors mea $\frac{pa+qb+rc}{p+q+r}$.

4. Si habeam p casûs ad a, q ad b, & r casûs ad permanendum in eo ſtatu, in quo ſum, ſive ad retinendam priſtinam meam ſortem, erit ſors iſta $\frac{pa+qb}{p+q}$, eadem planè quam haberem, ſi nullus r caſuum adeſſet. Nam poſito x pro valore ejus, habeo per hyp. p casûs ad a, q ad b, & r ad x, quod ſortem meam per regulam efficit $\frac{pa+qb+rx}{p+q+r}$; unde cùm hæc mea ſors vocetur x, erit $x \infty \frac{pa+qb+rx}{p+q+r}$, hoc eſt, factâ multiplicatione, $px+qx+rx \infty pa+qb+rx$, & deleto rx, $px+qx \infty pa+qb$, ſeu denique $x \infty \frac{pa+qb}{p+q}$.

5. Si habeam p casûs ad obtinendum a (quidpiam cujus ego ſemiſſem contuli), & q casûs ad obtinendum nihil, expectatio $\frac{pa}{p+q}$, quæ per Cor. 1. hujus invenitur, totum depoſitum reſpicit, & partem ſignificat quæ mihi ex illo debetur, non quantitatem ſolius lucri vel damni: de hoc enim ſolo ſi quæſtio ſit, conſidero, quòd dum obtineo depoſitum a, lucrifacio tantùm $\frac{1}{2}a$; & dum obtineo nihil depoſiti, perdo $\frac{1}{2}a$, hoc eſt, acquiro $-\frac{1}{2}a$; unde ſors mea hoc ſenſu accepta fit $\frac{p.\,a:2 + q.\,-a:2}{p+q} \infty \frac{\overline{p-q}.\,a:2}{p+q}$, & innuit lucrum, ſi p ſuperet q; damnum, ſi hæc ſuperet illam.

6. Si habeam p casûs ad acquirendum a, & q casûs ad obtinendum b, quorum quidem ego nihil contulero, attamen jactus aleæ mihi redimendus ſit pretio n, expectatio mea $\frac{pa+qb}{p+q}$ iterum non tota in lucro ponenda eſt, ſed priùs diminuenda valore n. Etenim cùm alteri do n, & ipſe mihi viciſſim reddit a vel b, perinde eſt, ac ſi ego nihil darem, acciperem verò tantùm $a-n$, vel $b-n$; id quod efficit expectationem meam ita reſtrictam $\frac{p.\overline{a-n}+q.\overline{b-n}}{p+q}$ $\infty \frac{pa+qb}{p+q}-n$, quæ rurſus vel lucrum vel damnum ſignificat, prout pars affirmata præpollet negatæ, aut hæc illi.

Schol. Perſpicuum eſt ex calculi hujus conſideratione, magnam illi intercedere affinitatem cum Regulâ Arithm. *Alligationis* dictâ, quâ res diverſi pretii in datâ quantitate miſcentur, & quæritur pretium rei mixtæ; aut potiùs calculum utrinque planè eundem eſſe. Sicut enim ſumma productorum ex quantitatibus ſingularum miſcibilium in ſua reſpectivè pretia, diviſa per aggregatum omnium miſcibilium, exhibet pretium quæſitum, quod ſemper medium eſt inter pretia extremorum: ita ſumma productorum ex numeris caſuum in id quod quovis caſu acquiritur, diviſa per numerum omnium caſuum, oſtendit valorem expectationis, qui proinde ſemper intermedius erit inter maximum & minimum quod acquiri poteſt. Unde ſi iidem numeri aſſumantur, ibi pro quantitate miſcibilium, eorumque pretiis; hîc pro caſibus, & eo quod quovis caſu obtinetur; idem quoque numerus denotabit ibi pretium rei mixtæ, & hîc expectationem. Ex. gr. ſi 3 canthari vini pretii 13 miſceantur cum 2 cantharis pretii 8; multiplicatis 3 per 13 & 2 per 8, exurgit pretium omnium cantharorum 55, quo diviſo per 5 numerum cantharorum, habetur 11 pretium unius canthari mixti: quanta quoque juxtà regulam expectatio cujuspiam æſtimanda eſt, qui 3 habuerit casûs ad 13, & 2 ad 8.

PRO-

PROPOSITIO IV.

SUmpto itaque me cum aliquo certare, hoc pacto: ut qui priùs ter vicerit, quod depositum est, lucretur, & me jam bis vicisse, alterum verò semel. Scire cupio, si lusum prosequi non velimus, sed pecuniam, de quâ certamus, prout æquum est, partiri, quantum ejus mihi obtingeret.

Ut igitur ad primò propositam quæstionem veniamus, nimirum, de faciendâ distributione inter diversos collusores, quando eorum sortes inæquales sunt, opùs est ut à facilioribus incipiamus.

Primò considerare oportet lusûs, qui utrobique deficiunt. A
Certum enim est, si inter nos convenerit, verbi gratia, ut quod depositum est lucretur is, qui priùs vigesies vicerit, & ego decies & novies vicero, at alter decies & octies, tantò meliorem fore eo casu sortem meam, quantò hîc melior est, ubi à tribus lusibus binos consequutus sum, ille verò unum duntaxat: quia nimirum utrobique mihi unus tantummodò lusus sed ipsi duo deficiunt.

Porrò ad inveniendum quanta pars utrique debeatur, advertendum est quid fieret, si in lusu pergeremus. Certum enim est, si primum ludum vincerem, me præscriptum numerum impleturum & omne depositum consecuturum, id quod vocetur a. Quòd B
si autem alter primum ludum vinceret, tunc æquata utriusque sors foret, (quippe utrique uno adhuc deficiente ludo,) adeoque cederet cuique $\frac{1}{2}a$. Manifestum autem est, me æquam habere sortem ad primum ludum vincendum aut perdendum, ita ut mihi nunc æqua sit expectatio ad obtinendum a aut $\frac{1}{2}a$: quod ipsum per 1mam Propositionem tantum est ac si utriusque sortis dimidium, id est, $\frac{3}{4}a$, haberem; & relinquitur alteri meo collusori $\frac{1}{4}a$, quæ ipsius C
portio statim ab initio eodem modo reperiri potuisset. Unde pa- D
tet, eum, qui ludum meum in se recipere vellet, mihi $\frac{3}{4}a$ pro eo tradere debere, ac proinde semper tria contra unum deponere eum E
posse, qui unum ludum vincere contendat, priusquàm alter duos vincat.

Annotat.

A *Primò considerare oportet lusûs, qui utrobique deficiunt.*] Adeoque in computandis ſortibus ſolummodò futurorum luſuum, nulla præteritorum habenda eſt ratio; cùm pro unoquoque ſequentium luſuum nulla major ſit probabilitas, ut fortuna iisdem favere pergat, quibus favit anteà, quàm iis qui omnium fuêre infortunatiſſimi: quod obſervandum contra ridiculam plurimorum opinionem, qui fortunam ut neſcio quem habitum conſiderant, qui aliquandiu in homine permaneat, eique jus quaſi tribuat ſperandi in poſterum ſimilem fortunam.

B *Id quod vocetur a.*] Per lit. *a* non ſolùm cum Auctore intelligere poſſumus depoſitam pecuniam, quæ inter colluſores pro ratione ſortium diſtribui poteſt; ſed etiam in genere omne illud, quòd licèt indiviſum eſt in ſe, concipi tamen poteſt ut diviſibile pro numero caſuum, quibus acquiri vel amitti, effici vel non effici poteſt, ut in ultimâ libri parte fuſiùs oſtendetur: putà, præmium quodcunque, laureola, victoria, ſtatus vel conditio perſonæ aut rei, munus quoddam publicum, opus quodcunque ſuſceptum, vita vel mors, &c. Ita ſi duobus maleficis ex ſpeciali gratiâ Principis æquâ ſorte de vitâ decertandum ſit, utervis eorum habere cenſebitur per I. Prop. $\frac{1}{2}$ vitæ & $\frac{1}{2}$ mortis, ſic ut ejusmodi homo etiam in proprio ſenſu ſemi-vivus vel ſemi-mortuus nuncupari poſſit.

C *Et relinquitur alteri meo colluſori $\frac{1}{4}a$.*] Hoc eſt, reſiduum totius depoſiti *a*; quia ſcil. finito certamine ambo ſimul infallibiliter habituri ſumus integrum *a*: at ſi fieri quodam caſu poſſit, ut ambo ludentes impetrent plus minúsve integro *a*, evidens eſt, quòd tunc unius expectatio alterius expectationem nequeat complere ad *a*. Ex. gr. Si duo laqueo digni ludere cogantur teſſerâ eâ lege, ut qui pauciora puncta jecerit ſuſpendatur, altero manente vivo; ſi verò eundem jaciant punctorum numerum, ut ambo vitâ donentur; reperitur pro unius expectatione, ut ſuo loco patebit, $\frac{7}{12}a$ ſeu $\frac{7}{12}$ vitæ; unde tamen non ſequitur alterius expectationem fore tantùm $\frac{5}{12}$ vitæ: cùm enim hic ſortes manifeſtè ſint æquales, expectabit & iſte $\frac{7}{12}$ vitæ, proinde uterque ſimul $\frac{7}{6}$ vitæ, hoc eſt, plus

plus integrâ vitâ; quod inde fit, quia nullus quidem casus est, quo non finitâ aleâ unus minimùm superstes maneat, possunt tamen nonnullis casibus ambo vivi superesse.

Quæ ipsius portio statim ab initio &c.] Nempe hâc ratione: Si collusor meus proximum ludum vincat, æquata erit utriusque sors, proinde cedet cuique $\frac{1}{2}a$: sin ego vincam, obtinebit ille nihil. Cùm igitur pari facilitate obtinere possit $\frac{1}{2}a$ vel nihil, expectatio ejus per Coroll. 1. Prop. III. dicenda est $\frac{1}{4}a$. D

Ac proinde semper tria contra unum &c.] Ostendendum, quòd is qui tres habet casûs ad vincendum, & unum ad perdendum, seu qui tres quartas partes depositi expectat, tria possit deponere contra unum. Hunc in finem solummodò supponi debet, eum trium collusorum vicem sustinere. Etenim si sint 4 collusores, qui æquâ sorte ludant, & quorum singuli deponant 1, expectabit unusquisque id ipsum quod deposuit, hoc est, 4^tam^ partem totius depositi, per Cor. 2. Prop. III. adeoque terni eorum quivis tres quartas partes depositi, & quartus non nisi $\frac{1}{4}$. Sed quia illi tres quoque tria deposuerunt, cùm quartus tantùm deposuerit unum, patet omnino justum esse, ut is, qui cupit in sortem trium succedere, hoc est, triplò plus expectare alio, triplò quoque plus deponat. Aliter ita: Qui tres habet casûs ad vincendum, & unicum ad perdendum, is toties ter vincere potest, quoties alter semel tantùm; proinde si lusus justus esse debet, oportet ut tribus ille vicibus tantundem lucri reportet, quantum alter unicâ vice; quod fieri nequit, nisi tria deponat contra unum. Et sic in genere ostendetur, quòd quantò quis altero potiorem ad vincendum expectationem habet, tantò etiam plus eum deponere justum sit, si æquâ sorte contendere velint. E

PROPOSITIO V.

PONAMUS unum mihi deficere ludum & collusori meo tres lusûs. Oportet hîc facere distributionem.

Advertamus itaque rursus, in quo essemus statu, si ego vel ipse primum vinceret lusum. Si ego vincerem, obtinerem depositum, id est, a; quòd si autem ille primum ludum vinceret, deficerent ipsi

 duo

duo lusûs & mihi unus, ac proinde in eodem ſtatu eſſemus, qui in præcedenti Propoſitione poſitus fuit, mihique obtingeret $\frac{3}{4}a$, ut ibi oſtenſum eſt. Itaque pari facilitate vel a mihi obtinget vel $\frac{3}{4}a$, id quod tantum eſt, per 1mam Propoſitionem, ac $\frac{7}{8}a$. Et relinquitur $\frac{1}{8}a$ colluſori meo; ita ut mea ſors ad ſortem illius ſe habeat, ſicut 7 ad 1.

Quemadmodùm autem ad hunc calculum requiſitus eſt præcedens, ita rurſus hicce inſervit ſequenti: nimirum, ſi ponamus mihi unum ludum deficere & colluſori meo 4or lusûs. Et invenitur eodem modo, mihi deberi $\frac{15}{16}$ iſtius quod depoſitum eſt, & ipſi $\frac{1}{16}$.

Annotat.

Ex progreſſione harum fractionum, $\frac{3}{4}a$, $\frac{7}{8}a$, $\frac{15}{16}a$, quæ per præced. & hanc Propoſitionem inventæ ſunt, porrò infertur, ſi colluſori meo deficiant ludi 5, fore ſortem meam $\frac{31}{32}a$: ſi ſex, $\frac{63}{64}a$: ſi ſeptem, $\frac{127}{128}a$; & in genere, ſi mihi deficiat unus luſus & colluſori meo ludi quotcunque, meam ſortem fore ad ſortem illius in eâ ratione, quam habet, demtâ unitate, productum binarii toties poſiti & multiplicati in ſe, quoties indicat numerus luſuum alteri deficientium, ad unitatem.

PROPOSITIO VI.

POnamus mihi deficere duos luſûs & colluſori meo tres luſùs.

Fiet itaque primo luſu; vel ut mihi unus luſus deficiat & ipſi tres (unde mihi per præcedentem Propoſitionem obtinget $\frac{7}{8}a$); vel ut cuique noſtrûm adhuc duo lusûs deficiant, unde mihi debebitur $\frac{1}{2}a$, quandoquidem ſic utrique æqua ſors futura eſt. Eſt mihi autem æqualis facilitas ad primum ludum vincendum aut perdendum; ita ut mihi æqua ſit expectatio ad obtinendum $\frac{7}{8}a$ aut $\frac{1}{2}a$, id quod mihi valet $\frac{11}{16}a$, per 1mam Propoſitionem. Et debentur mihi 11 partes ejus quod depoſitum eſt, & colluſori meo 5 partes.

PRO-

PROPOSITIO VII.

Ponamus mihi deficere duos lusûs & collusori meo quatuor.

Fiet itaque, ut, si primum ludum vincam, unum ludum vincere debeam & alter quatuor; vel, si eundem perdam, duos & alter tres. Ita ut æqua mihi sors obtingat ad $\frac{15}{16}a$ aut $\frac{11}{16}a$, id quod tantum valet ac $\frac{13}{16}a$, per 1mam Propositionem. Unde patet, eum meliorem habere sortem, qui duos lusûs vincere debet dum alter quatuor, quàm eum, qui unum dum alter duos. In hoc enim posteriori casu, nimirum ipsius 1 ad 2, portio mea, per 4tam Propositionem, est $\frac{3}{4}a$, quæ minor est quàm $\frac{13}{16}a$.

Annotat.

Unde patet eum meliorem &c.] Sic adhuc meliorem sortem habet, qui tres lusûs vincere debet, dum alter sex; reperitur enim ejus portio $\frac{219}{256}a$, major quàm $\frac{13}{16}a$. Ita etiam, qui unum ludum vincere suscipit dum alius quatuor, non parem subit fortunam cum illo, qui duos vincere debet dum alter octo; sed cum illo, qui duos vincere tenetur dum alter sex: quanquam nemo fortassis est, qui sibi non persuaderet, eandem inter sortes rationem obtinere debere, ubi numeri lusuum utrobique deficientium eandem quoque inter se rationem servant; nisi nos calculus aliud docuisset. Quo ipso proin monemur, ut cauti simus in judicando, nec ratiocinia nostra super quâcunque statim analogiâ in rebus deprehensâ fundare suescamus; quod ipsum tamen etiam ab iis, qui vel maximè sapere videntur, nimis frequenter fieri solet.

Cœterùm lubet hîc Tabulam adjicere pro duobus collusoribus, qualem infra in Propos. IX. pro tribus subjungit Auctor:

Tabu-

Tabula pro 2 colluſoribus.

Luſûs deficientes Colluſoris A	Colluſoris B	1	2	3	4	5	6	7
1		1 : 2	3 : 4	7 : 8	15 : 16	31 : 32	63 : 64	127 : 128
2	Sortes	1 : 4	4 : 8	11 : 16	26 : 32	57 : 64	120 : 128	247 : 256
3	Collu-	1 : 8	5 : 16	16 : 32	42 : 64	99 : 128	219 : 256	466 : 512
4	ſoris	1 : 16	6 : 32	22 : 64	64 : 128	163 : 256	382 : 512	848 : 1024
5	A.	1 : 32	7 : 64	29 : 128	93 : 256	256 : 512	638 : 1024	1486 : 2048
6		1 : 64	8 : 128	37 : 256	130 : 512	386 : 1024	1024 : 2048	2510 : 4096
7		1 : 128	9 : 256	46 : 512	176 : 1024	562 : 2048	1586 : 4096	4096 : 8192
8		1 : 256	10 : 512	56 : 1024	232 : 2048	794 : 4096	2380 : 8192	6476 : 16384
9		1 : 512	11 : 1024	67 : 2048	299 : 4096	1093 : 8192	3473 : 16384	9949 : 32768

Tabella hæcce leviſſimo negotio quouſque opus fuerit continuabitur, in ſupremâ quidem ſerie transverſali per ea quæ ad Propoſ. 5 annotata ſunt; in primâ ſerie perpendiculari per continuam biſectionem dimidii; in locis intermediis per dimidiationem ſummæ duarum areolarum immediatè præcedentium in eâdem ſerie perpendiculari & transverſali; cujus conſtructionis ratio ex dictis plus ſatis perſpicua eſt. Quomodo autem expectationes duorum ludentium absque continuatione Tabellæ indefinitè ad quotvis deficientes luſûs exhiberi poſſint, infra in Appendice Cap. 4. Part. II. oſtendetur.

PRO-

PROPOSITIO VIII.

NUnc verò ponamus tres eſſe colluſores, quorum primo ut & ſecundo unus luſus deficiat, ſed tertio duo lusûs.

Ut igitur inveniatur primi pars, rurſus advertendum eſt, quid ipſi deberetur, ſi vel ipſe vel alter reliquorum duorum primum luſum vinceret. Si ipſe vinceret, haberet depoſitum, id quod ſit a. Quòd ſi ſecundus vinceret, primus nihil haberet, quoniam ſecundus ſic luſui finem impoſuiſſet. At ſi tertius vinceret, tunc cuique trium adhuc unus deficeret luſus, ideoque tam primo quàm utrique reliquorum deberetur $\frac{1}{3}a$. Et fit primo una expectatio ad a, una ad o, & una ad $\frac{1}{3}a$, (quandoquidem æquè facilè contingere poteſt cuique trium ut primum ludum vincat,) quod ipſi tantundem valet ac $\frac{4}{9}a$, per 2^{dam} Propoſitionem. Et fit ſimiliter ſecundo $\frac{4}{9}a$, & remanet tertio $\frac{1}{9}a$. Cujus pars ſeparatim etiam inveniri potuerat, atque inde reliquorum partes determinari. G

Annotat.

Cujus pars ſeparatim etiam inveniri potuerat.] Nempe hoc pacto: Si ipſe ſequentem ludum vinceret, expectatio ejus foret $\frac{1}{3}a$; ſed ſi vel primus vel ſecundus proximi ludi victor evaderet, tertius nihil haberet: quare unum caſum habet ad $\frac{1}{3}a$, & duos ad o; id quod ipſi per Coroll. 1. Prop. III. valet $\frac{1}{9}a$. G

PROPOSITIO IX.

UT tot colluſorum, quot quis voluerit, ex quibus uni plures & alii pauciores lusûs deficiunt, cujusque pars inveniatur, conſiderandum eſt, quid illi, cujus partem invenire volumus, deberetur, ſi vel ipſe, vel quilibet reliquorum primum ſequentem ludum vinceret. Hæ autem partes ſi in unam ſummam colligantur, & aggregatum per numerum colluſorum dividatur, quotiens oſtendet unius quæſitam partem.

Ponamus tres esse collusores A, B, & C, & ipsi A unum ludum deficere, ipsi B duos lusûs, & ipsi C similiter duos lusûs. Invenire oportet, quid ipsi B, ejus quod depositum est, debeatur. Id quod vocetur q.

Primò examinandum est, quid ipsi B deberetur, si vel ipse, vel A, vel C primum sequentem ludum vinceret.

Si A vinceret, ludo finem imposuisset, ac per consequens ipsi B deberetur o. Si ipse B vinceret, deficeret illi adhuc unus lusus, & ipsi A unus lusus, at ipsi C duo lusûs. Quocirca ipsi B hoc in casu deberetur $\frac{4}{9}q$, per 8vam Propositionem.

Denique si C primum sequentem ludum vinceret, tunc ipsis A & C singulis unus deficeret lusus, sed ipsi B duo lusûs, ac per consequens ipsi B deberetur $\frac{1}{9}q$, per eandem Propositionem 8vam. Nunc autem in unam summam colligendum est, id quod in tribus hisce casibus ipsi B deberetur: nimirum, $0, \frac{4}{9}q, \frac{1}{9}q$: quorum summa est $\frac{5}{9}q$. Quod ipsum divisum per 3, numerum collusorum, dat $\frac{5}{27}q$. Quæ ipsius B quæsita pars est. Demonstratio autem hujus patet ex 2dâ Propositione. Quoniam enim B æquam habet sortem ad obtinendum $0, \frac{4}{9}q$, vel $\frac{1}{9}q$, habet per 2dam Propositionem tantundem ac $0 + \frac{4}{9}q + \frac{1}{9}q : 3$, id est, $\frac{5}{27}q$. Et certum est, hunc divisorem 3 esse numerum collusorum.

Ut autem inveniatur, quid cuipiam debeatur in quolibet casu, videlicet si vel ipse vel aliquis reliquorum primum sequentem ludum vincat: oportet simpliciores casûs primò investigare, & horum medio sequentes. Nam sicut hic ultimus casus solvi non potuit, priusquàm ille octavæ Propositionis calculo subductus esset, in quo deficientes lusûs erant 1, 1, 2, ita etiam cujusque pars supputari nequit in tali casu, ubi deficientes lusûs sunt 1, 2, 3, quin primùm calculo subductus sit casus deficientium lusuum 1, 2, 2, quemadmodùm jam fecimus, & prætereà ille, in quo lusus deficientes sunt 1, 1, 3; qui similiter per 8vam Propositionem supputari potuisset. Atque hoc quidem pacto consequenter supputare licet casûs omnes, qui in sequenti tabulâ comprehenduntur, & infinitos alios.

Tabu-

Tabula pro 3 colluſoribus.

Luſus qui ipſis deficiunt	1. 1. 2	1. 2. 2	1. 1. 3	1. 2. 3
Eorum partes	4. 4. 1	17. 5. 5	13. 13. 1	19. 6. 2
	9	27	27	27

Luſus qui ipſis deficiunt	1. 1. 4	1. 1. 5	1. 2. 4	1. 2. 5
Eorum partes	40. 40. 1	121.121. 1	178. 58. 7	542. 179. 8
	81	243	243	729

Luſus qui ipſis deficiunt	1. 3. 3	1. 3. 4	1. 3. 5
Eorum partes	65. 8. 8	616. 82. 31	629. 87. 13
	81	729	729

Luſus qui ipſis deficiunt	2. 2. 3	2. 2. 4	2. 2. 5	2. 3. 3	2. 3. 4	2. 3. 5
Eorum partes	34. 34. 13	338.338.53	353.353.23	133. 55. 55	451.195.83	1433.635.119
	81	729	729	243	729	2187

DE

DE TESSERIS.

QUod ad Tesseras attinet, de iis hæ quæstiones proponi possunt: videlicet, quotâ vice unâ tesserâ senarium jacere periclitandum sit, aut aliquod reliquorum punctorum. Item quotâ vice duos senarios duabus tesseris, aut tres senarios tribus tesseris jacere sit tentandum. Et plures aliæ hujusmodi quæstiones.

Ad quas solvendas advertendum est. Primò unius tesseræ sex esse jactûs diversos, quorum quivis æquè facilè eveniat. Sumo enim tesseram habere figuram cubi perfectam. Porrò duarum tesserarum 36 esse diversos jactûs, quorum similiter quivis æquè facilè obtingere potest. Nam ratione cujusque jactûs unius tesseræ potest unus sex jactuum alterius tesseræ simul contingere. Et sexies 6 efficiunt 36 jactûs. Item trium tesserarum esse 216 jactûs diversos. Nam ratione cujusque 36 jactuum duarum tesserarum potest unus sex jactuum, qui in $3^{tiâ}$ sunt, evenire. Et sexies 36 efficiunt 216 jactûs. Eodem modo patet, quatuor tesserarum jactûs esse sexies 216, id est, 1296; atque sic ulteriùs jactûs quotlibet tesserarum supputari posse, sumendo semper pro accessione unius tesseræ sexies jactûs præcedentis.

Porrò notandum, duarum tesserarum unum duntaxat esse jactum, qui 2 aut 12 puncta efficiat, duos verò jactûs, qui 3 aut 11 puncta efficiant. Si enim tesseras vocemus A & B, patet, ad 3 puncta jacienda in A unum & in B duo, vel in B unum & in A duo puncta reperiri posse. Similiter ad 11 puncta jacienda in A quinque & in B sex, vel in A sex & in B quinque puncta patére posse. Quatuor punctorum tres sunt jactûs, videlicet, ipsius A 1 & B 3 puncta, vel ipsius A 3 & B 1 punctum; vel ipsius A 2 & B 2 puncta.

Decem punctorum similiter tres sunt jactûs.
Quinque vel novem punctorum 4^{or} sunt jactûs.
Sex vel octo punctorum 5^{que} sunt jactûs.
Septem punctorum 6 sunt jactûs.

In

In tribus tesseris reperiuntur	3 vel 18	punctorum	1	jactûs.
	4 vel 17		3	
	5 vel 16		6	
	6 vel 15		10	
	7 vel 14		15	
	8 vel 13		21	
	9 vel 12		25	
	10 vel 11		27	

Annotat.

Quod hîc Auctor præstitit in duobus & tribus tesseris, præstari quoque potest in quatuor quinque pluribúsve, in quibus numeri jactuum quotvis punctorum haud aliter invenientur. At quia facilè fieri potest, præsertim ubi tesseræ multæ fuerint, ut quamplurimi jactûs prætereantur, nisi aliquem in iis inquirendis ordinem observes, ostendam quâ quis methodo uti debeat, ut certus esse possit, se omnes adinvenisse nullo prætermisso. Primò inquirendum, quot modis diversis componi possit propositus punctorum numerus, ex tot partibus quot sunt tesseræ, quarumque partium nulla senarium superet: deinde explorandum, quot jactûs cuilibet horum modorum respondeant; quæ quidem omnia meliùs exemplis quàm regulis addisci possunt: Esto itaque indagandum, quot jactûs reperiantur 12 punctorum in 4 tesseris.

Hunc in finem incipio à 4 unitatibus, scribendo 1.1.1.1, deinde primam unitatem adaugeo continuâ additione unitatum, quousque senarium efficiant & habeatur 6.1.1.1; sed quia summa horum numerorum nondum exæquat numerum propositum 12, attollo etiam secundam partem ad binarium, ad ternarium, scribendo 2.2.1.1, deinde 3.3.1.1, singulisque vicibus primum numerum ad senarium elevo, ut habeantur 6.2.1.1, & 6.3.1.1, quorum summæ adhuc à proposito numero deficiunt: quare pergo scribere 4.4.1.1, primoque quaternario ad senarium elevato habebo tandem 6.4.1.1, quorum summa æqualis 12; quare seorsim illos adnoto: posteà scribo 5.5.1.1, quos quia pariter 12 efficiunt, iterum reservo. Jam quia 6.5.1.1, uti & 6.6.1.1, excedunt 12,

 illis

illis neglectis tertiam quoque unitatem, quæ hactenùs intacta mansit, ad binarium elevo, ſcribendo 2.2.2.1, ſed quia primo binario ad ſenarium promoto numeri 6.2.2.1, deficiunt adhuc à 12, transeo ad 3.3.2.1, quorum primus pro more adauctus exhibet numeros 6.3.2.1, ſeorſim ponendos, quia complent 12: Deinde ſolummodò ſecundam partem augeo, primam verò minuo unitate, & habebo alios quatuor 5.4.2.1 ſeorſim adnotandos. Jam non pergo attollere ſecundam partem ad 5 vel 6arium, quia ad complendum 12 deprimenda eſſet prima ad 4 vel 3arium, & ſic præcedentes quidam modi redirent; nam ad hoc cavendum ſemper opus eſt, ut nulla partium priorum minor conſtituatur ullâ ſequentium: quocirca ſtatim propero ad 3.3.3.1, ubi mutato primo ternario in quinarium obtineo numeros 5.3.3.1 conſtituentes ſummam propoſitam. Mox verò ſecundâ parte ſublatâ & primâ depreſſâ ad quaternarium, habebo alios quatuor numeros quæſito ſatisfacientes 4.4.3.1. Porrò quia manifeſtum eſt, neutram duarum priorum partium, imò nec ipſam tertiam partem unitate poſſe augeri, quin vel ſumma omnium quatuor excedat 12, vel aliqua præcedentium partium minor fiat aliquâ ſubſequentium, & ſic priſtini quidam modi redeant; idcircò poſtremam etiam unitatem, quam hactenùs intactam reliqui, ad binarium promoveo ſcribendo 2.2.2.2, primoque binario ad 6arium ſublato, 6.2.2.2, qui modus quæſito ſatisfacit. Hinc ſecundam partem augeo, primam minuo, tum unitate, tum binario, & habebo duos alios modos requiſitos 5.3.2.2, & 4.4.2.2. Ubi quia denuò apparet, neutram priorum partium poſſe augeri, quin vel altera minuatur, & ſic priſtini reſultent modi; vel ſumma omnium ſuperet 12; progredior ad 3.3.3.2, ſive aucto unitate primo ternario ad 4.3.3.2, qui novum modum ſuppeditant, quo componi poteſt numerus propoſitus. Tandem quoniam ob eandem rationem nullam trium priorum partium ampliùs augere licet, poſtrema ad ternarium elevanda ſcribendumque 3.3.3.3, quorum ſumma & ipſa æquat 12; quo facto non fas eſt ulteriùs progredi, quandoquidem poſtremus terminus augeri nequit, quin aliquis priorum diminuatur, & ſic redire faciat unum præcedentium modorum. Quapropter conſtat, nullos dari alios modos, quibus componi poſſit numerus 12 ex quatuor aliis, quorum ſinguli

guli ſenarium non ſuperant; præter undecim hactenùs enumeratos, quos eo ordine quo ſeſe offerebant, adjuncto laterculo inſertos conſpicis.

Modi	*Jactûs.*
6. 4. 1. 1	12
5. 5. 1. 1	6
6. 3. 2. 1	24
5. 4. 2. 1	24
5. 3. 3. 1	12
4. 4. 3. 1	12
6. 2. 2. 2	4
5. 3. 2. 2	12
4. 4. 2. 2	6
4. 3. 3. 2	12
3. 3. 3. 3	1
Summa Jactuum	125

Haud abſimili autem ratione recenſere poterimus omnes modos poſſibiles, quibus evenire poteſt quilibet alius punctorum numerus in tot teſſeris quot quis voluerit, dummodò advertamus, primæ teſſeræ puncta continuâ adjectione unitatis elevanda eſſe ad ſenarium, priusquàm puncta ſecundæ augeantur ſolâ unitate, & puncta pariter ſecundæ attollenda ad ſenarium, priusquàm puncta tertiæ augeantur unitate, & puncta tertiæ, priusquàm puncta 4tæ, & 4tæ priusquàm 5tæ, & ita deinceps.

Hoc peracto, aliud ſupereſt negotium in eo conſiſtens, ut exploretur numerus jactuum ſingulorum modorum; nam ſingulis horum modorum plures iterum reſpondere poſſunt jactûs, prout hic vel ille numerus in hâc illâvé teſſerâ conſpici poteſt. Ita ſi quatuor teſſeræ vocentur A, B, C, & D, patet ad primum modum efficiendum 6.4.1.1, poſſe vel in A 6, & in B vel C vel D 4; vel in B 6, & in A vel C vel D 4, &c. puncta reperiri: unde tot reſultabunt jactûs, quoties iſti 4 numeri diverſo ordine locari poſſunt; quod de reliquis modis pariter intelligendum. Poſſunt verò numeri 6.4.1.1, quorum duo ſunt diverſi, duo iidem, locum inter ſe permutare duodecies: ſequentes 5.5.1.1, quorum duo priores, ut & poſteriores duo ſunt iidem, non niſi ſexies: ſequentes verò 6.3.2.1, qui omnes inter ſe differunt, vicies quater; uti conſtabit ex Doctrinâ de Permutationibus & Combinationibus, quam parte ſecundâ pertractandam ſuſcepi. Hi jactûs unà cum jactibus reliquorum modorum in unam ſummam collecti efficiunt 125, numerum indigitantem omnes quotquot dari poſſunt jactûs 12 punctorum in 4 teſſeris. Quod ipſum indagandum erat.

Verùm enimverò quoniam hæc methodus ſupputandi numerum jactuum in pluribus teſſeris, ſupra modum tædioſa & prolixa eſt,

eſt, oſtendam porrò, quâ arte idem conſequi poſſimus non tantùm pro certo punctorum numero, ſed pro omnibus omninò punctis, beneficio appoſitæ Tabulæ, quæ & expeditè admodùm conſtrui poteſt, & naturam progreſſionemque, quam numeri jactuum inter ſe ſervant, apertiùs ob oculos ponit. Conſtructio talis eſt: Scribantur ordine numeri omnium punctorum quotquot teſſeræ recipere poſſunt à minimo ad maximum, putà, 4.5.6.7 &c. uſque ad 24 pro teſſeris quatuor; aut 5.6.7.8 &c. uſque ad 30 pro teſſeris quinque, &c. & ſub eorum ſex primis collocentur ſex unitates, quibus ſubjungantur ſex aliæ unitates, & his iterum ſex aliæ, idque fiat ſexies, promovendo ſingulis vicibus earum primam uno gradu versùs dextram: quo facto addendæ quæ in eâdem ſerie perpendiculari ſibi invicem reſpondent, ut fiant numeri 1.2.3.4 &c. Horum deinde numerorum ſex quoque conſtituendi ſunt ordines, ita ut ſequentium quilibet præcedenti uno puncto anterior fiat; & tum addendi, ut prodeant numeri 1.3.6.10 &c. Hi iterum ſexies gradatim ponendi & addendi; idque tamdiu continuandum eſt, donec tot ex ultimâ additione reſultantes habeantur numeri, quot reperiuntur diverſa puncta in propoſito teſſerarum numero; ſignificabuntque numeri ſinguli punctorum ſibi reſpondentium jactûs. Ita 4 teſſerarum jactus unus eſt, qui 4 aut 24 puncta producit, quatuor jactûs, qui 5 aut 23, decem qui 6 aut 22, viginti qui 7 aut 21 puncta efficiunt &c. Rationem hujus conſtructionis attendenti percipere haud difficile eſt: Cùm enim ſingulæ accedentes teſſeræ jactûs præcedentium ſextuplicent, manifeſtum eſt, cur numeri jactuum præcedentium teſſerarum ſexies repetendi & addendi ſint; & quia numeri punctorum, qui ſingulis iſtis jactibus reſpondent, augentur unitate, vel binario, vel ternario &c. prout in accedente teſſerâ vel unum, vel duo, vel tria &c. inveniuntur puncta, patet etiam, cur ſeries iſta jactuum ſingulis vicibus uno gradu dextrorſum promovenda ſit, nimirum ut hâc ratione cuilibet jactuum numero reſpondeat numerus punctorum unitate major, quàm eidem reſpondebat in ſerie præcedente.

Nota, non omnes punctorum numeros pro 5 & ſex teſſeris ob ſpatii defectum apponi potuiſſe; ſed facilè ſupplentur, qui deſunt, ex parallelis: nam bini punctorum numeri ab extremis æqualiter

remoti

Puncta:

Tesseræ:																						
I	1.	2.	3.	4.	5.	6.																
II	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.											
III	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.						
IV	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.	20.	21.	22.	23.	24.	
V	5.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.	20.	21.	22.	23.	24.	25.	&c.
VI	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.	20.	21.	22.	23.	24.	25.	26.	&c.
Num. jactuum pro Tesseris, I.	1.	1.	1.	1.	1.	1.																
		1.	1.	1.	1.	1.	1.															
			1.	1.	1.	1.	1.	1.														
				1.	1.	1.	1.	1.	1.													
					1.	1.	1.	1.	1.	1.												
						1.	1.	1.	1.	1.	1.											
II.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	5.	4.	3.	2.	1.											
		1.	2.	3.	4.	5.	6.	5.	4.	3.	2.	1.										
			1.	2.	3.	4.	5.	6.	5.	4.	3.	2.	1.									
				1.	2.	3.	4.	5.	6.	5.	4.	3.	2.	1.								
					1.	2.	3.	4.	5.	6.	5.	4.	3.	2.	1.							
						1.	2.	3.	4.	5.	6.	5.	4.	3.	2.	1.						
III.	1.	3.	6.	10.	15.	21.	25.	27.	27.	25.	21.	15.	10.	6.	3.	1.						
		1.	3.	6.	10.	15.	21.	25.	27.	27.	25.	21.	15.	10.	6.	3.	1.					
			1.	3.	6.	10.	15.	21.	25.	27.	27.	25.	21.	15.	10.	6.	3.	1.				
				1.	3.	6.	10.	15.	21.	25.	27.	27.	25.	21.	15.	10.	6.	3.	1.			
					1.	3.	6.	10.	15.	21.	25.	27.	27.	25.	21.	15.	10.	6.	3.	1.		
						1.	3.	6.	10.	15.	21.	25.	27.	27.	25.	21.	15.	10.	6.	3.	1.	
IV.	1.	4.	10.	20.	35.	56.	80.	104.	125.	140.	146.	140.	125.	104.	80.	56.	35.	20.	10.	4.	1.	
		1.	4.	10.	20.	35.	56.	80.	104.	125.	140.	146.	140.	125.	104.	80.	56.	35.	20.	10.	4.	
			1.	4.	10.	20.	35.	56.	80.	104.	125.	140.	146.	140.	125.	104.	80.	56.	35.	20.	10.	
				1.	4.	10.	20.	35.	56.	80.	104.	125.	140.	146.	140.	125.	104.	80.	56.	35.	20.	
					1.	4.	10.	20.	35.	56.	80.	104.	125.	140.	146.	140.	125.	104.	80.	56.	35.	
						1.	4.	10.	20.	35.	56.	80.	104.	125.	140.	146.	140.	125.	104.	80.	56.	
V.	1.	5.	15.	35.	70.	126.	205.	305.	420.	540.	651.	735.	780.	780.	735.	651.	540.	420.	305.	205.	126.	&c.
		1.	5.	15.	35.	70.	126.	205.	305.	420.	540.	651.	735.	780.	780.	735.	651.	540.	420.	305.	205.	
			1.	5.	15.	35.	70.	126.	205.	305.	420.	540.	651.	735.	780.	780.	735.	651.	540.	420.	305.	
				1.	5.	15.	35.	70.	126.	205.	305.	420.	540.	651.	735.	780.	780.	735.	651.	540.	420.	
					1.	5.	15.	35.	70.	126.	205.	305.	420.	540.	651.	735.	780.	780.	735.	651.	540.	
						1.	5.	15.	35.	70.	126.	205.	305.	420.	540.	651.	735.	780.	780.	735.	651.	
VI.	1.	6.	21.	56.	126.	252.	456.	756.	1161.	1666.	2247.	2856.	3431.	3906.	4221.	4332.	4221.	3906.	3431.	2856.	2247.	&c.

remoti (quos parallelos voco) æquali ſemper jactuum numero gaudent.

Non inopportunum erit hîc loci indigitare, cùm id ſcire nonnunquam interſit, quot jactibus effici poſſint in tribus teſſeris puncta triplicata vel duplicata, (Galli vocant *rafles* & *doûblets*) hoc eſt, quoties contingere queat, ut vel in omnibus tribus, vel ſaltem in duabus teſſeris, reperiatur æqualis punctorum numerus: Liquet verò, unum tantùm eſſe jactum, quo produci poſſunt tres ſenarii, item unum quo tres quinarii, unum quo tres quaternarii &c. adeoque non niſi 6 punctorum triplicatorum jactûs exiſtere poſſe. Sed contra 15 ſunt jactûs, quibus duo ex. gr. ſenarii contingere poſſunt: etenim ſi teſſeræ vocentur A, B, & C, fieri poteſt, ut duo illi ſenarii reperiantur vel in teſſeris A & B, vel in A & C, vel in B & C, quod tres caſûs efficit: ac deinde ratione cujusque horum caſuum jactus tertiæ teſſeræ, in quâ diverſus punctorum numerus conſpici debet, variari poteſt quinquies; unde quinquies tres ſeu 15 exiſtunt duorum ſenariorum jactûs; quod cùm idem de duobus quinariis, quaternariis & reliquis intelligendum, ſequitur punctorum duplicatorum eſſe ſexies quindecim ſeu 90 jactûs: Proinde cùm trium teſſerarum jactûs in univerſum exiſtant 216, erunt reliqui 120 jactûs ſimplices, quorum numerus etiam initio inveſtigari potuiſſet.

PROPOSITIO X.

INvenire, quot vicibus ſuſcipere quis poſſit, ut unâ teſſerâ 6 puncta jaciat.

Si quis primâ vice ſenarium jacere contendat, apparet unum eſſe caſum, quo vincat, habeatque id, quod pignoris loco depoſitum eſt; quinque verò eſſe caſûs, quibus perdat, & nihil habeat. Sunt enim 5 jactûs contra ipſum, & tantùm unus pro ipſo. Quod autem depoſitum eſt vocetur a. Eſt itaque ipſi unica expectatio ad obtinendum a, ſed quinque ad obtinendum o; id quod per 2dam Propoſitionem tantundem valet ac $\frac{1}{6}a$. Et manet pro eo qui ipſi hunc caſum offert $\frac{5}{6}a$. Ita ut tantummodo 1 contra 5 deponere poſſit, qui primâ vice ſuſcipere velit.

Qui duabus vicibus ſemel ſenarium jacere certet, ſors ejus hoc pacto computatur. Si primâ vice 6 jaciat, obtinet a. Si diverſum eveniat, unus ipſi reſtat jactus, qui ex præcedenti tantum valet, quantum $\frac{1}{6}a$. Atqui ut primâ vice 6 jaciat, unus tantùm caſus eſt, & quinque casûs, quibus diverſum eveniat. Itaque ab initio unus caſus eſt, qui det ipſi a; & quinque qui dent $\frac{1}{6}a$, id quod per 2^{dam} Propoſitionem valet $\frac{11}{36}a$. Unde contracertanti luſori cedit reliquum $\frac{25}{36}a$; adeò ut ſors utriusque ſive æſtimatio expectationis eam ſervet rationem, quam 11 ad 25; id eſt, minus quàm 1 ad 2.

Hinc eodem modo calculo ſubducitur, quòd ſors ejus, qui tribus vicibus ſemel ſenarium jacere ſuſcipit, ſit futura $\frac{91}{216}a$; ita ut 91 contra 125 deponere poſſit; id eſt, paulò minus quàm 3 ad 4.

H Qui quatuor vicibus idem ſuſcipit, ſors ejus eſt $\frac{671}{1296}a$; ita ut 671 contra 625 deponere poſſit; id eſt, plus quàm 1 ad 1.

Qui quinque vicibus idem ſuſcipit, ſors ejus eſt $\frac{4651}{7776}a$, & poteſt 4651 contra 3125 deponere; id eſt, paulò minus quàm 3 ad 2.

Qui ſex vicibus idem ſuſcipit, ſors ejus eſt $\frac{31031}{46656}a$, & poteſt 31031 contra 15625 deponere; id eſt, paulò minus quàm 2 ad 1.

Atque ita conſequenter quilibet jactuum numerus inveniri poteſt. Sed licet majori compendio progredi, ut in ſequenti Propoſitione oſtendetur; ſine quo calculus aliàs multò prolixior foret.

Annotat.

H *Qui quatuor vicibus idem ſuſcipit, &c.*] Subiit aliquando cogitatio, poſſe fortè quempiam calculum Auctoris tali diſcurſu ſuſpectum reddere: Si quis quatuor jactibus ſenarium jacere contendens, æquam circiter ad vincendum ac perdendum expectationem habeat, hoc eſt, æquè facilè vincat ac perdat, fiet ut aliquandiu ludens toties vincat quoties perdit, ſi & pari fortunâ utatur; adeoque ut è quaternis jactibus toties unus ſenarius exiſtat, quoties è quaternis aliis nullus: quare in octonis jactibus unus reperietur ſenarius, ac proinde in ſexcentis verb. gr. jactibus ſenarii 75. Sunto jam ſex alii, qui eâ conditione ludant, ut primus vincat, ſi unum punctum jaciatur, ſecundus ſi duo, tertius ſi tria &c. quo utique pacto

pacto æquâ forte certabunt; fed ludant etiam pari fortunâ, fic fiet neceffariò, ut in fexcentis jactibus centum eveniant fenarii: idcircò cùm æquâ forte & pari fortunâ luditur, in fexcentis jactibus fenarii prodibunt centum & pauciores quàm centum, quod abfurdum. Huic fallaciæ ut fatisfiat, pono quidem, quòd ubi æquâ fortunâ luditur, ibi in jactibus 600 evenire debent fenarii centum; fed nego, quòd fi quis quaternis jactibus femel fenarium jacere certaverit, propterea quatuor jactibus ad vincendum opus habeat; poteft enim vel primus, vel fecundus, vel tertius jactus fenarius exiftere, quo cafu reliqui jactûs fequenti quaternario annumerantur; fic ut pauciores quàm octo ad femel vincendum ac perdendum fufficere poffint. Id verò quo pacto huc quadret, fic oftendo: Fingo, in omnibus jactuum quaternariis, qui me ludi victorem reddunt, primum quemque jactum fenarium exiftere; fic centies vincendo non nifi centum jactûs infumuntur, reliqui 500 per 4 divifi indigitant me 125ies perditurum. Si verò illorum quaternorum jactuum poftremus quisque fenarius foret, vincendo centies 400 jactûs abfumerentur, refiduis tantùm ducentis, qui oftenderent me quinquagies perditurum. Quocircà cùm nonnullis cafibus fæpiùs perderem quàm vincerem, aliis pluries vincerem quàm perderem, colligo fieri benè poffe, ut hâc conditione æquâ forte certetur. Contra verò, fi quis tribus vicibus femel fenarium jacere fufcipiat, is quidem aliquot cafibus toties vinceret quoties perderet, nempe fi tertius quivis jactus fenarius exifteret; aliis multò pluries perderet quàm vinceret, fi nim. primus quisque fenarius foret; fed nullo cafu fæpiùs vinceret quàm perderet: unde conftare liquidò poteft, neminem nifi cum detrimento tali conditione certare poffe. Quæ quidem eum in finem hîc adduco, ut palàm fiat, quàm parùm fidendum fit ejusmodi ratiociniis, quæ corticem tantùm attingunt, nec in ipfam rei naturam altiùs penetrant; tametfi in toto vitæ ufu etiam apud fapientiffimos quosque nihil fit frequentius.

PROPOSITIO XI.

INvenire, quot vicibus fufcipere quis poffit, ut duabus tefferis 12 puncta jaciat.

Si quis primâ vice duos ſenarios jacere contendat, apparet unum eſſe caſum, quo vincat, id eſt, ad obtinendum a; & 35 eſſe casûs, quibus perdat ſive nihil habeat, quoniam 36 ſunt jactûs. Itaque habet per 2^{dam} Propoſitionem $\frac{1}{36}a$.

Qui duabus vicibus idem ſuſcipit, ſi primâ vice duos ſenarios jaciat, obtinebit a; ſi verò primâ vice diverſum eveniat, unus ipſi reſtat jactus, id quod ipſi, per illud quod jam dictúm eſt, valet $\frac{1}{36}a$.

Atqui ut primâ vice duos ſenarios jaciat, unus tantùm eſt caſus, ſed 35 casûs, quibus diverſum eveniat. Itaque ab initio unus caſus eſt, qui det ipſi a, & 35 qui dent $\frac{1}{36}a$; id quod per 2^{dam} Propoſitionem valet $\frac{71}{1296}a$. Et remanet contracertanti $\frac{1225}{1296}a$.

Ex his invenire licet, qualis ſit ei ſors aut pars, qui idem ſuſcipit quaternis jactibus, prætereundo caſum eum, cùm quis illud ternis jactibus ſuſcipit.

Etenim, qui 4^{or} vicibus duos ſenarios jacere contendit, ſi illud $1^{m\hat{a}}$ aut $2^{d\hat{a}}$ vice faciat, obtinet a; ſin minùs, reſtant ipſi duo jactûs, qui per illud quod ſuperiùs dictum eſt, valent $\frac{71}{1296}a$. Sed
I propter eandem rationem habet etiam 71 casûs, ut ex duobus primis jactibus ſemel duos ſenarios jaciat, contra 1225 casûs, quibus diverſum eveniat. Habet itaque ab initio 71 casûs, qui ipſi dent a, & 1225 casûs, qui dent ipſi $\frac{71}{1296}a$. Quod ipſi per 2^{dam} Propoſitionem valet $\frac{178991}{1679616}a$. Et remanet contracertanti $\frac{1500625}{1679616}a$. Id quod oſtendit eorum ſortes eſſe ad ſe invicem, ut 178991 ad 1500625.

E quibus porrò eâdem ratione invenitur expectatio ejus, qui 8 vicibus ſemel duos ſenarios jacere certat. Ac inde rurſus expectatio ejus, qui idem ſuſcipit 16 vicibus. Atque ex hujus expectatione, ut etiam ex expectatione illius, qui iſtud 8 vicibus ſuſcipit, invenitur expectatio ejus, qui illud 24 vicibus in ſe recipit. In quâ operatione, quoniam præcipuè quæritur in quo numero jactuum æqualis ſors incipiat, inter eum qui id ſuſcipit & eum qui offert, licebit à numeris, qui alioquin in immenſum excreſcerent, poſte-
K riores aliquot characteres auferre. Atque ita quidem reperio ei, qui illud 24 vicibus ſuſcipit, adhuc aliquid deficere; tumque demum eum potiorem conditionem inire, cùm 25 jactibus aggreditur.

Annotat.

Sed propter eandem rationem habet etiam 71 *caſûs &c.*] I
Juvat hîc obſervare, quod Auctor ſupponit, expectationem quamcunque fractione expreſſam conſiderari etiam poſſe tanquam reſultantem ex tot caſibus ad obtinendum depoſitum a, quot indigitat numerator fractionis, & tot caſibus ad nihilum, quot ſignificat differentia inter illum & denominatorem; tametſi fortâſſis aliter ad expectationem illam perventum fuerit: Sic quanquam ille, qui duabus vicibus duos ſenarios jacere ſuſcipit, ad expectationem ſuam $\frac{71}{1296}a$ perveniat per 1 caſum ad a, & 35 casûs ad $\frac{1}{36}a$; nihilominùs cenſeri etiam poterit eam ſibi acquirere per 71 casûs ad a, & 1225 casûs ad o. Quoniam habens 71 casûs ad a, & 1225 ad o, habet hanc expectationem $\frac{71}{1296}a$; & qui plures casûs ad a haberet ac pauciores ad nihilum, aut vice versâ, ejus quoque expectatio contra hypoth. major minorvé foret, quàm $\frac{71}{1296}a$, per Coroll. 1. Propoſit. III.

Atque ita quidem reperio ei, qui illud 24 *vicibus ſuſcipit &c.*] K
In præced. Propoſ. adſtruxit Auctor, poſſe quatuor jactibus cum lucro ſuſcipi, ut unâ teſſerâ ſenarius jaciatur; nunc aſſerit, nondum illud 24 jactibus poſſe, ut duabus teſſeris duo jaciantur ſenarii; quæ multis planè videbuntur ἀσύστατα, cùm 24 jactûs ad omnes 36 jactûs duarum teſſerarum eandem præcisè rationem ſervent, quam 4 jactûs ad omnes ſex jactûs unius teſſeræ. Eâdem olim difficultate conſtrictus hæſit, referente Paſcalio in literis ad Fermatium, quæ hujus operibus Toloſæ A°. 1679. impreſſis pagin. 181. inſertæ leguntur, Anonymus quidam cæterà ſubacti judicii Vir, ſed Geometriæ expers. Hâc enim qui imbuti ſunt, ejusmodi ἐναντιοφανείας minimè morantur, probè conſcii dari innumera, quæ admoto calculo aliter ſe habere comperiuntur, quàm initio apparebant; ideoque ſedulò cavent, juxtà id quod ſemel iterumque monui, ne quicquam analogiis temerè tribuant.

Ad Propositionem in genere:

SI pro numeris literas substituisset Auctor, potuisset hanc & praecedentem Propositionem uno Problemate complecti, ejusque solutionem generalem pari facilitate investigare, hoc pacto: Ponatur $a \propto b + c$ pro numero omnium casuum, qui reperiuntur in unâ pluribusvé tesseris, aut in quâvis aleâ, (cùm hæc non magis tesseris applicari debeant, quàm quibusvis sortitionibus aliquoties reiterandis, & in quibus numerus casuum perpetuò constans idemque manet) b verò sumatur pro numero casuum, quibus præscriptus punctorum numerus obtinetur, seu quibus obtinetur quod susceptum est; & c pro numero casuum, quibus illud non obtinetur, seu quibus non præstatur quod intenditur.

Jam si quis primâ vice suscipiat præstare aliquid, patet, eum habere b seu $a - c$ casûs ad illud præstandum, hoc est, ad obtinendum depositum, quod nunc sit 1, & c casûs ad obtinendum 0; quare ejus sors per Cor. 1. Prop. III. fit $\frac{a-c}{a}$: Si quis duabus vicibus illud suscipiat, rursus habet $a - c$ casûs ad 1 vel $\frac{a}{a}$, sed c casûs quibus pertingit ad præcedentem expectationem $\frac{a-c}{a}$; id quod per III. Prop. valet $\frac{aa-cc}{aa}$: Si quis tribus vicibus idem præstare contendat, habet denuò $a - c$ casûs ad 1 seu $\frac{aa}{aa}$, & c casûs ad sortem proximè inventam $\frac{aa-cc}{aa}$; quod ipsi tantundem valet, ac $\frac{a^3-c^3}{a^3}$: Eodem modo, si 4 vicibus illud in se recipiat, invenitur ejus expectatio $\frac{a^4-c^4}{a^4}$: si quinque, $\frac{a^5-c^5}{a^5}$; & in genere si n vicibus, reperitur sors ejus $\frac{a^n-c^n}{a^n}$, sic ut remaneat contracertanti $\frac{c^n}{a^n}$.

Præter hanc methodum, quæ Auctoris est, duo alii suppetunt modi haud inelegantes Problema solvendi, quorum unus hic est: Quærantur ordine expectationes aleatoris pro singulis jactibus seorsim,

ſim, hoc eſt, quæratur quæ ſint illius ſortes, ſi primo, ſecundo, tertio, quarto &c. demùm jaƈtu, non alio, præſtare quid velit; quod enim ex omnium expeƈtationum additione reſultat, erit expeƈtatio quæſita. Qui primo jaƈtu quid ſuſcipit, ejus ſors oſtenſa eſt eſſe $\frac{a-c}{a} \infty \frac{b}{a}$. Qui ſecundo jaƈtu præſtare vult, ille ſi primo præſtat, non præſtat quod intendit, cùm ſolo ſecundo præſtare debuiſſet; ideoque depoſito fruſtratur: ſin autem primo non præſtat, reſtat illi unus jaƈtus quo id præſtare tenetur, qui ipſi valet, ut diƈtum $\frac{b}{a}$; ſed numerus caſuum, quibus primo jaƈtu id efficit, per hyp. eſt b, & eorum quibus non efficit c; unde per 1. Coroll. III. ſors ejus ſit $\frac{bc}{aa}$. Qui tertio demùm jaƈtu præſtare intendit, is ſi primo præſtat rurſus depoſito excidit, quia intentum non aſſecutus eſt, quod eò tendebat, ut ſolo tertio præſtaret: ſin primo jaƈtu non præſtet, ſuperſunt ipſi duo jaƈtûs, quorum ſolo poſteriori præſtare tenetur, quo caſu oſtenſum eſt ipſi deberi $\frac{bc}{aa}$; ſed prius illud b, hoc c caſibus contingere poteſt, quod proin ſortem ejus per idem Coroll. efficit $\frac{bcc}{a^3}$. Qui ſolo 4to jaƈtu præſtare aggreditur, is ſi primo præſtat, depoſito identidem privatur: ſi ſecùs, per tres reſiduos jaƈtûs ad præced. expeƈtationem $\frac{bcc}{a^3}$ pertingit; quod illi nunc ſortem parit $\frac{bc^3}{a^4}$. Atque eodem modo colligitur, quòd ſors ejus, qui 5to jaƈtu in ſe recepit, ſit $\frac{bc^4}{a^5}$; qui ſexto, $\frac{bc^5}{a^6}$; & generaliter qui n jaƈtu, $\frac{bc^{n-1}}{a^n}$. Ergò cùm ſors ejus, qui primo jaƈtu aggreſſus eſt, ſit $\frac{b}{a}$; qui ſecundo, $\frac{bc}{aa}$; qui tertio, $\frac{bcc}{a^3}$; qui ultimo, $\frac{bc^{n-1}}{a^n}$; atque expeƈtatio ejus, qui illud indefinitè in aliquo primorum n jaƈtuum præſtandum ſuſcepit, ex omnibus illis ſimul ſumtis conflctur, ſequitur hanc fore ejus expeƈtationem

$\frac{b}{a}$ +

$\frac{b}{a} + \frac{bc}{aa} + \frac{bcc}{a^3} + \frac{bc^3}{a^4} \ldots$ uſque ad $\frac{bc^{n-1}}{a^n}$, quæ ſeries eſt quantitatum geometricè - proportionalium, quarum ſumma invenitur $\frac{a^n - c^n}{a^n}$, ut ſuprà.

Alter modus: Qui n jactibus unius teſſeræ præſcriptum punctorum numerum jacere ſuſcipit, perinde facit, ut ad ſeq. Prop. oſtendetur, ac ſi eundem unico jactu n teſſerarum in aliquâ minimùm teſſerâ jaciendum ſuſciperet. Concipiantur itaque n teſſeræ, ſingulæ inſtructæ a hedris, quas inter ſint c iſto punctorum numero non ſignatæ. Sic erit numerus omnium caſuum in univerſis n teſſeris, a^n; (ut ſupra poſt Prop. IX. evicit Auctor) & per eandem rationem numerus eorum, quibus optata puncta in nullâ teſſerarum emicant, c^n; quia nimirum ratione cujuslibet ex c hedris unius teſſeræ, quælibet ſimilium hedrarum alterius teſſeræ ſimul cadere poteſt. Neceſſe igitur eſt, ut reliquis $a^n - c^n$ caſibus hæc puncta ſaltem in aliquâ teſſerarum reperiantur. Quare qui tali conditione certat, habet $a^n - c^n$ caſûs ad obtinendum depoſitum 1, & c^n caſûs ad obtinendum 0; quod rurſus ut anteà ſortem illi parit $\frac{a^n - c^n}{a^n}$, ſic ut contracertanti ſemper relinquatur $\frac{c^n}{a^n}$.

Exhibitâ ſic generali Problematis ſolutione, ſi nunc porrò cum Auctore ſcire cupiamus, quo jactuum numero æqualis ſors inter contracertantes incipiat, æquandæ tantùm inter ſe erunt eorum inventæ ſortes, ut fiat $a^n - c^n \propto c^n$, hoc eſt, $a^n \propto 2c^n$; quo indicatur nil aliud requiri, quàm ut numerus omnium caſuum, & numerus eorum quibus non obtinetur quod ſuſceptum eſt, continuo in ſe ductu ad ſimiles poteſtates attollantur, quouſque productum prioris numeri fiat poſterioris duplum: tum enim index poteſtatis, ad quam uterque elevatus eſt, indigitabit quæſitum. Quæ operatio illud inſuper commodi præ Hugenianâ habet, quòd non ſupponat ullius præcedentis caſûs ſortem cognitam eſſe: cætera enim compendia, quorum meminit Auctor, de abſcindendis à fine notis, & eliciendis per ſaltum expectationibus, & hîc loci obtinet; quan-

quandoquidem dato cujuslibet numeri quadrato, ejus biquadratum inveniri poteſt non reperto cubo, & biquadrato-quadratum non repertis intermediis poteſtatibus, &c. Viſum autem eſt, exempli Auctoris, in quo a valet 36 & c 35, totam operationem hîc ſubjungere:

juſto	*minor*	*major*	*juſto*	*min.*	*maj.*
			c ∞	35	
a ∞	36		cc ∞	1225	
aa ∞	1296		c^4 ∞	1500 . .	1501 . .
a^4 ∞	1679 . .	1680 . .	c^8 ∞	2250 . .	2254 . .
a^8 ∞	2819 . .	2823 . .	c^{16} ∞	5062 . .	5081 . .
a^{16} ∞	7946 . .	7970 . .	c^{24} ∞	1138 . .	1146 . .
a^{24} ∞	2239 . .	2250 . .	c^{25} ∞	3983 . .	4011 . .
a^{25} ∞	8060 . .	8100 . .	$2c^{24}$ ∞	2276 . .	2292 . .
			$2c^{25}$ ∞	7966 . .	8022 . .

ubi liquet, 24tam poteſtatem numeri 36 (quæ cadit inter 2239 . . & 2250 . .) deficere à 24tæ poteſtatis numeri 35 duplo (quod cadit inter 2276 . . & 2292 . .): ſed 25tam poteſtatem illius numeri (cujus limites ſunt 8060 . . & 8100 . .) excedere viciſſim duplum 25tæ hujus, (utpote quod terminis continetur 7966 . . & 8022 . .).

Monendum tamen eſt, totum hoc expediri poſſe negotium compendio citra comparationem majori per logarithmos, ita: Quia habemus a^n ∞ $2c^n$, & æqualium numerorum æquales ſunt logarithmi, erit quoque nla ∞ $l2 + nlc$, ſive $nla - nlc$ ∞ $l2$, ſeu denique n ∞ $\frac{l2}{la - lc}$; quo indicatur quæſitum numerum jactuum haberi, dividendo ſimpliciter log-um binarii per differentiam inter log-os numerorum a & c. En operationem:

a ∞ 36 | la ∞ 1.5563025
c ∞ 35 | lc ∞ 1.5440680

$la - lc$ ∞ 0.0122345) $l2$ ∞ 0.3010300 (plus quàm 24, & minus quàm 25; quæ calculo Auctoris & noſtro plane ſunt conſona.

Cæterum solutio nostra Propositionis præsentis ansam nobis suppeditavit investigandi præterea nonnulla alia huic affinia Problemata, quorum unum hoc est: Si plures collusores jacere suscipiant præscriptum punctorum numerum, iisque singulis uni post alterum nonnulli jactus, huic plures illi pauciores, continuò instituendi concedantur, quæritur cujusque sors? Ante omnia liquet, quòd ille cujus sors quæritur haberet per ante ostensa $\frac{a^n - c^n}{a^n}$, si ipse ludum inciperet; sed quia alii præcedunt, qui victoriam illi præripere possunt, sors ejus minoris æstimanda venit. Deinde patet, quòd expectationes omnium ipsum præcedentium simul sumtæ æquari debeant expectationi unius solius, qui in locum eorum succedere vellet, & cui tot jactus concederentur quot omnibus illis simul. Sed per eandem rationem, si numerus horum jactuum dicatur s, expectatio hæc foret $\frac{a^s - c^s}{a^s}$; unde per annotata hujus ad lit. I. ille cujus sors quæritur, tum, cùm primus ludere incipit, habere censetur $a^s - c^s$ casus, quibus aliquis præcedentium vincat sibique depositum præripiat; & c^s casus, quibus ludendi vices ad se devolvuntur, ipseque sortem antè dictam $\frac{a^n - c^n}{a^n}$ acquirit: id quod ipsi per 1. Coroll. III. valet $\frac{a^n - c^n \cdot c^s}{a^n \cdot a^s} \infty \frac{a^n c^s - c^{n+s}}{a^{n+s}}$. Idem etiam sic evincitur: Quia universis collusoribus incluso ultimo per hyp. concessi sunt $s + n$ jactus, erit eorum expectatio totalis $\frac{a^{s+n} - c^{s+n}}{a^{s+n}}$; à quâ proin si expectationes omnium præcedentium postremum, quæ simul sumtæ constituunt $\frac{a^s - c^s}{a^s}$, subtrahas, relinquetur pro expectatione solius ultimi $\frac{a^{s+n} - c^{s+n}}{a^{s+n}} \frac{-a^s + c^s}{a^s} \infty \frac{a^n c^s - c^{n+s}}{a^{n+s}}$, ut antea. Nota, insigniter hîc abbreviari calculum, si numeri casuum a & c compositi sint, & eorum loco per 2. Cor. III. minimi

in

in eâdem ratione termini accipiantur: Proponantur ex. gr. aliquot collusoribus jacienda duabus tesseris puncta septem, & eorum primo permittatur unus, secundo 2, tertio 3, quarto 4 jactus consecutivè instituendi, velimque scire expectationem quarti. Quoniam hîc numerus jactuum quarti $n \infty 4$, & summa eorum, qui præcedentibus tribus sunt concessi, $s \infty 1 + 2 + 3 \infty 6$; & proin $\frac{a^n c^s - c^{n+s}}{a^{n+s}} \infty \frac{a^4 c^6 - c^{10}}{a^{10}}$; insuperque numeri a & c casuum scil. tum omnium in duabus tesseris, tum eorum quibus non obtinetur præscriptus punctorum septenarius, sunt 36 & 30, pro quibus pono tantùm 6 & 5; idcirco à producto ex 4^{tâ} potestate senarii in 6^{tam} quinarii aufero decimam quinarii, reliquumque divido per decimam senarii, & prodibit pro quæsitâ expectatione collusoris quarti $\frac{10484375}{60466176}$.

Manifestum est in hocce Problemate, omnium collusorum, quotquot etiam fuerint & quotcunque jactus ipsis concedantur, expectationes in unam summam collectas necessariò ab uno integro deficere debere; quandoquidem semper casu quodam utcunque rarissimo accidere potest, ut eorum nullus præscriptum punctorum numerum consequatur. Deinde etiam per se clarum est, quòd in pari jactuum numero unusquisque posteriorum collusorum deteriorem sortem nancisci debeat unoquoque priorum, eoque magis quò plures unicuique jactus continuò instituendi conceduntur; cùm utique tot concedi possint, ut primi ludentis spes in certitudinem ferè abeat, reliquis verò omnis vincendi spes evanescat. Quæ proin consideratio aliud nobis suggessit Problema, quod eò tendit, ut dato numero jactuum à primo consecutivè instituendorum investigetur, quot jactus secundo reliquisque concedendi sint, ut sortes omnium fiant æquales: oportet autem, ut numerus jactuum primi non pariat ei sortem excedentem unum dimidium, si collusores sunt duo; aut tertiam partem integri, si sunt tres; aut 4^{tam} si quatuor &c. cùm secùs Problema impossibile foret. Sint collusores m, numerus jactuum ab universis instituendorum vocetur x, ab omnibus excepto ultimo y, adeoque à solo ultimo $x - y$; numerus verò jactuum

 primi

primi ſit n: erit ejus expectatio $\frac{a^n - c^n}{a^n}$, & omnium m colluſorum expectationes conjunctim $\frac{a^x - c^x}{a^x}$; cumque ſingulæ expectationi primi ponantur æquales, erit quoque earum ſumma $\frac{m \,.\, \overline{a^n - c^n}}{a^n}$; quare $\frac{m \,.\, \overline{a^n - c^n}}{a^n} \infty \frac{a^x - c^x}{a^x}$, hoc eſt $m - \frac{mc^n}{a^n} \infty 1 - \frac{c^x}{a^x}$, ſeu factâ transpoſitione, $\frac{c^x}{a^x} \infty \frac{mc^n}{a^n} + 1 - m \infty \frac{mc^n + \overline{1-m}\, a^n}{a^n}$, & ſumtis logarithmis, $xlc - xla \infty l\,\overline{mc^n + \overline{1-m}\, a^n} - nla$, factâque diviſione, $x \infty \frac{l\,\overline{mc^n + \overline{1-m}\, a^n} - nla}{lc - la}$, ſive (mutatis ſignis ob $a > c$) $x \infty \frac{nla - l\,\overline{mc^n + \overline{1-m}\, a^n}}{la - lc}$. Ob eandem rationem omnium colluſorum præcedentium ultimum, hoc eſt, primorum $m - 1$ colluſorum expectationes ſimul ſumtæ ſunt $\frac{\overline{m-1} \,.\, \overline{a^n - c^n}}{a^n} \infty \frac{a^y - c^y}{a^y}$; unde ſimili modo elicitur $y \infty \frac{nla - l\,\overline{\overline{m-1}\, c^n + \overline{2-m}\, a^n}}{la - lc}$: quare tandem habetur $x - y \infty \frac{l\,\overline{\overline{m-1}\, c^n + \overline{2-m}\, a^n} - l\,\overline{mc^n + \overline{1-m}\, a^n}}{la - lc}$, quod requirebatur. Ita ſi ſint tres colluſores, & eorum primo duo concedantur jactus, jacienda verò proponantur duabus teſſeris puncta ſeptem (vel etiam unâ teſſerâ puncta ſex; quia utrobique ratio numeri a ad numerum c ea eſt, quam habet 6 ad 5) quo caſu primi ſors per ſuprà oſtenſa, propter $n \infty 2$, eſt $\frac{aa - cc}{aa} \infty \frac{11}{36}$ paulò minor triente depoſiti: facio primò $m \infty 2$, deinde $m \infty 3$, & hoc pacto reperio, quòd ad æquandas quàm proximè reliquorum ſortes concedendi ſint ſecundo colluſori tres, & tertio octo jactus.

PRO-

PROPOSITIO XII.

INvenire, quot tesseris suscipere quis possit, ut primâ vice duos senarios jaciat.

Hoc autem tantundem est, ac si quis scire velit, quoto jactu L
quispiam unâ tesserâ suscipere possit, ut bis senarium jaciat. Quòd si quis duobus jactibus susciperet, obtingeret ei, per ea quæ ante M
ostensa sunt, $\frac{1}{36}a$. Qui illud tribus jactibus in se reciperet, si primus ejus jactus senarius non foret, haberet adhuc duos jactus, quorum uterque senarius esse deberet, id quod tantundem valere dictum est ac $\frac{1}{36}a$. At verò primo ejus jactu existente senario, opus est, ut ex duobus jactibus non nisi semel senarium jaciat. Quod per X. Propositionem tantundem valet ac si $\frac{11}{36}a$ haberet. Atqui certum est ipsum unum habere casum, quo primâ vice senarium jaciat, & quinque casus quibus diversum eveniat. Habet itaque ab initio unum casum ad $\frac{11}{36}a$, & 5 casus ad $\frac{1}{36}a$, id quod per II. Propositionem tantúndem valet ac $\frac{16}{216}a$ seu $\frac{2}{27}a$. Hoc pacto assumendo continuè unum jactum ampliùs, invenitur 10 jactibus unâ tesserâ, aut 10 tesseris primo jactu suscipi posse, ut duo senarii jaciantur, idque cum lucro.

Annotat.

Hoc autem tantundem est &c.] Si cui decem ex. gr. L
tesseris unus jactus concedatur, evidens utique est nihil referre, sive decem illas tesseras simul & semel seu successivè unam post alteram in alveum projiciat: & si successivè id facit, perinde rursus esse constat, sive tesseræ illæ decem quæ projiciuntur sint totidem diversæ tesseræ, sive una eademque decies ex alveo sublata & projecta.

Per ea quæ ante ostensa sunt &c.] Ostensum est in M
præced. Propos. $\frac{1}{36}a$ esse partem ejus, qui uno jactu duabus tesseris duos senarios jacere contendit, sed modò audivimus perinde esse, sive quis unum jactum duabus tesseris, sive duos jactus unâ tesserâ instituat: quare & illi, qui unâ tesserâ duobus jactibus duos senarios, hoc est, bis senarium jacere suscipit, eadem debetur portio $\frac{1}{36}a$.

Ad Propoſitionem in genere:

PRoblema hîc loci propoſitum, non ſecùs atque præcedens, ſolutionem quoque admittit per ſymbola; & generaliter conceptum huc redit, ut inveniatur expectatio ejus, qui certo jactuum numero ſuſcepit aliquid præſtare bis, vel ter, vel quater pluriesve. Nam qui ſemel tantùm id præſtare ſuſcipit, ejus ſors in præced. jam Propoſitione calculo ſubducta habetur.

Qui duabus vicibus aliquid bis præſtare ſuſcipit, ille ſi primâ vice non præſtat nihil depoſiti habebit, ſed totum adverſario cedet: ſin id primâ vice præſtiterit, reliquo aleæ jactu adhuc ſemel præſtare tenetur; quo caſu per annotata præced. Propoſ. (poſitâ ſignificatione literarum a, b & c, ut ibi) ipſi debetur $\frac{a-c}{a}$, & adverſario ejus $\frac{c}{a}$; (præſtat enim hujus ſortem, ceu brevioribus terminis comprehenſam, inquirere.) Atqui ſunt b caſus, quibus id primâ vice efficere poſſit; & c caſus, quibus ſecùs eveniat: quocirca ſunt contracertanti c caſus ad obtinendum depoſitum $1 \infty \frac{c+b}{a}$, & b caſus ad acquirendum $\frac{c}{a}$; id quod ipſi valet $\frac{cc+2bc}{aa}$.

Qui tribus vicibus aliquid bis efficere contendit, ille ſi primâ vice efficiat, quod ſemper b caſibus evenit, duabus reliquis vicibus idem non niſi ſemel efficere obſtrictus eſt, ſortemque adeò Antagoniſtæ ſui per Annotat. præc. Prop. facit $\frac{cc}{aa}$: ſin primâ vice id non efficiat, quod caſibus c contingit, tenebitur illud duabus reliquis vicibus bis præſtare; quod valere modò diximus Adverſario ejus $\frac{cc+2bc}{aa}$. Habet igitur iſte c caſus ad $\frac{cc+2bc}{aa}$, & b caſus ad $\frac{cc}{aa}$; id quod ei parit expectationem $\frac{c^3+3bcc}{a^3}$.

Sic qui quatuor vicibus aliquid bis effectui dare tentat, is b caſibus, quibus primus ei jactus ex voto ſuccedere poteſt, adverſario ſortem acquirit $\frac{c^3}{a^3}$; & c caſibus, quibus contrarium accidit, eum

eum ad præcedentem expectationem $\frac{c^3+3bcc}{a^3}$ perducit; id quod huic ſortem gignit $\frac{c^4+4bc^3}{a^4}$.

Qui verò tribus vicibus ter præſtare quippiam conatur, is ſi primo jactu ſcopo aberret, antagoniſtam ſuum depoſiti 1 ∞ $\frac{cc+2bc+bb}{aa}$ victorem reddit: ſin conſequatur quod intendit, reſiduos habet duos jactus, quorum etiam uterque ejus voto reſpondere deberet; quo in ſtatu adverſarii ſortem oſtendimus eſſe $\frac{cc+2bc}{aa}$. Poſterius autem b, prius c caſibus accidere diximus; unde contracertantis expectatio reſultat $\frac{c^3+3bcc+3bbc}{a^3}$.

E' quibus porrò haud abſimili ratione inveniri poſſunt expectationes ejus, qui alteri 4, 5, 6 &c. aleæ jactibus aliquid bis, ter, quater, pluriesve præſtandum offert: unde nata eſt ſequens Tabella, quam quis levi labore continuabit, quouſque opus fuerit; ſi conſideret, columnas transverſales tabellæ ordine complecti quantitates omnium poteſtatum binomii $\frac{c+b}{a}$, ſecundam nim. quadrati, tertiam cubi, quartam biquadrati &c. ita quidem, ut prima columna verticalium ſolos primos, ſecunda duos, tertia tres, quarta 4[or] priores harum poteſtatum terminos exhibeat. Hinc enim colligitur facilè, illum qui indefinitè n jactibus aliquid bis præſtandum offert, ſortem habere $\frac{c^n+nbc^{n-1}}{a^n}$; qui ter, $c^n+nbc^{n-1}+\frac{n.\overline{n-1}}{2}bbc^{n-2}:a^n$; qui quater, $c^n+nbc^{n-1}+\frac{n.\overline{n-1}}{2}bbc^{n-2}+\frac{n.\overline{n-1}.\overline{n-2}}{2.3}b^3c^{n-3}:a^n$; & generaliter denique, qui illud m vicibus præſtandum offert, huic ſortem competere $c^n+nbc^{n-1}+\frac{n.\overline{n-1}}{2}bbc^{n-2}+\frac{n.\overline{n-1}.\overline{n-2}}{2.3}b^3c^{n-3}$ . . . . uſque ad $+\frac{n.\overline{n-1}.\overline{n-2}\ldots\overline{n-m+2}}{2.3.4\ldots\overline{m-1}}b^{m-1}c^{n-m+1}:a^n$.

Eadem etiam formula aliter & ſcitè elici poteſt, in auxilium vocatâ combinationum doctrinâ, hoc modo: Conſtat ex ſuprà

Tabu-

Tabula

pró cognoſcendâ ſorte ejus, qui alteri aliquot aleæ jactibus quippiam ſemel vel aliquoties præſtandum offert.

Nota, ſors ejus qui ſuſcipit, perpetuò eſt complementum ad unitatem ſortis illius, qui offert. Num. omnium caſuum in ſingulis jactibus ∞ a; *eorum quibus præſtatur quod ſuſceptum eſt* ∞ b; *quibus non præſtatur* ∞ c.

Si quid præſtandum fit, Jactibus	ſemel	bis	ter	quater	
I.	$c : a$				
II.	$cc : aa$	$cc + 2bc : aa$			
III.	$c^3 : a^3$	$c^3 + 3bcc : a^3$	$c^3 + 3bcc + 3bbc : a^3$		
IV.	$c^4 : a^4$	$c^4 + 4bc^3 : a^4$	$c^4 + 4bc^3 + 6bbcc : a^4$	$c^4 + 4bc^3 + 6bbcc + 4b^3c : a^4$	&c.
V.	$c^5 : a^5$	$c^5 + 5bc^4 : a^5$	$c^5 + 5bc^4 + 10bbc^3 : a^5$	$c^5 + 5bc^4 + 10bbc^3 + 10b^3cc : a^5$	
VI.	$c^6 : a^6$	$c^6 + 6bc^5 : a^6$	$c^6 + 6bc^5 + 15bbc^4 : a^6$	$c^6 + 6bc^5 + 15bbc^4 + 20b^3c^3 : a^6$	

m vicibus

$$n. \quad c^n + nbc^{n-1} + \frac{n.n-1}{1.2}bbc^{n-2} + \frac{n.n-1.n-2}{1.2.3}b^3c^{n-3} \ldots + \frac{n.n-1.n-2\ldots n-m+2}{1.2.3.4\ldots m-1}b^{m-1}c^{n-m+1} : a^n.$$

dictis,

dictis, eodem recidere, ſive quis n jactibus unius teſſeræ aliquid m vicibus præſtandum ſuſcipiat, ſive id unico jactu n teſſerarum in m teſſeris præſtandum ſibi ſumit: Sint igitur teſſeræ A, B, C, D &c. quarum numerus ſit n, ſingulæ inſtructæ a hedris, quas inter b voto ſuſcipientis reſpondeant, reliquæ c non reſpondeant; & quæratur, quot caſibus accidere poſſit, ut tum in nullâ teſſerarum, tum in unâ tantùm teſſerâ, tum in ſolis duabus, 3, 4 &c. tum denique in $m-1$ tantùm teſſeris præſtetur quod ſuſceptum eſt: omnibus enim his caſibus ſuſcipiens voto ſuo excidit, & antagoniſta ejus victoriâ potitur. Oſtenſum autem fuit in annot. præc. Prop. caſus eſſe ^{n}, quibus contingere poſſit ut in nullâ n teſſerarum prodeat quod ſuſceptum eſt: & ſimili modo colligitur, caſus eſſe c^n, quibus contingere poſſit ut in nullâ n teſſerarum prodeat quod ſuſceptum eſt; & ſimili modo colligitur cuſus eſſe b vel bb vel b^3 &c. quibus una teſſerarum putà A, aut duæ A & B, aut tres A, B & C &c. ſuſcipientis voto reſpondeant; ſicut & caſus c^{n-1}, aut c^{n-2} aut c^{n-3} &c. quibus cæteræ $n-1$, vel $n-2$, vel $n-3$ &c. teſſeræ ſpem ejus fallant: unde cùm ſinguli horum caſuum cum unoquoque priorum conjungi poſſint, ex ductu horum in illos naſcentur caſus bc^{n-1}, aut bbc^{n-2}, aut b^3c^{n-3} &c. Et quia teſſera illa vel illæ, quæ favent ſuſcipienti, poteſt eſſe vel A vel B vel C &c. ſi ſit una: vel A & B, aut A & C, aut B & C &c. ſi ſint duæ: vel A, B & C, aut A, B & D &c. ſi ſint tres, &c. hinc numeri caſuum rurſus toties multiplicabuntur, quoties ex univerſis n teſſeris ſingulas, binas aut ternas &c. accipere licet; ſed licet hoc, per doctrinam combinationum ſecundâ parte tradendam, n, vel $\frac{n.n-1}{1.2}$, vel $\frac{n.n-1.n-2}{1.2.3}$ &c. vicibus: quare factâ hâc alterâ multiplicatione caſus emergent nbc^{n-1}, aut $\frac{n.n-1}{1.2}bbc^{n-2}$, aut $\frac{n.n-1.n-2}{1.2.3}b^3c^{n-3}$ &c. quibus in unâ, duabus, aut tribus &c. duntaxat teſſeris, ſed quomodolibet ſumptis, eveniat quod ſuſceptum eſt; & conſequenter etiam caſus $\frac{n.n-1.n-2\ldots n-m+2}{1.2.3.4\ldots m-1}b^{m-1}c^{n-m+1}$, quibus id eveniat in $m-1$ teſſeris. Cùm itaque omnes hi recenſiti caſus antagoniſtam ſuſcipientis, uti dictum, ludi victorem reddant, prætereaque in univerſis n teſſeris caſus exiſtant

a^n, fiet


a^n, fiet per 1. Coroll. 3. fors ejus $c^n + nbc^{n-1} + \frac{n.\overline{n-1}}{1.2} bbc^{n-2} + \frac{n.\overline{n-1}.\overline{n-2}}{1.2.3} b^3 c^{n-3} \ldots\ldots + \frac{n.\overline{n-1}.\overline{n-2}\ldots\overline{n-m+2}}{1.2.3.4\ldots\overline{m-1}} b^{m-1} c^{n-m+1} : a^n$, ut suprà. Quoniam autem in propositâ quæstione, sicut in præcedente, præcipuè hoc intenditur, ut investigetur, quot aleæ jactibus expectationes lusoris & adversarii incipiant æquari, sive utrivis competere dimidium depositi; idcircò nunc porrò æquationem instituo inter repertam adversarii sortem & $\frac{1}{2}$, indeque valorem numeri n quoad possum determino. Ex. gr. Si cum Auctore scire desiderem, quo jactuum numero quid bis præstandum suscipi possit, putà unâ tesserâ senarius bis jaciendus, ut æquâ sorte certetur; facio $\frac{c^n + nbc^{n-1}}{a^n} \infty \frac{1}{2}$, & habebo $a^n \infty 2c^n + 2nbc^{n-1} \infty \overline{2c + 2nb}, c^{n-1}$, quo indicatur, numerum a ad eam potestatem elevandum esse, quæ proximè sit æqualis producto ex potestate uno gradu depressiore ipsius c, & duplo summæ, quam numerus c cum ipso b ducto in indicem potestatis a constituit. Hoc enim facto index potestatis a denotabit numerum jactuum, quo quid bis præstandum suscipi potest. Addo calculum pro Auctoris exemplo, in quo a numerus omnium casuum unius tesseræ valet 6, b numerus eorum quibus obtinetur senarius 1, & c eorum quibus non obtinetur 5;

	$c \infty 5$
$a \infty 6$	$cc \infty 25$
$a^3 \infty 216$	$c^4 \infty 625$
$a^9 \infty 10077696$	$c^8 \infty 390625$
$a^{10} \infty 60466176$	$c^9 \infty 1953125$

$$a^9 \infty 10077696 < 10937500 \infty 28 \text{ in } 390625 \infty \overline{2c + 18b}, c^8,$$
$$a^{10} \infty 60466176 > 58593750 \infty 30 \text{ in } 1953125 \infty \overline{2c + 20b}, c^9.$$

quare cùm nona potestas ipsius a adhuc deficiat, decima verò excedat potestatem ipsius c uno gradu inferiorem & dictâ ratione multiplicatam, colligi debet, novem jactus nondum sufficere, at jactibus decem cum lucro suscipi posse, ut unâ tesserâ bis senarius jaciatur.

Idem



Idem etiam per conſtructionem Geometricam non inconcinnam obtinere licet, ope Curvæ quam vocant Logarithmicæ: Inſiſtat axi CH Logarithmica quævis FEG, cui applicentur rectæ AE & CF, quæ ſint in ratione a ad c, producendæ ad duplam longitudinem in B & D; & agatur recta DB, occurrens curvæ in G: ſumtâ pro unitate CA, abſcindet demiſſa applicata GH in axe portionem CH ∞ n, numero jactuum, quo aliquid bis præſtandum ſuſcipi poteſt. Et quemadmodum hoc conſecuti ſumus occurſu lineæ rectæ & logarithmicæ: ſic numerum jactuum, quo quid ter præſtandum poteſt ſuſcipi, per interſectionem Parabolæ & logarithmicæ; & quo id quater ſæpiusve, ejusdem & altioris gradatim curvæ algebraïcæ ope definire licet.

Cæterùm poſſemus & hîc, uti fecimus in præced. Propoſ. materiam hanc proſequi ulteriùs & inveſtigare ſortes plurium Aleatorum, qui ſinguli æquali an inæquali numero jactuum conſecutivè inſtituendorum ſuſciperent aliquid præſtare aliquoties; aliasque plures ejusmodi quæſtiones formare; niſi & brevitati conſulendum, & Lectoris induſtriæ quædam relinquenda eſſe viderentur.

Unicum tamen, ne hactenùs dicta ſiniſtrè acciperentur, monere adhuc operæ pretium duximus: nempe, Problemata hujus & præcedentis Propoſitionis, ubi quæritur expectatio ejus, qui aliquot aleæ jactibus quippiam ſemel vel aliquoties præſtandum ſuſcipit, ita

 eſſe

esse intelligenda, ut sensus sit, etiam tum lucraturum qui suscepit, si sæpiùs quàm suscepit præstiterit. Nam si sensus esset, eum hoc casu perditurum, aliud foret Problema, & aliæ nascerentur expectationes, quæ quia in sequentibus usum habebunt, determinandæ nobis supersunt, priusquàm hinc discedamus. Ut autem generalior fiat solutio, ponamus non in omnibus aleis æquè-multos regnare casus, uti hucusque supposuimus, sed numerum eorum in diversis jactibus utcunque variare, vocando in jactu

	Fr.	*Sec.*	*Tert.*	*Quart.*	*Quint.*
Num. casuum omnium - - - -	*a.*	*d.*	*g.*	*p.*	*s.*
eorum quib. quid præstatur - -	*b.*	*e.*	*h.*	*q.*	*t.*
- - - *non præstatur* - -	*c.*	*f.*	*i.*	*r.*	*u.*

quo posito, si aliquot aleæ jactus, putà quinque sint instituendi, & quæratur expectatio ad id præstandum in nonnullis horum jactuum, ex. gr. in tribus primis, & non præstandum in reliquis; considerare oportet, quòd quilibet b casuum primi jactûs conjungi possit cum quolibet e casuum secundi, & inde resultantium casuum be quilibet rursùs cum quolibet h casuum tertii, quod facit beh casus: & pari modo, quòd quilibet r casuum quarti jactûs conjungi possit cum quolibet u casuum quinti, quod casus suppeditat ru; hinc cùm & horum singuli cum quolibet priorum beh combinari queant, erit numerus omnium casuum quibus contingere potest, ut in primis tribus jactibus præstetur præstandum, in postremis duobus non præstetur, $behru$; & quia ob similem rationem numerus omnium omninò casuum in universis quinque jactibus est $adgps$, sequitur expectationem quæsitam per 1. Cor. 3. fore $\frac{behru}{adgps}$. unde talis formatur

Regula

pro cognoscendâ sorte Aleatoris, cui plures aleæ jactus concessi, & qui præcisè in certis quibusdam, non aliis jactibus quippiam præstare tenetur.

PRoductum continuum ex numeris casuum, quibus quid præstatur in jactibus, in quibus præstari debet, & eorum quibus non præstatur, ubi non præstari debet, dividatur per productum conti-

continuum ex numeris omnium casuum in jactibus universis; & quotiens exhibebit quæsitum.

Coroll. 1. Si iidem numeri casuum regnent in omnibus aleis, hoc est, si singuli $d, g, p, s \infty a$; singuli $e, h, q, t \infty b$; & singuli $f, i, r, u \infty c$: expectatio inventa $\frac{behru}{adgps}$ vertetur in hanc $\frac{b^3c^2}{a^5}$; & generaliùs in $\frac{b^m c^{n-m}}{a^n}$, sumto n pro numero omnium jactuum, & m pro numero eorum, in quibus præstandum præstari debet.

Cor. 2. Si iidem numeri casuum regnent in omnibus aleis, & determinatus etiam sit numerus alearum seu jactuum, quibus quid præstari debet; ipsi verò jactus non sint definiti, sed quomodolibet accipiendi; putà, si 5 jactus sint instituendi, & in tribus eorum quibuslibet quid præstandum sit, patet hinc quantitatem expectationis inventam toties adhuc multiplicari, quoties ex jactibus quinque diversimodè terni, h. e. generaliter, ex n rebus diversæ m res accipi possunt. Potest autem hoc fieri, per Combinationum doctrinam seq. part. tradendam, $\frac{n \cdot n-1 \cdot n-2 \cdot n-3 \ldots n-m+1}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4 \ldots m}$ sive (quòd perinde) $\frac{n \cdot n-1 \cdot n-2 \cdot n-3 \ldots m+1}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4 \ldots n-m}$ vicibus: quare nunc expectatio suscipientis valebit $\frac{n \cdot n-1 \cdot n-2 \cdot n-3 \ldots n-m+1}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4 \ldots m}, \frac{b^m c^{n-m}}{a^n}$, vel $\frac{n \cdot n-1 \cdot n-2 \cdot n-3 \ldots m+1}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4 \ldots n-m}, \frac{b^m c^{n-m}}{a^n}$.

PROPOSITIO XIII.

SI cum alio ludam duabus tesseris unum solummodò jactum, hâc conditione, ut, si septenarius eveniat, ego vincam; at ille, si denarius obtingat; si verò quidquam aliud accidat, ut tum id quod depositum est æqualiter dividamus: Invenire qualis istius pars cuique nostrûm debeatur.

Quoniam 36 jactuum, qui duabus tesseris proveniunt, 6 jactus existunt septem punctorum, & 3 jactus decem punctorum, restant adhuc 27 jactus, qui ludum æquare possunt; id quod si fiat, cuique nostrûm debebitur $\frac{1}{2}a$. N Verùm si id non obtingat, habebo 6 casus, quibus vincam, id est, ut a habeam; & 3 casus, quibus diversum eveniat, nihilque habeam: id quod per II. Propositionem, tantundem est ac si tali casu $\frac{2}{3}a$ haberem. Habeo itaque ab initio 27 casus ad $\frac{1}{2}a$, & 9 casus ad $\frac{2}{3}a$, id quod, per II. Propositionem, tantundem est ac $\frac{13}{24}a$. O Et remanet contracertanti $\frac{11}{24}a$.

Annotat.

N *Verùm si id non obtingat, habebo 6 casus &c.*] Auctor priùs quærit expectationem ejus, qui 6 habet casus ad vincendum & 3 ad perdendum, quæ expectatio est $\frac{2}{3}a$; eâque demum mediante infert quæsitum: sed potest idem quoque non cognitâ illâ expectatione immediatè concludi; nam 27 casus ad $\frac{1}{2}a$, 6 casus ad a, & 3 ad o, quos habeo si propositâ conditione ludo, etiam tantundem valent per 1. Coroll. 3, ac $\frac{13}{24}a$; uti quoque 27 casus ad $\frac{1}{2}a$, 3 ad a, & 6 ad o, quos habet collusor meus, ei per idem Cor. sortem pariunt $\frac{11}{24}a$.

O *Et remanet contracertanti $\frac{11}{24}a$.*] Residuum nempe totius depositi. Quia enim ambo simul finito lusu infallibiliter totum depositum, nec plus nec minus, impetramus, hinc etiam amborum simul expectatio per Axioma nostrum integrum depositum exhaurire debet, uti quoque in Propos. IV. ad literam C notavimus. Secùs foret, si qui casus darentur, quibus & alii de deposito participarent; veluti, si postrema conditio lusui annexa juberet, ut id quod depositum est in pauperes erogetur; tum enim propter 6 casus ad a, & 30 ad o, non nisi haberem $\frac{1}{6}a$; & collusor propter 3 casus ad a, & 33 ad o, tantùm haberet $\frac{1}{12}a$; residuum verò depositi $\frac{3}{4}a$ pauperibus deberetur, qui propterea & ipsi in rationem sortis venire censendi essent.

PRO-

PROPOSITIO XIV.

SI ego & alius duabus tesseris alternatim jaciamus, hâc conditione, ut ego vincam simul atque septenarium jaciam, ille verò quàm primùm senarium jaciat; ita videlicet, ut ipsi primum jactum concedam: Invenire rationem meæ ad ipsius sortem.

Ponatur, sortem meam valere x, & id quod depositum est vocari a; eritque sors alterius $\infty a - x$. Et patet, quandocunque ipsius vices jaciendi revertuntur, sortem meam tum rursus debere esse ∞x. At quandocunque meæ vices sunt ut jaciam, sors mea pluris æstimanda est. Ponatur itaque pro ejus valore y. Jam quoniam ex 36 jactibus reperiuntur 5 in 2 tesseris, qui collusori meo senarium dare lusûsque victorem reddere possunt; & 31 jactus, quibus diversum eveniat, id est, qui meas jaciendi vices promovent: habebo, priusquàm jacit, 5 casus ad obtinendum o, & 31 casus ad obtinendum y. id quod per III. Propositionem valet $\frac{31y}{36}$. Posuimus autem casum meum à principio esse ∞x. Quocirca erit $\frac{31y}{36} \infty x$, adeoque $y \infty \frac{36x}{31}$. Deinde positum fuit, vicibus meis venientibus, sortem meam valere y. Ego verò jacturus, habeo 6 casus ad obtinendum a, quandoquidem 6 jactus reperiuntur 7 punctorum, qui me victorem reddunt; habeoque 30 casus, quibus vices collusoris mei revertuntur, id est, ut mihi obtineam x. id quod per III. Propositionem valet $\frac{6a + 30x}{36}$. Hoc autem cùm sit ∞y, erit, invento, ut ante, $\frac{36x}{31} \infty y$, $\frac{30x + 6a}{36} \infty \frac{36x}{31}$. Unde invenitur $x \infty \frac{31a}{61}$, valor meæ sortis. Et per consequens collusoris mei erit $\frac{30a}{61}$; ita ut ratio sortis meæ ad illius sortem sit, ut 31 ad 30.

Annotat.

Auctor in hoc Problemate primùm adhibere cogitur analysin algebrai-

algebraïcam, cùm in præcedentibus solâ synthesi usus fuisset: cujus differentiæ ratio est, quòd in illis omnibus expectatio quæsita fluebat ex aliis expectationibus vel in totum cognitis & datis, vel incognitis quidem, at naturâ prioribus ac simplicioribus, & quæ ab hâc vicissim non dependebant; quapropter incipiendo ab omnium simplicissimis earum ope gradatim pergere poterat ad enodandos alios casus magis magisque compositos absque analysi ullâ. Secùs verò se hîc res habet; nam expectationem meam, quam possideo cùm collusorem ordo jaciendi tangit, Auctoris more æstimare non possum, nisi cognitam habuero sortem, quam acquiro ubi vices jaciendi ad me devolvuntur: sed & hanc cognoscere nequeo, nisi priorem illam compertam habeam, quæ tamen ea ipsa est quam quærere intendo; unde cùm utraque sit incognita, & altera ab alterâ vicissim dependeat, non possunt Auctoris vestigiis insistendo aliter quàm analyseos ope ex se mutuò elici: id quod operæ pretium est observâsse, ut utriusque methodi discrimen, & quando hæc illave in usum vertenda sit, perspicuo aliquo exemplo pateret.

Dixi, Auctoris vestigiis insistendo non posse; datur enim adhuc alia peculiaris via, quâ quæsitum consequi possum citra analysin ullam, & quam in sequentibus quoque utiliter adhibere licet. Fingamus loco duorum alternatim ludentium infinitos Collusores, quibus singulis ordine uni post alterum singuli tantùm concedantur jactus, eâ lege, ut cui collusorum in locis imparibus senarius, aut cui in paribus septenarius primùm evenerit, ille vincat atque depositum auferat: quo pacto liquet, secundum collusorem vincere non posse, nisi duorum primorum jactuum solus posterior præstet quod præstare debet; nec tertium victoriâ potiri posse, nisi trium primorum jactuum solus tertius id præstet; nec quartum, nisi quatuor primorum solus quartus, & ita consequenter. Quare, si pro 5 & 31, numeris casuum quibus in tesseris duabus evenire potest senarius vel non evenire, ponamus b & c; item pro 6 & 30 numeris casuum, quibus septenarius obtingere vel non obtingere potest, e & f; pro 36 verò numero omnium casuum $b+c$, vel $e+f$, scribamus a: inveniemus per Regulam in fine annot. Prop. XII. traditam singulorum Collusorum expectationes, ut sequitur:

Collus.

Collus.	I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	VII.	VIII.	&c.
Expect.	$\frac{b}{a}$.	$\frac{ce}{aa}$.	$\frac{bcf}{a3}$.	$\frac{ccef}{a4}$.	$\frac{bccff}{a5}$.	$\frac{c3eff}{a6}$.	$\frac{bc3f3}{a7}$.	$\frac{c4ef3}{a8}$.	&c.

Quòd si nunc in primi, tertii, quinti & reliquorum imparibus numeris designatorum Collusorum locum unum solum mente substituam; meque ipsum in locum secundi, quarti, sexti, & cæterorum, qui in pari graduum numero sunt collocati, constabit hunc ipsum fore casum præsentis quæstionis, atque insuper expectationes utriusque nostrûm æquari debere expectationibus simul sumtis omnium illorum collusorum, in quorum locum suffecti sumus. Sors itaque mea exprimetur per $\frac{ce}{aa}+\frac{ccef}{a4}+\frac{c3eff}{a6}+\frac{c4ef3}{a8}$ &c. & collusoris mei sors per $\frac{b}{a}+\frac{bcf}{a3}+\frac{bccff}{a5}+\frac{bc3f3}{a7}$ &c. series scil. infinitas quantitatum geometricè progredientium in ratione aa ad cf, & quarum prior summam conficit $\frac{ce}{aa-cf}$, posterior $\frac{ab}{aa-cf}$: sic ut sors mea ad sortem illius se habeat, ut ce ad ab, seu restitutis valoribus lit. a, b, c & e, ut 31 ad 30, planè ut suprà.

APPENDIX.

Coronidis loco Auctor Tractatui suo subjunxit sequentia quinque Problemata, sed omissâ analysi vel demonstratione, quam Lectori eruendam reliquit. Hanc itaque nos partim hîc supplere, partim in Librum secundum rejicere coacti sumus.

PROBLEMA I.

A & B unà ludunt duabus tesseris, hâc conditione, ut A vincat, si senarium jaciat, at B si septenarium jaciat. A primò unum jactum instituat; deinde B duos jactus consequenter; tum rursùs A duos jactus, atque sic deinceps, donec hic vel ille victor evadat. Quæritur ratio sortis ipsius A ad sortem ipsius B? Resp. ut 10355 ad 12276.

Solutio: Ponamus, ſortem ipſius A valere t, tum cùm ludere incipit; at cùm ordo jaciendi colluſorem B tangit, x: cùm B ſemel luſit, y: cùm bis, hoc eſt, cùm ludendi vices ad ipſum A redeunt, z. Quoniam enim omnes iſtæ ſortes differentes ſunt & incognitæ, earumque præcedens quælibet à ſequente & poſtrema viciſſim à primâ dependet, uti ex ſubjunctâ operatione conſtabit, non poterit Problema iſtud Auctoris ſaltem methodo, per ea quæ ad Propoſ. ult. annotata ſunt, aliter quàm mediante analyſi algebraïcâ expediri. Primò itaque quia in 36 jactibus duarum teſſerarum reperiuntur 5, qui ipſi A ſenarium dare, eumque ludi victorem reddere poſſunt; & 31 jactus, qui ordinem jaciendi in colluſorem B transferunt; habebit A, tum cùm ludum inchoat, 5 caſus ad obtinendum a (id quod depoſitum eſt) & 31 ad obtinendum x; id quod per ſæpiùs laudatam Propoſ. valet $\frac{5a+31x}{36}$: cùm autem eadem à principio ſors vocata fuerit t, erit propterea $t \infty \frac{5a+31x}{36}$. Deinde cùm ordo ludendi tangit colluſorem B, habet A 6 caſus ad obtinendum nihil (quandoquidem 6 ſunt jactus 7 punctorum, qui adverſario ejus favent) & 30 caſus ad acquirendum y, quod ſortem ipſi parit $\frac{5}{6}y$. Eademmet verò ſors ſuprà nobis dicta fuit x; quare $x \infty \frac{5}{6}y$. Porrò cum colluſor B, abſoluto primo jactu alterum aggreſſurus eſt, habet A ob eandem rationem 6 caſus ad 0, & 30 ad ſortem ſequentem z; & ſiquidem obtinere tum etiam ſupponatur y, erit $y \infty \frac{5}{6}z$. Denique vicibus ludendi ad ipſum A revertentibus, quo caſu ejus expectationem z vocamus, habet is 5 caſus ad a, ſi nempe ſenarium jaciat, & 31 caſus ad obtinendam ſortem priſtinam t, ſi ſecùs eveniat; quandoquidem tunc colluſores in eo ſtatu erunt, in quo fuerant à principio, dum ipſi A unus ſupereſt jactus, quem excipere debent duo jactus à B inſtituendi, & hos duo alii ab A, atque ita deinceps, omnino ſicut ab initio: conſtat autem 5 caſus ad a, & 31 ad t valere $\frac{5a+31t}{36}$; quocirca $z \infty \frac{5a+31t}{36}$. Inventis hâc ratione tot æquationibus, quot ſuppoſitæ fuerunt literæ incognitæ, oportet à poſtremis ad primas retrogredi, ſubſtituendo valorem z per ultimam

mam repertum in proximè præcedente, ut habeatur $y \infty \frac{25a + 155t}{216}$; & hunc valorem in antepenultimâ, ut fiat $x \infty \frac{125a + 775t}{1296}$; ac tandem valorem iſtum in primâ; quâ ratione ſors quæſita habetur $t \infty \frac{10355a}{22631}$, & relinquetur pro ſorte colluſoris B $\frac{12276a}{22631}$. unde ſors A ad ſortem B erit, ut 10355 ad 12276; uti Auctor invenit.

Idem verò etiam aliquantò compendioſiùs inveſtigari poteſt, adhibitis tantùm tribus literis incognitis t, x & z, prætereundo ſortem y, quam acquirit A, poſtquàm B uno jactu defunctus eſt. Ex Annot. Propoſ. XI. conſtat, quòd ſors ejus, qui duobus jactibus ſemel ſeptenarium jacere ſuſciperet, eſſet $\frac{11}{36}$ depoſiti (quippe cùm a numerus omnium jactuum, ad c numerum eorum quibus non obtinetur ſeptenarins, eſt in ratione 6 ad 5; & propterea $\frac{aa - cc}{aa} \infty \frac{11}{36}$) unde, per ea quæ ibid. ad lit. I. monuimus, concludendum, 11 eſſe caſus, quibus colluſor B ludendi vicibus ad ſe devolutis alterutro ſuorum jactuum ſeptenarium jaciat & vincat, ipſeque A nihil acquirat; & 25 alios, quibus id neutro jactuum præſtet, ludendique ordo inde ad A reverſus huic ſortem z pariat; id quod ipſi A, qui eo ſtatu poſſidere ſupponitur x, tantundem valet ac ſi haberet $\frac{25z}{36}$; adeò ut $x \infty \frac{25z}{36}$. Cæteris enim poſitis ut priùs, ſi valor ipſius z ſuprà inventus hìc ſubſtituatur, invenietur ut ibi $x \infty \frac{125a + 775t}{1296}$, & conſequenter $t \infty \frac{10355}{22631}a$.

Atque hinc perſpicitur methodus Auctoris, quam imitari convenit in omnibus ſimilibus ſortitionibus & ludis aleæ, in quibus plures continuò ſortes incognitæ ſe mutuò excipiunt, dummodò poſt jactus aliquot priſtina recurrat rerum facies, eædemque revertantur ſortes incognitæ, quas aleatores ab initio ludi habuêre. Sed non tam facilè apparet, quo pacto illa Problemata tractanda ſint, in quibus ludum proſequendo ſortes nunquam in orbem redeunt, ſed ſubinde aliæ novæ prodeunt à prioribus diverſæ & æquè ignotæ, idque in infinitum; cujuſmodi quidem nulla in hoc Auctoris Tractatu habentur. Eorum aliqua propoſui olim in Ephemer.

Erud. Gall. 1685. art. 25, ſpe fretus fore, ut nonnemo illorum ſolutionem aggredi dignaretur, quam cùm toto quinquennio nemo dediſſet, ipſemet poſteà in Actis Erud. Lipſ. m. Maj. 1690. communicavi, ſecuto mox etiam fundamento ſolutionis ab ingenioſiſſimo Leibnitio ibid. m. Jul. ejusdem anni occultiùs exhibito, quod ego nunc apertiùs exponam. Prius autem oſtendam, quo pacto per illud præſens Auctoris Problema ſolvatur; nec enim differt hoc fundamentum ab eo, quo ad ſolutionem quoque præced. Propoſ. in annotat. fui uſus, eâdemque promiſcuè facilitate applicatur ad quæſtiones, in quibus eædem perpetuò expectationes in circulum redeunt, & in quibus nulla talis earum datur apocataſtaſis, hoc ſolo diſcrimine, quòd in prioribus ad ſeries infinitas unam pluresve, quarum ſummæ unâ aliquâ quantitate exprimi poſſunt; in poſterioribus verò ad alias ſeries haud æquè ſummabiles nos deducat.

Supponamus infinitos luſores, qui ſinguli ad ſingulos ſucceſſivè jactus admittantur, & quorum primus, quartus & quintus, octavus & nonus, & ſic porrò intermiſſis duobus ſemper duo ſequentes, ſenarii jactu: cæteri, ſecundus & tertius, ſextus & ſeptimus &c. ſeptenarii jactu vincere poſſint. Ac tum per Regulam annot. Prop. XII. annexam quærantur ſingulorum expectationes, quæ ſumto valore lit. a, b, c, e & f, ut in annot. præc. Prop. ita habebunt:

Coll.	I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	VII.	VIII.	IX.	X.	XI.	XII.	&c.
	A.	B.	B	A	A	B	B	A	A	B	B	A	
Exp.	$\frac{b}{a}$.	$\frac{ce}{aa}$.	$\frac{cef}{a^3}$.	$\frac{bcff}{a^4}$.	$\frac{bccff}{a^5}$.	$\frac{c^3eff}{a^6}$.	$\frac{c^3ef^3}{a^7}$.	$\frac{bc^3f^4}{a^8}$.	$\frac{bc^4f^4}{a^9}$.	$\frac{c^5ef^4}{a^{10}}$.	$\frac{c^5ef^5}{a^{11}}$.	$\frac{bc^5f^6}{a^{12}}$.	&c.

ſubſtitutis igitur in locum omnium eorum, qui ſenario vincunt, uno ſolo colluſore A; & in locum eorum, qui ſeptenario vincunt, uno ſolo B, habebimus caſum præſentis Problematis, indeque concludemus, ſortem ipſius A fore $\frac{b}{a} + \frac{bcff}{a^4} + \frac{bccff}{a^5} + \frac{bc^3f^4}{a^8} + \frac{bc^4f^4}{a^9} + \frac{bc^5f^6}{a^{12}}$ &c. & ſortem ipſius B, $\frac{ce}{aa} + \frac{cef}{a^3} + \frac{c^3eff}{a^6} + \frac{c^3ef^3}{a^7} + \frac{c^5ef^4}{a^{10}} + \frac{c^5ef^5}{a^{11}}$ &c. Et quia in utrâque hâc ſerie termini locorum tum

parium

parium tum imparium ſeparatim accepti Geometricas progreſſiones conſtituunt decreſcentes in ratione $\frac{ccff}{a^4}$, liquet hinc etiam ambarum ſummas in poteſtate haberi. Reperitur autem ſumma prioris ſeriei $\frac{a^3b + bcff}{a^4 - ccff}$, & poſterioris $\frac{aace + acef}{a^4 - ccff}$; ſic ut ratio ſortis A ad ſortem B ſit, ut $a^3b + bcff$ ad $aace + acef$, hoc eſt (factis $a = 36$, $b = 5$, $c = 31$, $e = 6$, & $f = 30$) ut 372780 ad 441936, ſeu ut 10355 ad 12276, prorsùs ut ſuprà.

Sequuntur nunc exempla talium quæſtionum, ubi nulla datur ſortium apocataſtaſis: Sint duo Colluſores A & B certatim ludentes duabus teſſeris eâ lege, ut qui primus ſeptenarium jecerit vincat. Quæruntur eorum expectationes, ſi ludere debeant hoc ordine

I. A ſemel, B ſemel, A bis, B ſemel, A ter, B ſemel, A quater, B ſemel &c.
II. A ſemel, B ſemel, A ſemel, B bis, A ſemel, B ter, A ſemel, B quater &c.
III. A ſemel, B ſemel, A bis, B bis, A ter, B ter, A quater, B quater &c.
IV. A ſemel, B bis, A ter, B quater, A quinquies, B ſexies, A ſepties &c.

Hîc methodus analytica Auctoris nil proficit, ſed mea, eâdem quâ anteà facilitate quæſitum determinat. Loco duorum alternis ludentium A & B fingo rurſus luſores infinitos, quibus ſingulis ſinguli tantùm concedantur jactus, & quæro ſingulorum expectationes. Reperitur autem per Coroll. 1. Regulæ ad Prop. XII. notatæ, ob numeros caſuum a, b & c eosdem in omnibus aleis, expectatio cujusvis generaliter $\frac{b^m c^{n-m}}{a^n}$, ubi m numerus jactuum, quibus ſeptenarius (unus b caſuum) præſtandus eſt, perpetuò valet 1; & n numerus omnium ab initio jactuum ſucceſſivè valet 1, 2, 3, 4 &c. his ergò ſubſtitutis ſequens naſcetur laterculus

Coll.	I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	VII.	VIII.	IX.	X.	XI.	XII.	XIII.	XIV.	XV.	&c.
	A	B	B	A	A	A	B	B	B	B	A	A	A	A	A	
Exp.	$\frac{b}{a}$	$\frac{bc}{aa}$	$\frac{bcc}{a^3}$	$\frac{bc^3}{a^4}$	$\frac{bc^4}{a^5}$	$\frac{bc^5}{a^6}$	$\frac{bc^6}{a^7}$	$\frac{bc^7}{a^8}$	$\frac{bc^8}{a^9}$	$\frac{bc^9}{a^{10}}$	$\frac{bc^{10}}{a^{11}}$	$\frac{bc^{11}}{a^{12}}$	$\frac{bc^{12}}{a^{13}}$	$\frac{bc^{13}}{a^{14}}$	$\frac{bc^{14}}{a^{15}}$	&c.

tum loco horum colluſorum repono duos A & B, utrique ea aſſignando loca, quæ juxta quæſtionis tenorem illi competunt, tandemque

demque expectationes omnes his locis respondentes summatim colligo, ad constituendas expectationes totales utriusque. Sic quia juxtà conditionem exempli 4[ti] ipsi A debetur jactus primus, deinde 4[tus], 5[tus], 6[tus], porrò 11, 12, 13, 14, 15[tus], & sic deinceps, hinc expectationes collusorum his numeris designatorum, primi, 4[ti], 5[ti], 6[ti] &c. in peculiarem seriem compingo; atque expectationes 2[di], 3[tii], 7[mi], & reliquorum, in quorum locum B succedit, in aliam seriem; quo pacto fiet sors ipsius A $\infty\ \frac{b}{a}+\frac{bc^3}{a^4}+\frac{bc^4}{a^5}+\frac{bc^5}{a^6}+\frac{bc^{10}}{a^{11}}+\frac{bc^{11}}{a^{12}}+\frac{bc^{12}}{a^{13}}+\frac{bc^{13}}{a^{14}}+\frac{bc^{14}}{a^{15}}+$ &c. & sors ipsius B $\infty\ \frac{bc}{aa}+\frac{bcc}{a^3}+\frac{bc^6}{a^7}+\frac{bc^7}{a^8}+\frac{bc^8}{a^9}+\frac{bc^9}{a^{10}}+\frac{bc^{15}}{a^{16}}+\frac{bc^{16}}{a^{17}}+\frac{bc^{17}}{a^{18}}+$ &c. indeque porrò, eliminando b ubique, & ejus loco surrogando $a-c$, sors A $\infty\ 1-\frac{c}{a}+\frac{c^3}{a^3}-\frac{c^6}{a^6}+\frac{c^{10}}{a^{10}}-\frac{c^{15}}{a^{15}}$ &c. ut & sors B $\infty\ \frac{c}{a}-\frac{c^3}{a^3}+\frac{c^6}{a^6}-\frac{c^{10}}{a^{10}}+\frac{c^{15}}{a^{15}}$ &c. prioris complementum ad unitatem.

Idem adhuc aliter ita elicio: Pono denuò loco duorum A & B, infinitos lusores A, B, C, D, E, F, G, &c. sed unicuique eorum tot jactus continuè instituendos tribuo, quot pro tenore quæstionis conceduntur alterutri A vel B, quoties ludendi ordo de novo ipsum tangit. Verbi gratiâ, in exemplo antè allato quarto, pro eo quòd A ludere debet semel, B bis, hinc iterum A ter, B quater &c. concipio A ludere debere semel, B bis, alium C ter, alium D quater &c. tum separatim uniuscujusque sortem investigo, attendendo ad numerum jactuum cùm ab ipso instituendorum, tum etiam ab iis simul omnibus, qui eum ludendo præcedere debent; quod nullo negotio fit, postquàm jam supra in annotatis Propos. XI. (positis illorum numero n & horum s) sortem hanc generaliter ostendimus esse $\frac{a^n c^s - c^{n+s}}{a^{n+s}}\ \infty\ \frac{c^s}{a^s}-\frac{c^{n+s}}{a^{n+s}}$; sumtis enim in 4[to] exemplo pro n ordine numeris 1, 2, 3, 4 &c. & pro s numeris 0, 1, 3, 6, 10 &c. ceu summis ipsorum 1, 2, 3, 4 &c. ab initio collectis, emergent statim singulorum sortes, ut sequitur

Collus.	A.	B.	C.	D.	E.	F.	G.	&c.
Sortes:	$1-\frac{c}{a}$.	$\frac{c}{a}-\frac{c^3}{a^3}$.	$\frac{c^3}{a^3}-\frac{c^6}{a^6}$.	$\frac{c^6}{a^6}-\frac{c^{10}}{a^{10}}$.	$\frac{c^{10}}{a^{10}}-\frac{c^{15}}{a^{15}}$.	$\frac{c^{15}}{a^{15}}-\frac{c^{21}}{a^{21}}$.	$\frac{c^{21}}{a^{21}}-\frac{c^{28}}{a^{28}}$.	&c.

quo

quo facto nil superest aliud, quàm ut omnium lusorum in locis imparibus A, C, E, G &c. nec non omnium in paribus B, D, F &c. expectationes in unam summam colligantur ad producendas, quas antea, expectationes unius A & unius B alternatim ludentium, utpote quas summis illis æquari debere quivis per se videt. Nec differret operatio, si tres, quatuor pluresve collusores, in quæstione supponerentur.

Utrovis autem horum modorum etiam cæterarum quæstionum exempla solvuntur. Solutiones omnium sic habent (sumto compendii gratiâ $m \infty \frac{c}{a}$:

In qu. I. sors. $A \infty 1 - m + m^2 - m^4 + m^5 - m^8 + m^9 - m^{13} + m^{14} - m^{19} + \&c.$
$B \infty + m - m^2 + m^4 - m^5 + m^8 - m^9 + m^{13} - m^{14} + m^{19} - \&c.$
II . . $A \infty 1 - m + m^2 - m^3 + m^5 - m^6 + m^9 - m^{10} + m^{14} - m^{15} + \&c.$
$B \infty + m - m^2 + m^3 - m^5 + m^6 - m^9 + m^{10} - m^{14} + m^{15} - \&c.$
III . . $A \infty 1 - m + m^2 - m^4 + m^6 - m^9 + m^{12} - m^{16} + m^{20} - m^{25} + \&c.$
$B \infty + m - m^2 + m^4 - m^6 + m^9 - m^{12} + m^{16} - m^{20} + m^{25} - \&c.$
IV . . $A \infty 1 - m + m^3 - m^6 + m^{10} - m^{15} + m^{21} - m^{28} + m^{36} - m^{45} + \&c.$
$B \infty + m - m^3 + m^6 - m^{10} + m^{15} - m^{21} + m^{28} - m^{36} + m^{45} - \&c.$

Singulæ hæ sortes exprimuntur, ut videre est, per seriem aliquam infinitam, in quâ signa + & — perpetuò alternant, & cujus termini ex serie hâc continuè proportionalium $1 . m . m^2 . m^3 . m^4 . m^5$ &c. per saltus inæquales sunt excerpti, quod impedit illius summationem absolutam; Sed facilis est approximatio in numeris quantumlibet exactis. Sic positis $a \infty 36$, numero omnium casuum in tesseris duabus, & $c \infty 30$ numero eorum quibus non obtinetur præscriptus septenarius, adeoque $\frac{c}{a}$ seu $m \infty \frac{30}{36} \infty \frac{5}{6}$, reperitur sors ipsius A in primo exemplo $\frac{71931}{100000}$, in 2do $\frac{40058}{100000}$, in 3^{tio} $\frac{59679}{100000}$, in 4to $\frac{52392}{100000}$; ubique non unâ centies millesimâ parte major minorve, ac proinde ratio sortis A, ad sortem B in 1mo ut 71931 ad 28069, in 2do ut 40058 ad 59942, in 3^{tio} ut 59679 ad 40321, in 4to ut 52392 ad 47608.

Cæterùm qui examinabit indices potestatum quantitatis m, quæ

quæ terminos harum ſerierum conſtituunt, deprehendet illorum differentias ubique coïncidere cum ipſis numeris jactuum, qui colluſoribus A & B juxtà quæſtionis tenorem alternatim inſtituendi ſunt: Ita in primâ ſerie $1 - m + m^2 - m^4 + m^5 - m^8 + m^9$ &c. indices poteſtatum ordine ſunt 0, 1, 2, 4, 5, 8, 9 &c. & indicum differentiæ 1, 1, 2, 1, 3, 1 &c. præciſè reſpondentes numeris jactuum, quos hypotheſis primæ quæſtionis requirit, quippe quæ ipſi A 1, B 1, A 2, B 1, A 3, B 1 &c. jactus ordine tribuit. Operæ pretium autem eſt obſervare, hoc adeò generale eſſe, ut etiam valeat in iis exemplis, in quibus duobus alternatim ludentibus numeri jactuum aſſignantur, quales fortuitò è calamo ſcribentis fluere poſſunt, nullâ certâ & conſtante ratione progredientes; cùm iſta conſideratio regulam nobis ſuppeditet amborum ſortes momento exhibendi, quæ talis:

Regula pro cognoſcendâ ſorte duorum certatim ludentium, donec alteruter eorum vincat, quando utrique alternis vicibus aliquot aleæ jactus continuè inſtituendi conceduntur ſecundùm quosvis numeros datos & in infinitum continuatos.

(Pono autem eosdem regnare numeros caſuum ſeu eundem manere valorem quantitatis $\frac{c}{a}$ vel m in omnibus aleis.)

SCribantur ordine primò dati numeri jactuum utrique conceſſorum, dein ſummæ eorum ab initio collectæ; tum ſummæ hæ fiant indices totidem poteſtatum quantitatis *m*, quibus per ſigna + & — alternatim connexis habetur expectatio primi ludentis; omiſſâ verò unitate quæ ſemper primus ſeriei terminus eſt, ſignisque cæterorum inverſis habetur expectatio colluſoris. Ex. gr. Si alternatim inſtituere jubeantur, ipſe A jactus tres, B unum, A 4, B 1,

B 1, A 5, B 9, & ſic deinceps in infinitum, putà ſecundùm numeros Cyclometricos Ludolfi, qui nullâ determinatâ lege progrediuntur, erunt ordine numeri jactuum -- 3 1 4 1 5 9 2 6 5 &c. horumque ſummæ ab initio collectæ, 0, 3, 4, 8, 9, 14, 23, 25, 31, 36, &c. ac proinde ſors ipſius

A, $1 - m^3 + m^4 - m^8 + m^9 - m^{14} + m^{23} - m^{25} + m^{31} - m^{36} +$ &c.
B, $+ m^3 - m^4 + m^8 - m^9 + m^{14} - m^{23} + m^{25} - m^{31} + m^{36} -$ &c.

Nota, ſi numerus omnium jactuum ſit limitatus, ultra quem etſi neuter adhuc vicerit ludere prohibeantur, eadem regula valebit, niſi quòd ultimus terminus, cujus exponens ex omnium jactuum ſummâ conflatur, in illâ ſerie in quâ ſignum + habet redundat, adeoque abjiciendus, quo fit, ut expectationes amborum ſimul ſumptæ eodem illo termino deficiant ab unitate. Sic in præced. exemplo ſi poſt ultimò adſcriptum quinarium, h. e. poſt jactum 36tum eſſet ſubſiſtendum, fieret

ſors A, $1 - m^3 + m^4 - m^8 + m^9 - m^{14} + m^{23} - m^{25} + m^{31} - m^{36}$.
ſors B, $+ m^3 - m^4 + m^8 - m^9 + m^{14} - m^{23} + m^{25} - m^{31}$.
adeoque amborum ſimul $1 - m^{36}$.

PROBLEMA II.

TRes Colluſores A, B & C aſſumentes 12 calculos, quorum 4 albi & 8 nigri exiſtunt, ludunt hâc conditione: ut, qui primus ipſorum velatis oculis album calculum elegerit, vincat; & ut prima electio ſit penès A, ſecunda penès B, & tertia penès C, & tum ſequens rurſus penès A, atque ſic deinceps alternatim. Quæritur, quænam futura ſit ratio illorum ſortium?

Senſus hujus Problematis ambiguus eſt, unde variis quoque ſolutionibus locus. Vel enim ſupponitur, electos c lculos poſt ſingulas electiones in urnam recondendos eſſe, priusquàm ſequens eligit, ſic ut numerus eorum perpetuò maneat idem; vel non eſſe recondendos, ſic ut eorum numerus continuò decreſcat: deinde

ſupponi poteſt, vel à ſingulis aſſumptos eſſe 12. calculos, vel ab univerſis in commune.

I. Si calculi poſt ſingulas electiones ſint recondendi (quo quidem ſenſu nil intereſt, ſive in commune ſeu à ſingulis 12 calculi aſſumpti fuerint) quæſitæ colluſorum ſortes hâc ratione inveſtigantur:

1. *Methodo Auctoris.* Vocetur ſors primi x, ſecundi y, tertii z. Jam primus A cùm ludere incipit, 4 habet caſus ad vincendum ſeu obtinendum depoſitum, (ob 4 calculos albos), & 8 caſus (ob 8 nigros), quibus perdit ſuam præcedentiam & transfertur in ſtatum tertii, adeoque acquirit ſortem z; quod valet $\frac{4+8z}{12} \infty \frac{1+2z}{3}$; ac proinde ſors primi $x \infty \frac{1+2z}{3}$. Ob eandem rationem habet ſecundus B, cùm primus ludum inchoat, 4 caſus ad obtinendum nihil, & 8 caſus ad acquirendam præcedentiam, quâ transfertur in ſtatum primi acquiritque ſortem x; quod valet $\frac{8}{12}x \infty \frac{2}{3}x$, quare ſecundi ſors $y \infty \frac{2}{3}x$. Pariter quoque tertius C à principio habet 4 caſus ad nihilum, & 8 ad obtinendum ſecundum eligendi locum ſive ſecundi ſortem y; quod tantundem eſt ac $\frac{2}{3}y$; quocircà tertii ſors $z \infty \frac{2}{3}y$, hoc eſt, $y \infty \frac{3}{2}z$; & quia y etiam reperta fuit $\infty \frac{2}{3}x$, habetur $\frac{3}{2}z \infty \frac{2}{3}x$, hoc eſt, $z \infty \frac{4}{9}x$, qui valor ipſius z in primâ æquatione $x \infty \frac{1+2z}{3}$ ſubſtitutus exhibet $x \infty \frac{1}{3} + \frac{8}{27}x$, hoc eſt, $x \infty \frac{9}{19}$: unde porrò invenitur y $(\frac{2}{3}x)$ $\infty \frac{6}{19}$; & z $(\frac{2}{3}y)$ $\infty \frac{4}{19}$; ac propterea ratio ſortium x, y & z, ut 9. 6. 4.

2. *Methodo noſtrâ.* Poſito generaliter calculorum omnium numero a, alborum b, nigrorum c, concipiantur, ut jam ſæpiùs factum, infiniti colluſores, qui præſcriptâ conditione ludant, unusque poſt alterum calculum educat & reponat; erunt rurſus per Cor. 1. Reg. ad Prop. XII. exhibitæ propter invariatum manentem in omnibus electionibus alborum & nigrorum numerum, expectationes ſingulorum colluſorum ſequentes:

Coll.

Coll. I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	VII.	VIII.	IX.	X.	XI.	XII.	XIII.	XIV.	XV.	&c.
A	B	C	A	B	C	A	B	C	A	B	C	A	B	C	
Exp. $\frac{b}{a}$	$\frac{bc}{aa}$	$\frac{bcc}{a^3}$	$\frac{bc^3}{a^4}$	$\frac{bc^4}{a^5}$	$\frac{bc^5}{a^6}$	$\frac{bc^6}{a^7}$	$\frac{bc^7}{a^8}$	$\frac{bc^8}{a^9}$	$\frac{bc^9}{a^{10}}$	$\frac{bc^{10}}{a^{11}}$	$\frac{bc^{11}}{a^{12}}$	$\frac{bc^{12}}{a^{13}}$	$\frac{bc^{13}}{a^{14}}$	$\frac{bc^{14}}{a^{15}}$	&c.

unde cùm per hypoth. prima, 4ta, 7ma, 10ma &c. electiones ſint penès A; 2da, 5ta, 8va, 11ma &c. penès B; 3tia, 6ta, 9na, 12ma &c. penès C; additis colluſorum his locis reſpondentium expectationibus in unam ſummam, habetur expectatio unius

$$\left.\begin{array}{l} A \propto \frac{b}{a} + \frac{bc^3}{a^4} + \frac{bc^6}{a^7} + \frac{bc^9}{a^{10}} + \frac{bc^{12}}{a^{13}} + \&c. \\ B \propto \frac{bc}{aa} + \frac{bc^4}{a^5} + \frac{bc^7}{a^8} + \frac{bc^{10}}{a^{11}} + \frac{bc^{13}}{a^{14}} + \&c. \\ C \propto \frac{bcc}{a^3} + \frac{bc^5}{a^6} + \frac{bc^8}{a^9} + \frac{bc^{11}}{a^{12}} + \frac{bc^{14}}{a^{15}} + \&c. \end{array}\right\} \text{ob progr. geom.} \left\{\begin{array}{l} \propto \frac{aab}{a^3 - c^3}, \\ \propto \frac{abc}{a^3 - c^3}, \\ \propto \frac{bcc}{a^3 - c^3}, \end{array}\right.$$

adeoque ratio ſortium, ut $aa.\ ac.\ cc$, id eſt, hîc (ob $a.\ c :: 12.\ 8 :: 3.\ 2$) ut $9.\ 6.\ 4$ ut anteà. Nota, ſi quæſtio proponeretur in colluſoribus quatuor, ſortes eorum eodem pacto repertum iri ſe habere, ut $a^3.\ aac.\ acc.\ c^3$; & ſi generaliter in colluſoribus n, ut $a^{n-1}.\ a^{n-2}c.\ a^{n-3}cc.$ &c. pergendo ſemper in ratione continuâ a ad c.

II. Si porrò ſenſus Problematis ſit, ut aſſumpti in commune calculi 12 non reponantur, poſtquàm ex urnâ exempti fuerint; obſervandum eſt, quòd per continuam eductionem calculorum nigrorum, primus quidem colluſor transeat in locum tertii, tertius in locum 2di, ſecundus in locum primi, non idcircò tamen pariter ſortes, quas ab initio ludi habuêre, invicem permutent, ut factum fuit in præc. hyp. ſed quod ſubinde alias novas & à prioribus diverſas ob mutatum calculorum numerum acquirant, easque tamen ſimpliciores quò plures calculi nigri educti fuerint, atque ita comparatas, ut tandem deſinant in ſortes omnino cognitas. Quapropter incipiendo conſuetâ Auctoris methodo ab omnium ſimpliciſſimis, & pergendo retrò per omnes intermedias, perveniemus ultimò ſolâ ſyntheſi utendo ad caſum in quæſtione propoſitum.

Hunc in finem ſupponamus, eductos jam eſſe 7 calculos nigros, adeoque proximum eligendi locum ipſi B deberi. Sic pri-

mus A nihil ampliùs expectabit; quandoquidem reliquorum alteruter B vel C ob residuum nigrum unicum necessariò album educet & vincet. Secundus verò B ob 4 albos 4 habebit casus ad vincendum, unumque ob residuum nigrum ad perdendum; quandoquidem si hunc eduxerit, tertius C infallibiliter vincet. Sed ob eandem rationem tertius C 4 habebit casus ad perdendum & unum ad vincendum. Unde colligimus, sortes trium A, B, C, eo casu fore 0, $\frac{4}{5}$, $\frac{1}{5}$.

Supponamus deinde, eductos esse nigros sex. Sic habebunt, primus quidem A, quem proximus tunc ludendi ordo tangit, 4 casus ad vincendum, totidemque ad perdendum duo reliqui: omnes verò tres ob residuos duos nigros duos casus ad obtinendum præcedentes suas expectationes, quandoquidem altero horum educto unicus restat niger, ordoque ludendi ipsum B poscit, qui casus est præced. hypothesis. Unde sortes ipsorum nunc sunt $\frac{2}{3}$, $\frac{4}{15}$, $\frac{1}{15}$.

Fingamus porrò, eductos esse nigros quinque. Sic habebit tertius C, quem tangerent eligendi vices, ad vincendum; reliquique duo ad perdendum 4 casus: ob residuos autem tres nigros, quivis illorum etiam 3 habet casus ad expectationem suam modò inventam. Unde jam sortes ipsorum fiunt, $\frac{2}{7}$, $\frac{4}{35}$, $\frac{3}{5}$.

Rursus si educti concipiantur nigri quatuor, sic ut æqualis alborum & nigrorum numerus supersit, erit una medietas casuum pro B, utpote penès quem tunc proxima foret electio, eademque contra A & C; altera verò medietas omnes tres ad præcedentes expectationes promovebit. Unde nascuntur sortes $\frac{1}{7}$, $\frac{39}{70}$, $\frac{3}{10}$.

Eâdem ratione si educti sint nigri tres, inveniuntur sortes $\frac{11}{21}$, $\frac{13}{42}$, $\frac{1}{6}$.

Si nigri duo, $\frac{11}{35}$, $\frac{13}{70}$, $\frac{1}{2}$. Si niger unus, $\frac{1}{5}$, $\frac{53}{110}$, $\frac{7}{22}$.

Si denique nullus adhuc calculus eductus fuerit, quem solum casum primò intendimus, & propter quem præcedentes omnes expedire priùs oportuit, sortes collusorum A, B, C, simili modo reperiuntur $\frac{7}{15}$, $\frac{53}{165}$, $\frac{7}{33}$, sive ad idem nomen reductæ $\frac{77}{165}$, $\frac{53}{165}$, $\frac{35}{165}$; sic ut optata ratio sortium sit, ut 77, 53, 35.

Methodus porrò nobis familiaris etiam in præsente hypothesi

locum

locum habet; neque enim hanc magis reſpuunt eæ quæſtiones, quæ communiter ſolâ ſynthefi ſolvuntur, quàm quæ analyſi opus habent. Quoniam octo ſunt calculi nigri non reponendi, poſtquam educti fuerint, fingo novem eſſe colluſores, qui ſinguli ordine ſingulas electiones inſtituant; quo fiet ut unus eorum neceſſariò tandem album educat ac vincat. Nullus autem ſpem vincendi habere poteſt, niſi omnes ipſum præcedentes continuò nigros eduxerint; quocircà ſuppono horum numerum (cui caſuum numerus proportionatur) gradatim minui, atque poſt primam electionem ſupereſſe calculos nigros ſeptem, poſt 2dam ſex, poſt 3tiam quinque, & ſic deinceps; indeque ſingulorum colluſorum ſortes per Regulam Prop. XII. annexam elicio, juxta ſequentem laterculum:

Colluſ.	I.	II.	III.	IV.	V.	VI.
	A	B	C	A	B	C
Num. omn. cal. a	12	11	10	9	8	7
albor. b	4	4	4	4	4	4
nigr. c	8	7	6	5	4	3
Expectat.	$\frac{4}{12}$.	$\frac{4.8}{11.12}$.	$\frac{4.7.8}{10.11.12}$.	$\frac{4.6.7.8}{9.10\ldots12}$.	$\frac{4.5.6\ldots8}{8.9.10\ldots12}$.	$\frac{4.4.5\ldots8}{7.8.9\ldots12}$.

Colluſ.	VII.	VIII.	IX.
	A	B	C
Num. calc. omn. a	6	5	4
albor. b	4	4	4
nigr. c	2	1	0
Expect.	$\frac{4.3.4\ldots8}{6.7.8\ldots12}$.	$\frac{4.2.3\ldots8}{5.6.7\ldots12}$.	$\frac{4.1.2\ldots8}{4.5.6\ldots12}$.

tum, quia prima, 4ta & 7ma electiones debentur ipſi A; 2da, 5ta & 8va ipſi B; 3tia, 6ta & 9na ipſi C; expectationes colluſorum his numeris deſignatorum collectivè accipio, & habebo pro expectatione ipſius A, $\frac{4}{12} + \frac{4.6.7.8}{9.10.11.12} + \frac{4.3.4.5.6.7.8}{6.7.8.9.10.11.12}$; B, $\frac{4.8}{11.12} + \frac{4.5.6.7.8}{8.9.10.11.12} + \frac{4.2.3.4.5.6.7.8}{5.6.7.8.9.10.11.12}$; C, $\frac{4.7.8}{10.11.12} + \frac{4.4.5.6.7.8}{7.8.9.10.11.12} + \frac{4.1.2.3.4.5.6.7.8}{4.5.6.7.8.9.10.11.12}$; quæ fractiones omnes ad nomen commu-

ne 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12, reductæ numeratores nanciſcuntur ſequentes: 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11 + 4. 5. 6. 7. 8. 6. 7. 8 + 4. 5. 3. 4. 5. 6. 7. 8 ∞ 4. 5. 6. 7. 8 in 3. 4. 5 + 6. 7. 8 + 9. 10. 11, 4. 5. 6. 7. 8. 8. 9. 10 + 4. 5. 6. 7. 8. 5. 6. 7 + 4. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8 ∞ 4. 5. 6. 7. 8 in 2. 3. 4 + 5. 6. 7 + 8. 9. 10, 4. 5. 6. 7. 8. 9. 7. 8 + 4. 5. 6. 4. 5. 6. 7. 8 + 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8 ∞ 4. 5. 6. 7. 8 in 1. 2. 3 + 4. 5. 6 + 7. 8. 9, unde eliſo communi factore 4. 5. 6. 7. 8, ratio ſortium exurgit, ut 3. 4. 5 + 6. 7. 8 + 9. 10. 11, 2. 3. 4 + 5. 6. 7 + 8. 9. 10, 1. 2. 3 + 4. 5. 6 + 7. 8. 9, ſeu divid. per 6, ut 10 + 56 + 165 ∞ 231, 4 + 35 + 120 ∞ 159, 1 + 20 + 84 ∞ 105, rurſusque divid. per 3, ut 77, 53, 35, uti ſuprà. Et quia in numeris iſtis certam progreſſionis legem obſervamus, facile poſſemus regulam dare generalem pro numero colluſorum & calculorum quocunque, ſi tanti referret his immorari.

III. Tertio ſenſu acceptum Problema (cùm ſinguli trium colluſorum aſſumunt 12 calculos, aliusque poſt alium è ſuis unum depromit & non recondit) parùm differt à præcedente hypotheſi, niſi quòd ob auctum calculorum numerum multò prolixiorem operam depoſcit.

Supponamus primò, ipſis A & B nullum ampliùs ſupereſſe calculum nigrum, ipſi C verò adhuc unum, quem propterea eligendi vices tangent. Is propter 4 calculos albos & 1 nigrum, 4 habet caſus ad vincendum & unum ad perdendum; quandoquidem ſi hunc eduxerit, ipſe A cui non niſi albi ſuperſunt infallibiliter vincet: ſed & ob eandem rationem primus A viciſſim 4 habet caſus ad perdendum & unicum ad vincendum; ſecundo verò B nihil omninò relinquitur, eò quòd alterutri reliquorum neceſſariò cedet victoria. Unde colligitur, ſortes ipſorum A, B, C, fore $\frac{1}{5}$, 0, $\frac{4}{5}$.

Supponamus deinde, ipſi A reſtare nullum, & ſingulis reliquorum unum nigrum. Sic ipſe B, quem eligendi ordo tangit, 4 ad vincendum caſus habet, totidemque ad perdendum reliqui;

unus

unus verò casus est, qui unicuique illorum præcedentis casus expectationem affert; id quod ipsis A, B, C, sortem parit $\frac{1}{25}$, $\frac{4}{5}$, $\frac{4}{25}$.

Supponamus tertiò, singulis A, B & C, restare unum calculum nigrum. Sic A quem penès proxima electio est, 4 habebit ad vincendum, reliquique ad perdendum casus; unum verò, quo perducuntur omnes tres ad præcedentes suas expectationes. Unde nascuntur ipsis sortes $\frac{101}{125}$, $\frac{4}{25}$, $\frac{4}{125}$; quas inter ratio est, ut 101, 20, 4.

Eodem modo ulteriùs investigandum esset, quid deberetur collusoribus A, B & C, cùm ipsis restant calculi nigri, 1.1.2, 1.2.2, 2.2.2, 2.2.3, 2.3.3, 3.3.3, &c. quousque perveniretur ad casum propositum, qui singulis collusoribus 8 nigros calculos attribuit. Sed quia hæc sigillatim persequi supra modum tædiosum foret, idcircò ostendam, quo pacto quæsitum per saltum obtineri queat, inveniendo solummodò sortes illorum statuum, in quibus unicuique collusorum æqualis nigrorum calculorum numerus superest; quem numerum semper vocemus c, sicuti alborum b, & omnium $a \infty b+c$.

Oportet primò considerare omnes variationes, quæ accidere possunt cùm unusquisque collusorum unum calculum è suis depromit; perspicuum autem est fieri posse, ut vel omnes tres educant album calculum, vel duo tantùm, vel unus, vel nullus. Deinde attendendum, quot casus singulis harum variationum respondeant; quorum quidem numerus hoc modo initur: Si quis certaret fore, ut omnes tres educant album, ejus sors foret $\frac{b^3}{a^3}$: si futurum contenderet, ut duo A & B, vel duo A & C, vel B & C, album eligant & tertius nigrum, sortem haberet $\frac{bbc}{a^3}$: si propugnaret fore, ut solus A vel B vel C album eximat, reliqui nigrum, sortem possideret $\frac{bcc}{a^3}$: si denique nulli album concedere vellet, sortem obtineret $\frac{c^3}{a^3}$, (quæ omnia ex Cor. 1. Regulæ Prop. XII. subjunctæ patescunt, cùm tantundem hæc valeant, acsi ipse in æquali numero casuum tribus jactibus quippiam præcisè ter, aut bis, aut semel, præ-

præstandum aut planè non præstandum susciperet:) quamobrem, per ea quæ ad lit. I. Prop. XI. annotavimus, rejecto fractionum harum communi denominatore significabunt numeratores numeros casuum, quibus unusquisque horum eventuum contingere potest.

Tertiò denique observandum, quòd juxta tenorem Problematis primus A victoriâ potiri debeat, quotiescunque sive solus sive cum alterutro reliquorum sive cum utroque album calculum elegerit; secundus autem B, sive solus sive junctim cum C id præstiterit; & tertius C, non nisi cum solus id effecerit: quotiescunque verò evenerit, ut nullus trium album educat, quòd tunc singuli perveniant ad sortes, quas habere inventi sunt, cùm nigri uno pauciores ipsis superesse ponebantur. Quapropter additis in unum casibus, qui cuique tum favent tum adversantur, invenimus primum A habere $b^3+2bbc+bcc$ casus ad vincendum seu obtinendum depositum 1, & $bbc+2bcc$ casus ad perdendum; secundum B $bbc+bcc$ ad vincendum & $b^3+2bbc+2bcc$ ad perdendum; & tertium C bcc ad vincendum & $b^3+3bbc+2bcc$ ad perdendum: omnes verò tres habere c^3 casus, qui ipsos ad sortes jam anteà investigatas perducunt; quæ sortes si dicantur $\frac{p}{p+s+t}$. $\frac{s}{p+s+t}$. $\frac{t}{p+s+t}$; fiet per Prop. III. expectatio ipsius

$$A \infty \frac{\overline{b^3+2bbc+bcc}\text{ in }1+\overline{bbc+2bcc}\text{ in }0+c^3\text{ in }p:\overline{p+s+t}}{a^3}.$$

$$B \infty \frac{\overline{bbc+bcc}\text{ in }1+\overline{b^3+2bbc+2bcc}\text{ in }0+c^3\text{ in }s:\overline{p+s+t}}{a^3}.$$

$$C \infty \frac{bcc\text{ in }1+\overline{b^3+3bbc+2bcc}\text{ in }0+c^3\text{ in }t:\overline{p+s+t}}{a^3}.$$

hoc est, eliso communi nomine & factâ multiplicatione per $\frac{p+s+t}{c^3}$, erit ratio sortium ipsorum A, B, C, ut

$$\left.\begin{array}{r} b^3+2bbc+bcc \\ bbc+bcc \\ bcc \end{array}\right\} \text{ in } \frac{p+s+t}{c^3} \left\{\begin{array}{l} +p. \\ +s. \\ +t. \end{array}\right.$$

Quibus

Quibus ita præmiſſis, ut ad ſolutionem noſtri Problematis revertamur, ſupponendum porrò eſt, ſingulis colluſorum reſtare duos calculos nigros: Sic lit. b & c valebunt 4 & 2 (pro quibus ſubſtitui poſſunt minimi in eâdem ratione termini 2 & 1); & quia ratio ſortium in caſu præcedenti cùm ſingulis unus reſtabat calculus niger, quam literis p, s, t indigitamus, expreſſa fuit per numeros 101, 20, 4, quorum ſumma $p+s+t \infty 125$; hinc juxta præmiſſam formulam expeditè inveniuntur numeri 2351, 770, 254, exprimentes rationem ſortium, quas colluſores in caſu præſenti poſſident.

Eodem pacto, ſi ſingulis tres nigri ſupereſſe ſupponuntur; quo caſu lit. b & c valent 4 & 3, ipſæque p, s, t numeros modò inventos 2351, 770, 254; ratio ſortium reperitur deſignari per numeros 26851, 11270, 4754.

Si reſidui ſint ſingulis 4 nigri, ſic ut valor lit. b & c ſit 4 & 4 (hoc eſt, in minimis terminis 1 & 1) inveniuntur ſortes ſe habere in ratione 198351, 97020, 47629.

Si reſtent ſingulis nigri 5, hoc eſt, ſi lit. b & c valeant 4 & 5, habetur ratio ſortium in numeris 1087407, 590940, 322029; ſeu dividendo per 9, in 120823, 65660, 35781.

Si ſingulis ſuperſint nigri 6, adeoque valor lit. b & c ſit 4 & 6, ſeu 2 & 3; exprimetur ratio ſortium per 532423, 312620, 183957.

Si ſingulis adhuc remaneant nigri 7, ſic ut lit. b & c ſignificent 4 & 7, prodibit ratio ſortium in numeris 1984423, 1236620, 771957.

Si denique nullo adhuc calculo educto omnes 8 nigri ſingulis ſuperſint, literæque b & c valeant 4 & 8, hoc eſt, 1 & 2, qui quidem caſus is eſt, quem nobis enodandum propoſuimus, & cujus gratiâ præcedentes omnes expedire priùs neceſſum habuimus, invenimus, quòd optata ratio ſortium colluſorum A, B, C, deſignetur per numeros 6476548, 4231370, 2768457.

Applicationem methodi nobis uſitatæ ad hanc hypotheſin Lector ipſe ſi vult inſtituet. Nos illam brevitatis gratiâ præterimus.

PROBLEMA III.

A Certat cum B quòd ipſe ex 40 chartis luſoriis, id eſt, 10 cujusque ſpeciei, 4 chartas extracturus ſit; ita ut ex unaquâque ſpecie habeat unam. Et invenitur ratio ſortis A ad ſortem B ut 1000 ad 8139.

Solutio : Pone primò, jam tres diverſarum ſpecierum chartas extractas eſſe; quo facto ex unaquâque harum ſpecierum adhuc remanebunt 9, hoc eſt, ex omnibus tribus ſpeciebus 27 folia, & ex quartâ ſpecie 10. Unde conſtat, quòd quartum folium extracturus habeat 27 caſus ad perdendum, & 10 ad vincendum; id quod ipſi valet $\frac{10}{37}$ depoſiti.

Pone deinde, duas differentium ſpecierum chartas extractas eſſe; quâ ratione ex iisdem ſpeciebus adhuc reſtant folia 18, ſicut ex reliquis duabus folia 20. Quapropter tertium folium exempturus 18 caſus habet ad perdendum, & 20 ad obtinendum tres chartas diverſarum ſpecierum, hoc eſt, ad obtinendum præcedentem expectationem $\frac{10}{37}$; id quod ei ſortem parit $\frac{100}{703}$.

Pone tertiò, extractam eſſe unam chartam; ſic ex eâdem hâc ſpecie, cujus eſt extracta, ſuperſunt chartæ 9, ex reliquis verò tribus ſpeciebus chartæ 30. Idcircò ſecundum folium accepturus 9 habet caſus ad perdendum, & 30 ad acquirendum diverſæ ſpeciei folium, hoc eſt, ad impetrandam ſortem modò inventam $\frac{100}{703}$; id quod tantundem eſt ac ſi haberet $\frac{1000}{9139}$.

Si nulla adhuc charta extracta ſit, ſors extrahentis eadem eſt cum præcedente, manetque $\frac{1000}{9139}$; quoniam omnes 40 caſus ipſum neceſſariò in eum ſtatum conjiciunt, qui in paragrapho præced. ſuppoſitus fuit. Quare tum etiam ſors contracertantis erit $\frac{8139}{9139}$; & ratio ſortium, ut 1000 ad 8139, quemadmodùm habet Auctor.

Ejuſdem Problematis ſolutio etiam aliter per Combinationum doctrinam confici poteſt, uti parte tertiâ poſt hujus doctrinæ explicationem oſtendemus.

PRO-

PROBLEMA IV.

ASsumptis, ut ante, 12 calculis, 4 albis & 8 nigris, certat A cum B, quòd velatis oculis 7 calculos ex iis exempturus sit, inter quos 3 albi erunt. Quæritur ratio sortis ipsius A ad sortem ipsius B.

Etiam istud Problema in tertiam libri partem rejicere cogimur, quoniam ad ejus solutionem artis combinatoriæ notitia prærequiri videtur.

PROBLEMA V.

A & B assumentes singuli 12 nummos ludunt tribus tesseris hac conditione: ut, si 11 puncta jaciantur, A tradat nummum ipsi B; at si 14 puncta jaciantur, B tradat nummum ipsi A; & ut ille ludum victurus sit, qui primùm omnes habuerit nummos. Et invenitur ratio sortis ipsius A ad sortem ipsius B, ut 244140625 ad 282429536481.

Solutio: Considerandum primò, in tribus tesseris contineri 216 jactus diversos, & inter hos dari 15 jactus punctorum quatuordecim, & 27 jactus punctorum undecim; adeoque 15 casus esse in quolibet jactu, quibus efficitur ut aleator A à collusore B nummum accipiat, & 27 casus quibus contingit ut hic ab illo nummum consequatur; alios verò 174 casus, quibus uterque eundem nummorum numerum pristinamque proin sortem retinet.

Deinde attendendum, quòd illi 174 casus irriti, quibus collusorum sortes invariatæ manent, per 4 Coroll. 3. dissimulari possint ac si prorsùs abessent, inque tesseris tribus solummodò 42 reperirentur jactus, quorum 15 ipsum A nummo potiri faciant, & 27 ipsum B.

Tertiò & illud considerandum, quòd pro numeris casuum 42, 15 & 27, utpote compositis inter se substitui possint per 2

Cor. 3, minimi in eâdem ratione termini 14, 5 & 9; in quorum tamen rursus locum, ut generalior fiat solutio, nos literas a, b & c surrogamus.

Quibus animadversis in enodatione propositæ quæstionis ita deinceps progredior, ut inquiram ordine, quænam futuræ fuissent collusorum sortes, si singuli assumpsissent nummum unum, deinde si duos, posteà si tres, quatuor &c. quousque per inductionem pateat, quænam iis sortes nunc competant, ubi singuli assumserunt nummos 12.

Si singuli assumant nummum unum, perspicuum est, sortes eorum fore in ratione ipsorum numerorum b & c.

Si singuli accipiant nummos duos, primus jactus efficiet, ut collusor A vel 3 possideat nummos, vel ut unus tantùm ei supersit. Si tres possidet, habet b casus ad acquirendum omnes quatuor, hoc est, ad vincendum seu obtinendum depositum 1; & c casus, quibus ei relinquuntur nummi duo, hoc est, quibus revertitur ad sortem initiò positam, quam vocare lubet z; quod proin valet $\frac{b+cz}{a}$. Si unicus illi nummus superest, habet b casus ad recuperandum duos, hoc est, sortem z; & c casus ad perdendum ludum; id quod efficit $\frac{bz}{a}$. Atqui ut post primum jactum tres nummos numeret, rursus b sunt casus; c verò casus quibus ipsi unus tantùm relinquitur. Itaque ab initio b casus extant qui ei dent $\frac{b+cz}{a}$, & c qui dent $\frac{bz}{a}$; id quod sortem gignit $\frac{bb+2bcz}{aa}$: quare $z \propto \frac{bb+2bcz}{aa}$, sive $z \propto \frac{bb}{aa-2bc} \propto \frac{bb}{bb+cc}$, & relinquitur collusori B $\frac{cc}{bb+cc}$; adeò ut sortes ipsorum sint in ratione bb ad cc.

Si singuli assumant nummos tres, primo jactu continget, ut collusor A vel 4 nummorum compotem se videat, vel ut duorum tantùm; in quibus statibus expectationes ejus appellentur x & y. Si quatuor nummorum compos est, ulteriùs vel ipse primus ab altero duos nummos impetrabit ac vincet, vel ab ipso duos consequetur

quetur alter, sic ut ei relinquantur adhuc nummi duo: sed ut ipse primus duos proximos nummos consequatur, bb casus præstò sunt, & cc casus quibus idem alteri obtingit (uti ex eo quod modò ostensum est collato cum annot. Propos. XI. ad lit. I colligitur) quapropter bb casus habet ad 1, & cc casus ad sortem y, quod ei valet $\frac{bb+ccy}{bb+cc}$; cumque id ipsum etiam appellemus x, erit $x \propto \frac{bb+ccy}{bb+cc}$, seu $y \propto \frac{bbx+ccx-bb}{cc}$. Similiter cùm duo tantum ipsi restant nummi, bb casus habet ad recuperandum adhuc duos alios, hoc est, ad impetrandam sortem x, & cc casus ad perdendum suos & cum iis omne depositum; quod tantundem est ac si haberet $\frac{bbx}{bb+cc}$; cumque tum etiam habere supponatur y, fiet $y \propto \frac{bbx}{bb+cc}$; sed suprà inventa quoque $y \propto \frac{bbx+ccx-bb}{cc}$; quare $\frac{bbx+ccx-bb}{cc} \propto \frac{bbx}{bb+cc}$; atque hinc $x \propto \frac{b4+bbcc}{b4+bbcc+c4}$; nec non y ($\propto \frac{bbx}{bb+cc}$) $\propto \frac{b4}{b4+bbcc+c4}$. Quo facto demùm accedendum ad statum initiò positum, cogitandumque quòd ubi singuli tres nummos assumunt, b casibus contingere possit, ut collusor A post primum jactum 4 nummos possideat, hoc est, ut sortem x seu $\frac{b4+bbcc}{b4+bbcc+c4}$ acquirat; & c casibus, ut duos residuos habeat nummos, id est, ut sortem y sive $\frac{b4}{b4+bbcc+c4}$ consequatur. Unde tunc ejus expectatio fiet $\frac{b5+b4c+b3cc}{b5+b4c+b3cc+bbc3+bc4+c5} \propto$ (institutâ per $bb+bc+cc$ divisione) $\frac{b3}{b3+c3}$, & relinquetur collusori B $\frac{c3}{b3+c3}$; sic ut sortes eorum nunc sint in ratione b^3 ad c^3.

Quandoquidem igitur sortes collusorum A & B inveniuntur se habere in ratione simplici numerorum b & c, cùm à singulis unus nummus assumitur; & in ratione duplicatâ horum numerorum, cùm à singulis assumuntur duo; & in triplicatâ, cùm tres: factâ inductione colligimus, quòd acceptis etiam quotlibet nummis sortes istæ perpetuò futuræ sint in ratione toties multiplicatâ numerorum b & c, quot nummi à singulis fuerint assumpti; & quòd


per consequens in proposito Auctoris exemplo, ubi ab unoquoque 12 assumpti supponuntur, sortes hæ se habeant, ut b^{12} & c^{12}, hoc est, restituendo 5 & 9, pro b & c, ut 244140625 & 282429536481; quemadmodùm habet Auctor. Quod ipsum etiam vel absque calculo utcunque sic inferri potest: A habens omnes nummos præter unum habet b casus ad vincendum, & B habens omnes præter unum, habet c casus ad vincendum; dein A habens omnes nummos præter duos habet b casus ad obtinendum omnes præter unum, id est, ad b casus præcedentes, ideoque b vicibus b casus seu bb casus habet ad vincendum; & B habens omnes præter duos ob similem rationem habet cc casus ad vincendum: atque ita pro singulis nummis qui collusoribus ad vincendum desunt, præstò sunt ipsi A b, & ipsi B c casus, quibus ipsis accessus fit ad casus præcedentes; quare cùm ab initio ludi uterque habeat nummos 12, & proinde utrique totidem ad vincendum deficiant, numeri b & c duodecies positi ac in se ducti exhibebunt rationem sortium, ut anteà.

Quòd si quis tamen ratiocinium istud non sat evidentiæ habere existimet, neque etiam inductioni satis fidat, is deinceps simili compendio, quo Auctor in Propos. XI. usus fuit, progredi poterit, nempe transeundo statim ad nummos sex, & hinc ad duodecim, omissis omnibus intermediis casibus. Quanquam ne sic quidem ulteriori calculo indigemus; idem enim qui supra subductus habetur in hypothesi duorum assumtorum nummorum, etiam valet, si loco unius nummi quotlibet n nummos, & loco duorum in nummos assumtos intelligamus, dummodò pro numeris casuum b & c quibus alterutri collusorum unus nummus acquiritur vel deperditur substituamus quoque numeros casuum, quibus ille n nummos acquirere vel amittere potest; adeò ut hinc legitimè inferamus, rationem sortium quas habent collusores cùm singuli $2n$ nummos assumunt perpetuò duplicatam esse debere ejus quæ obtinet cùm singulis tantùm n nummi assumpti sunt. Quare cùm suprà in casu trium assumtorum nummorum ratio sortium reperta sit ut b^3 ad c^3, erit illa in casu nummorum 6 ut b^6 ad c^6, indeque porrò in casu nummorum 12 ut b^{12} ad c^{12}, quemadmodum inductione collegeramus.

Et

Et sic quidem liquet de sortibus collusorum, cùm ambo æquè multos nummos acceperunt; sed nondum constat de sortibus quas acquirunt in quolibet statu, in quem ludum prosequendo pervenire possunt, quando uni plures, alii pauciores nummi contigêre. Interim etiam pro istis regula generalis datur; posito namque m pro numero nummorum quos habet A, & n pro numero eorum quos habet B, reperio quòd ratio sortis A ad sortem B semper sit futura, si b & c æquantur, ut m ad n; sin c excedit b, ut $b^n c^m - b^{m+n}$ ad $c^{m+n} - b^n c^m$; quorum demonstratio, cùm operosiorem calculum deposcat, Lectori enodanda relinquitur. Nos verò absque ulteriore morâ ad alteram propositi nostri partem transimus.





ARTIS CONJECTANDI PARS SECUNDA,

continens

Doctrinam de Permutationibus & Combinationibus.

Procemium.




Nfinitam varietatem, quæ cùm in naturæ operibus, tùm in actionibus mortalium elucet, quæque præcipuam hujus Univerſi pulcritudinem conſtituit, non aliunde quàm ex diverſimodâ compoſitione, mixturâ & transpoſitione partium ejus inter ſe originem ducere palàm eſt. Sed quia multitudo rerum ad effectum aliquem producendum concurrentium ſæpenumerò tanta eſt tamque varia, ut difficillimum ſit recenſere vias omnes, quibus earundem compoſitio vel mixtura fieri vel non fieri poteſt, hinc fit ut nullum ſit vitium, in quod homines etiam maximè prudentes & circumſpecti frequentiùs incidant illo, quod Logici communiter appellant *inſufficientem enumerationem partium*; adeò quidem ut non

verear

verear dicere, hanc unicam ferè ſcaturiginem eſſe infinitorum eorumque graviſſimorum errorum, quos in ratiociniis noſtris circa res tum cognoſcendas tum agendas quotidie committimus. Quare merito ſuo utiliſſima cenſenda eſt Ars, *Combinatoria* dicta, quæ huic mentis noſtræ defectui medetur, docetque ſic enumerare modos omnes poſſibiles, ſecundùm quos res plures permiſceri, transponi vel conjungi invicem poſſunt, ut certi ſimus, nos nullum eorum prætermiſiſſe, qui inſtituto noſtro conducere valent. Quanquam enim hoc negotii eatenùs ſit conſiderationis Mathematicæ, quatenùs in ſubducendo calculo terminatur; ſi tamen uſum & neceſſitatem ſpectes, univerſale prorſus eſt & ita comparatum, ut ſine illo nec ſapientia Philoſophi, nec Hiſtorici exactitudo, nec Medici dexteritas, aut Politici prudentia conſiſtere queat. Argumento ſit hoc unicum, quòd omnis horum labor in *conjectando*, & omnis conjectura in trutinandis cauſarum complexionibus aut combinationibus verſatur. Unde quoque nonnulli eximii Viri, ac nominatim Schootenius, Leibnitius, Wallifius, Preſtetus, materiam hanc ſibi tractandam ſumpſêre, ne quis exiſtimet nova eſſe hîc omnia quæ prolaturi ſumus; tametſi quædam non contemnenda de noſtro adjecimus, inprimis demonſtrationem generalem & facilem proprietatis numerorum figuratorum, cui cætera pleraque innituntur, & quam nemo quod ſciam ante nos dedit eruitve. Cùm itaque nondum plenum Artis ſyſtema habeamus, tum verò ne illa quæ habemus aliunde petere ſit opus, viſum eſt totam Doctrinam ab ovo ordiri ac ne quid indemonſtratum relinquatur ex primis fundamentis eruere; quod tamen breviter fiet &

ſuccinctè, nec niſi in quantum inſtituti noſtri ratio exigere videtur. Totam Tractationem ad duo ſumma capita referimus, quorum unum Permutationum, alterum Combinationum doctrinam perſequitur; cui accedit tertium, quod utrasque mixtim contemplatur.



CAPUT I.

De Permutationibus.



Ermutationes rerum voco Variationes, juxta quas ſervatâ eâdem rerum multitudine ordo ſitusque inter ipſas diverſimodè permutatur.

Itaque ſi quæratur, quoties nonnullæ res transponi vel permiſceri invicem poſſint, ſic ut ſemper accipiantur omnes ſolo ordine ſituve mutato, dicentur quæri omnes Permutationes rerum illarum.

Res autem permutandæ vel omnes poſſunt eſſe diverſæ, vel aliquot earum eædem; quæ quidem per totidem Alphabeti literas ſive diverſas ſive easdem commodè deſignabuntur.

I. *Si res omnes permutandæ ſunt diverſæ:*

Cùm numerus permutationum in rebus pluribus iniri nequeat, niſi idem priùs in omnibus aliis numero paucioribus compertus habeatur, liquet in hâc inquiſitione utendum viâ ſyntheticâ, h. e. ordiendum nobis eſſe ab hypotheſibus omnium primis & ſimpliciſſimis:

Unius rei vel literæ *a*, una tantùm ſumtio vel poſitio eſt.

Duarum rerum aut literarum *a* & *b*, vel *a* præcedit & *b* ſequitur, vel præcedente *b* ſequitur *a*; unde duo ipſarum fiunt ordines *ab* & *ba*.

Tres porrò literæ *a*, *b*, *c*, ita collocari poſſunt, ut primus locus vel ipſi *a* vel *b* vel *c* concedatur; ſi *a* primum tenet locum,

reliquæ

reliquæ duæ duobus, ut diximus, modis diſponi queunt: ſi *b* in primum locum transferatur, reliquarum duarum duplex itidem poterit eſſe poſitio; quod & intelligendum, ubi tertia *c* primam ſedem occupaverit. Unde trium literarum in univerſum ter duæ ſeu 6 exiſtunt permutationes *abc*, *acb*: *bac*, *bca*: *cab*, *cba*.

Similiter ſi 4 extent literæ *a*, *b*, *c*, *d*, earum unaquæque primum obtinere locum poteſt, interea dum tres reliquæ, ut nunc oſtenſum, ter bis ſeu ſexies ordinem variabunt: quare cùm earum, quæ primo loco poni poſſunt, ſint quatuor, ſequitur omnes quatuor quater ter bis, ſeu quater ſexies, hoc eſt, vicies quater ſitum inter ſe permutare poſſe.

Ob eandem rationem accedente 5tâ literâ *e* inſtitui poſſunt quinquies tot variationes, quot in caſu præcedenti, hoc eſt, quinquies 24, ſeu 120. Et generaliter, datis quotcunque literis, numerus permutationum, quas ſubire poſſunt omnes, toties excedit numerum permutationum, quas recipiunt literæ unâ pauciores, quot ſunt unitates in dato literarum numero. Unde ſponte manat ſequens

Regula

pro inveniendis omnibus permutationibus rerum quotcunque datarum.

OMnes numeri ab unitate ſe conſequentes naturali ordine ad datum uſque rerum numerum incluſivè ducantur in ſe invicem, productum manifeſtabit quæſitum.

Putà, ſi datus rerum numerus ſit *n*, numerus permutationum erit 1. 2. 3. 4. 5. &c. uſque ad *n*; vel etiam (quia unitas non multiplicat) 2. 3. 4. 5 . . . . . . *n*. Nota, punctula numeris interjecta hic & ubique in ſimili materiâ continuum numerorum in ſe ductum ſignificant. Ex. gr. ſeptem rerum permutationes ſunt 2. 3. 4. 5. 6. 7 ∞ 5040. Ratio patet ex dictis, operatio ex adjunctâ Tabellâ:

Numerus Rerum,	Permutationum,
1 - - -	1
	2
2 - - -	2
	3
3 - - -	6
	4
4 - - -	24
	5
5 - - -	120
	6
6 - - -	720
	7
7 - - -	5040
	8
8 - -	40320
	9
9 - -	362880
	10
10 - -	3628800
	3628800
11 - -	39916800
	79833600
12 -	479001600

2. *Si rerum permutandarum nonnullæ sunt eædem:*

Quòd si literæ una pluresve recurrant sæpiùs, hoc est, si in dato rerum numero aliquæ res similes sint sive eædem; ut, si datæ sint *aaabcd*, ubi litera *a* ter repetitur, numerus permutationum multo minor evadit: ad quem inveniendum cogitandum est, quòd, si omnes essent diversæ, putà, si loco *aaa* scriberetur *aα*a, possent hæ tres literæ etiam nullâ cæterarum loco motâ inter se sexies transponi, per præced. Regul. unde totidem diversæ nascerentur permutationes; at nunc cùm sunt eædem, sex istæ permutationes literarum *aα*a nullam universarum dispositioni variationem inducunt, ac proinde pro unâ eâdemque habendæ sunt: quod cùm de quâcunque dispositione literarum pariter sit intelligendum, indicium præbet, numerum permutationum rerum datarum sexies, h. e. toties minorem esse numero permutationum, quas subire possent si omnes essent diversæ, quoties inter se permutari queunt res similes: sed si omnes 6 literæ diversæ existerent, permutari possent juxta præced. 720. vicibus. Ergo nunc ubi tres ipsarum conveniunt, permutari duntaxat poterunt vicibus 120.

Iterum si datæ sint 6 literæ *aaabbc*, ubi præter literam *a* quæ ter recurrit, etiam litera *b* bis repetitur; manifestum est, numerum permutationum adhuc bis minorem evadere, quàm in præcedenti casu fuerat, adeoque solùm ad 60 se extendere: quandoquidem binæ quælibet permu-

permutationes, quæ ex solâ transpositione duplici literarum *bb*, si diversæ essent, nascerentur, nunc coïncidunt. Eodem pacto colligendum, si plures literæ repeterentur sæpiùs, pro singulis earum numerum permutationum minui toties, quoties seorsim inter se permutari possunt eædem literæ. Unde ratio habetur sequentis Regulæ:

Regula

pro inveniendis rerum permutationibus, cùm earum nonnullæ sunt eædem:

NUmerus permutationum, quas admitterent datæ res si omnes differentes essent, dividatur per numerum permutationum, quas subire potest res similis secundùm multitudinem suam, si una sit quæ sæpiùs repetatur: aut per productum ex numeris permutationum, quas seorsim recipere possunt singulæ res similes secundùm multitudinem suam, si plures sint quæ sæpiùs recurrant; & quotiens exhibebit quæsitum.

Usus Doctrinæ Permutationum insignis est in definiendo numero Anagrammatum alicujus vocis: Ex. gr. Transpositiones omnes possibiles literarum in voce *Roma* sunt $1.2.3.4 \infty 24$, ob 4 differentes literas, per 1 Reg. in voce *Leopoldus* $\frac{362880}{2.2 \infty 4} \infty 90720$: in voce *Studiosus* $\frac{362880}{2.6 \infty 12} \infty 30240$, ob 9 utrobique literas, interque illas ibi geminum *l* & geminum *o*, hîc geminum *u* & triplex *s*, per 2 Reg.

Huc pertinent versus nonnulli ob variationum multitudinem *Protei* dicti, quos inter celebrantur Lansii, Scaligeri, Bauhusii. Thomæ Lansio hoc distichon debemus:

Lex, Rex, Grex, Res, Spes, Jus, Thus, Sal, Sol, (bona) *Lux, Laus:*
Mars, Mors, Sors, Lis, Vis, Styx, Pus, Nox, Fex, (mala) *Crux, Fraus.*

 cujus

cujus ſinguli verſus per Reg. pr. ob 11 monoſyllaba (diſſyllabis vocibus *bona* & *mala* 5^tæ ſemper regioni affixis) ſalvâ metri lege variari poſſunt 39916800 vicibus. Et quanquam aliàs contingat, ut pleræque variationes in metri leges arietent, nec non ut plerique Anagrammatismi ſint non-ſignificantes & barbari; levi tamen plerunque induſtriâ opus eſt ad ſecernendum utiles ab inutilibus, illorumque numerum ſeorſim ineundum, ſi aliquem in iis inquirendis ordinem obſerves. Quemadmodùm cernere eſt in hexametro à Bernh. Bauhuſio Jeſuitâ Lovanienſi in laudem Virginis Deiparæ conſtructo:

Tot Tibi ſunt dotes, Virgo, quot ſidera cælo;

quem dignum peculiari operâ duxerunt plures Viri celebres. Erycius Puteanus in libello, quem Thaumata Pietatis inſcripſit, variationes ejus utiles integris 48 paginis enumerat, easque numero ſtellarum, quarum vulgò 1022 recenſentur, accommodat, omiſſis ſcrupuloſiùs illis, quæ dicere videntur, tot ſidera cœlo eſſe, quot Mariæ dotes; nam Mariæ dotes eſſe multo plures. Eundem numerum 1022 ex Puteano repetit Gerh. Voſſius cap. 7. de Scient. Mathemat. Preſtetus Gallus in primâ editione Element. Mathemat. pag. 348. Proteo huic 2196 variationes attribuit, ſed factâ reviſione in alterâ edit. tom. pr. pag. 133. numerum earum dimidio fere auctum ad 3276 extendit. Induſtrii Actorum Lipſ. Collectores m. Jun. 1686, in recenſione Tractatûs Walliſiani de Algebrâ, numerum in quæſtione (quem Auctor ipſe definire non fuit auſus) ad 2580 determinant. Et ipſe poſtmodùm Walliſius in edit. latinâ operis ſui Oxon. anno 1693. impreſſâ pagin. 494, eundem ad 3096 profert. Sed omnes adhuc à vero deficientes, ut deluſam tot Virorum poſt adhibitas quoque ſecundas curas in re levi perſpicaciam meritò mireris. Facto enim examine deprehendo, fætum hunc Bauhuſianum excluſis etiam ſpondaïcis, admiſſis verò iis qui cæſurâ deſtituti ſunt, ſalvâ metri lege omnino ter millies tercenties ac duodecies variabilem eſſe. At prolixiùs de his agere tanti non intereſt, nec inſtitutum noſtrum patitur.

Typus



Typus Variationum Versûs Bauhusiani :

Tot Tibi sunt dotes, Virgo, quot sidera cælo.

Quintam Regionem Hexametri occupat
vel

Sidera, quam vocem excipit aut vox
- *Dissyllaba una*, nempe vel
  - *Cælo*, ac tum vox *Tibi* inter sex reliquas occupat locum vel
    - *Secundum*, præcedente voce nunc
      - *Monosyllabâ*, eâque vel
        - *Tot*, cui casui respondent - - Variationes 24
        - *Sunt*, - - - - - - 24
        - *Quot*, - - - - - - 24
      - *Dissyllabâ Virgŏ*, - - - - - 24
    - *Tertium*, præeuntibus
      - *Unâ monosyllabâ & una dissyllabâ*, primas tenente vel
        - *Monosyllabâ*, *Tot*, quam excipit alterutra
          - *Dotes* : 6, *Virgō* : 6 } - - - 12
          - *Sunt*, - - - - - - 12
          - *Quot*, - - - - - - 12
        - *Dissyllabâ*, *Dotes*, quam sequitur
          - *Tot* : 6, *Sunt* : 6, *Quot* : 6 } - - - 18
          - *Virgō*, - - - - - - 18
      - *Duabus dissyllabis*, nempe, *Dotes Virgŏ*, - - - 6

a b c d

Summa: 174

a b c d 174

| | *Quartum*, præcedentibus
| | *Tribus monosyllabis*, - - - - 12
| | *Duabus monosyllabis cum dissyllabâ Virgŏ*, - 12
| | *Unâ monosyllabâ & duabus dissyllabis*, - 36
| | *Quintum*, præmissis
| | *Tribus monosyllabis cum unâ dissyllabâ*, - - 48
| | *Duabus monosyllabis cum totidem dissyllabis*, quarum posterior *Virgŏ*, - - 18
| | *Sextum*, - - - - - 120

| | | 420 . . 420

| *Dotes*, unde totidem variationes, quot in *Cœlo*, nempe - - 420
| *Virgo*, unde rursus totidem, quot in *Cœlo*, exceptis solùm illis 60 variationibus, ubi postrema syllaba in *Virgo* correpta est; quibus proin demtis ex 420 remanent - - - - - 360

| *Monosyllaba dua*, eæque
Quot sunt, vel *Sunt quot*; voce *Tibi* occupante locum vel
Secundum, primo relicto voci
| | : *Monosyllaba*, *Tot*: - - - - 12
: *Dissyllaba*, *Virgo*: - - - - 12
| | *Tertium*, præcedentibus
: *Monosyllabâ cum Dissyllabâ*, - - - 24
| | : *Duabus Dissyllabis*, quarum post. *Virgŏ*, - 8
Quartum, præeuntibus
| | : *Monosyllabâ cum duabus Dissyllabis*, - - 36
: *Tribus Dissyllabis*, quarum ultima *Virgŏ*, - 4
| | *Quintum*, - - - - - 48

| | 144 - - 144

| *Tot sunt*, vel, *Sunt tot*, totidem - - - - 144
Tot quot, aut, *Quot tot*, totidem - - - - 144
Tibi, &c.

1632

Tibi, quam vocem ſequitur vox 1632

Diſſyllaba una, eaque vel

| *Cœlo*, voce *Sidera* occupante locum aut

| *Primum*, - - - - - - 120

| *Secundum*, - - - - - - 48

| *Tertium*, præmiſſis vel

| *Duabus Monoſyllabis*, - - - - 36

| *Duabus Diſſyllabis*, - - - - - 12

| *Quartum*, præeuntibus Duabus Monoſ. & unâ Diſſ. 72

| *Quintum*, præc. duabus Monoſ. totidemq; Diſſyll. 72

360 . . 360

Dotes, totidem quot in *Cœlo* - - - - - 360

Virgo, totidem - - - - - - - 360

Monoſyllabæ duæ, eæque

| *Quot ſunt*, vel, *Sunt quot*: voce *Sidera* tenente locum

| *Primum*: - - - - - - - 48

| *Secundum*, poſt Diſſyllabam vocem, - - 36

| *Tertium*, poſt duas Diſſyllabas, - - 24

| *Quartum*, poſt tres Diſſyllabas, - - 12

120 - - 120

Tot ſunt, vel, *Sunt tot*, totidem - - - - 120

Tot quot, vel, *Quot tot*, totidem - - - - 120

Monoſyllabâ unâ, (quo caſu ante *Tibi* ſemper habetur *Virgö*,) nempe vel

Sunt, voce *Sidera* locum poſſidente aut

| *Primum*: - - - - - - - 24

Secundum: - - - - - - 12

| *Tertium*, præced. *duabus Monoſyllabis*, - - 4

- - *duabus Diſſyllabis*, - - 4

| *Quartum*, - - - - - - 12

Quintum, - - - - - - 24

80 . . 80

Tot, totidem quot in *Sunt*, - - - - 80

Quot, totidem - - - - - - 80

Summa omnium Variationum utilium 3312

Cap. II.

De Combinationibus, iisque primò considerati simpliciter.

Combinationes rerum ſunt Conjunctiones, juxta quas ex datâ rerum multitudine nonnullæ eximuntur, interque ſe conjunguntur nullo ordinis ſitusve ipſarum reſpectu habito.

Idcircò cùm quæritur, quoties ex dato rerum numero vel binæ, vel ternæ, vel quaternæ &c. accipi poſſint, ſic ut nunquam omnes eædem res ſumantur ſæpiùs quàm ſemel, dicentur quæri omnes Combinationes diverſæ rerum datarum.

Numerus, ſecundùm quem res datæ conjunguntur, dicitur *Exponens* Combinationis; ita ſi res binæ ſumuntur, Exponens erit 2; ſi ternæ, 3; ſi quaternæ, 4. Res verò ſecundùm hos exponentes junctæ dicuntur *Binarii*, *Ternarii*, *Quaternarii* &c. vel *Biniones*, *Terniones*, *Quaterniones* &c. & conſonanter etiam *Uniones* vel *Unitates* quando res ſumuntur ſingulæ, & *Nulliones* cùm nulla planè ſumitur.

Conjunctiones ipſas nonnulli vocant *Combinationes*, *Con3nationes*, *Con4nationes* &c. quas omnes vulgò unâ voce *Combinationum* complecti ſolent, tametſi hæc vox ſtrictiori ſignificatu propriè non niſi illas conjunctiones indigitare videatur, quibus res binæ invicem junguntur. Quamobrem alii generaliori voce *Complicationum* vel *Complexionum* uti malunt: alii magis appoſitè *Electiones* vocant, ut & illæ ſubintelligi poſſint rerum acceptiones, quibus res ſingulæ ſeorſim ſumuntur, aut quibus etiam nulla planè ſumitur.

Res autem inter ſe combinandæ vel omnes poſſunt eſſe diverſæ, vel aliquot ipſarum eædem; eæque vel ita combinari debent, ut in nullâ combinatione res eadem ſæpiùs contineatur, quàm ipſa reperitur in toto rerum numero: vel ſic, ut in eâdem combinatione res eadem etiàm ſæpiùs recurrere, h. e. ut ſecum ipsâ quoque combinari poſſit. Iterumque quæri poteſt numerus combinationum

tionum vel ſecundùm omnes exponentes conjunctim, vel ſecundùm ſingulos ſeorſim. Atque inſuper circa unumquemque horum combinandi modorum plures formari poſſunt quæſtiones & problemata, è quibus illa tantùm delibabimus, quæ in ſequentibus alicui uſui fore judicamus.

1.° *Si res omnes combinandæ ſunt diverſæ, inque nullâ combinatione eadem res bis occurrere debet, invenire omnes Combinationes ſimpliciter ſive ſecundùm omnes exponentes conjunctim:*

SUnto combinandæ modis omnibus literæ *a*, *b*, *c*, *d*, *e* &c. Fiant tot ſeries quot literæ, hoc modo: In primâ ſerie ponatur ſola litera *a*.

In ſecundâ ponatur *b*, nunc ſeorſim, nunc junctim cum *a*, ut habeatur *ab* vel *ba*. Eadem enim conjunctio eſt, quæ *b* cum *a*, & *a* cum *b* jungit, cùm ordo non attendi ſupponatur.

In tertiâ collocetur *c*, eaque primò ſola, dein juncta, partim cum *a* & *b*, ut fiant biniones *ac*, *bc*; partim cum ipſo binione *ab*, ut fiat ternio *abc*.

a.

b. *ab*.

c. *ac*. *bc*. *abc*.

d. *ad*. *bd*. *cd*. *abd*. *acd*. *bcd*. *abcd*.

e. *ae*. *be*. *ce*. *de*. *abe*. *ace*. *bce*. *ade*. *bde*. *cde*. *abce*. *abde*. *acde*. *bcde*. *abcde*.

In quartâ ponatur *d*, primò ſola, deinde juncta cum ſingulis præcedentium literarum *a*, *b*, *c*, ſingulisque earum tum binariis *ab*, *ac*, *bc*, tum ternario *abc*; ut fiant novi biniones *ad*, *bd*, *cd*, terniones *abd*, *acd*, *bcd*, & quaternio *abcd*.

Similiter quintæ ſeriei agmen ducat litera *e*, quam primò ingrediatur ſola, dein juncta cum omnibus præcedentium ſerierum electionibus. Eademque methodo procedendum, ſi plures eſſent

datæ literæ. Quâ ratione ſatis manifeſtum eſt, datas literas in iſtis ſeriebus omnifariàm inter ſe junctas eſſe, nullamque earum fieri poſſe electionem, quæ non in unâ harum ſerierum reperiatur, ſed & nullam eſſe quæ alicubi bis occurrat; adeoque omnes unà ſeries ſuppeditaturas omnes electiones poſſibiles, quæ circa datas literas inſtitui queunt.

Harum igitur numerus initur facilè, ſi attendatur quòd in quâlibet ſemper ſerie una ampliùs inveniri debeat electio, quàm in antecedentibus omnibus ſeriebus ſimul; quoniam litera, quæ illius ſeriei caput eſt, ibidem ſemel ponitur ſola, & præterea unà aſſumit ſecum omnes electiones præcedentium ſerierum. Hinc enim ſequitur, quia in primâ ſerie eſt electio unica, fore in ſecundâ electiones duas, in tertiâ 4, in quartâ 8, & ſic deinceps in progreſſione geometricâ duplâ: quandoquidem progreſſionis duplæ ab unitate hanc quoque naturam eſſe conſtat, ut ſumma terminorum quotlibet unitate aucta ſequentem terminum exhibeat. Quocirca ſumma electionum in ſeriebus omnibus æqualis eſt ſummæ terminorum totidem progreſſionis duplæ ab unitate, hoc eſt, per modò memoratam proprietatem, ipſi termino ſubſequenti ejusdem progreſſionis unitate multato; qui quidem terminus ſubſequens idem eſt cum producto binarii toties poſiti & in ſe ducti, quot ipſum in progreſſione termini præcedunt, hoc eſt, quot ſunt ſeries, quarum electiones quæruntur. Unde talis exurgit

Regula

pro inveniendis omnibus electionibus rerum datarum ſecundùm omnes exponentes:

A producto binarii toties poſiti & multiplicati in ſe, quot ſunt datæ res, auferatur unitas, reliquum indicabit quæſitum.

Hoc eſt, poſito rerum datarum numero n, numerus omnium electionum ſimpliciter, putà, omnium unionum, binionum, ternionum &c. erit $2^n - 1$. Hinc ſi nullionem ſeu electionem, quâ ex rebus datis nulla ſumitur, quæque in quâvis rerum multitudine

una

una ſemper eſt & unica, ſimul comprehendas, fiet numerus ille 2^n: ſin cum nullione ipſos quoque uniones reſeces, quorum numerus ipſi rerum numero perpetuò æquatur, erit numerus binionum, ternionum, cæterarumque complexionum $2^n - n - 1$. Ex. gr. Septem Planetarum conjunctiones vel complicationes omnes diverſæ ſunt $2^7 - 1$ ꝏ $2.2.2.2.2.2.2 - 1$ ꝏ $128 - 1$ ꝏ 127; unde ſi demas electiones 7, quibus ſinguli Planetæ ſeorſim accipiuntur, quæque propriè non conjunctiones ſed disjunctiones Planetarum ſunt, relinquetur numerus omnium conjunctionum ſtrictè dictarum, quibus Planetæ vel bini vel terni &c. vel denique ſepteni junguntur, $2^7 - 7 - 1$ ꝏ 120. Sic etiam duodecim, uti vocant, Regiſtra ſeu fiſtularum ordines in organo pneumatico, quibus ſonus mox ſibilans mox tremebundus efficitur, aut aliter modificatur, variari poſſunt $2^{12} - 1$ ꝏ 4095 vicibus.

Nota: Si quis examinet ſeries combinationum ſupra in typo expoſitas, obſervabit, in quâlibet ſerie (ſolâ primâ exceptâ, quæ unicum unionem *a* complectitur) numerum electionum ſecundùm exponentes pares æquari numero electionum ſecundùm impares; ſaltem cùm id in aliquot ab initio ſeriebus verum deprehenderit, idemque quoque in ſerie proximè ſequente locum habere concludet: nam litera, quæ illius ſeriei caput eſt, juncta præcedentium ſerierum electionibus iis, quæ impares exponentes habent, parium; & iis viciſſim quæ pares habent juncta, imparium exponentium complexiones efficit; adſciſcens verò primæ ſeriei unionem *a*, paris, & ipſa per ſe ſola accepta imparis exponentis electionem conſtituit; unde & in hâc ſerie numerum harum numero illarum æquari conſtat. In omnibus igitur ſeriebus ſimul ſumtis numerus electionum ſecundùm impares exponentes numerum electionum ſecundùm pares unitate ſuperabit; aut ſi his inſuper nullionem accenſeas, æquabit. Quocirca cùm numerus omnium electionum ſimpliciter incluſo nullione oſtenſus ſit 2^n, erit ejus ſemiſſis ſive poteſtas binarii proximè minor 2^{n-1} numerus electionum ſecundùm ſolos impares; &, demto rurſum nullione, $2^{n-1} - 1$ numerus electionum ſecundùm ſolos pares exponentes. Idem quoque demonſtrabitur infrà in Coroll. 6. Cap. 4.

CAP. III.

De Combinationibus ſecundùm ſingulos exponentes ſeorſim; ubi de Numeris Figuratis, eorumque proprietatibus agitur.

Ex typo Combinationum præcedentis capitis manifeſtum fit, literam quæ cujuslibet ſeriei caput eſt, adjunctam unionibus ſerierum præcedentium efficere ſuæ ſeriei biniones, adjunctam binionibus efficere terniones, ternionibus 4^{ones}, & ſic porrò: adeoque numerum binionum in quàvis ſerie æquari ſummæ unionum in omnibus ſeriebus antecedentibus, numerum ternionum ſummæ binionum, numerum quaternionum ſummæ ternionum & generaliter numerum combinationum ſecundùm datum quemcunque exponentem in ſerie quâcunque æquari ſummæ combinationum omnium præcedentium ſerierum ſecundùm exponentem unitate minorem dato. Sequitur hinc, quòd

Uniones, quia in ſingulis ſeriebus reperiuntur ſinguli, omnes inter ſe conſtituunt ſeriem 1.1.1.1.1. &c. ſeu, ſeriem unitatum.

Biniones in primâ ſerie nulli ſunt, in ſecundâ 1, in tertiâ $1+1 \propto 2$, in $4^{\text{tâ}}$ $1+1+1 \propto 3$, in 5ta $1+1+1+1 \propto 4$ &c. proinde omnes biniones inter ſe conſtituunt ſeriem 0.1.2.3.4.5. &c. hoc eſt, ſeriem numerorum Arithmeticè progreſſionalium ſive Lateralium.

Terniones in primâ & ſecundâ ſerie nulli ſunt, in $3^{\text{tiâ}}$ 1, in $4^{\text{tâ}}$ $1+2 \propto 3$, in $5^{\text{tâ}}$ $1+2+3 \propto 6$, in $6^{\text{tâ}}$ $1+2+3+4 \propto 10$. &c. omnes itaque ordine accepti ſeriem conficiunt 0.0.1.3.6.10.15. &c. hoc eſt, ſeriem numerorum, ut vocant, Trigonalium.

Quaterniones in tribus primis ſeriebus nulli ſunt, in $4^{\text{tâ}}$ 1, in $5^{\text{tâ}}$ $1+3 \propto 4$, in $6^{\text{tâ}}$ $1+3+6 \propto 10$, in $7^{\text{mâ}}$ $1+3+6+10 \propto 20$. &c. qui omnes ordine aſſumti ſeriem efficiunt 0.0.0.1.4.10.20. &c. ſeriem videl. Pyramidalium.

Pari

Pari ratione Quiniones omnes ſeriem conſtituunt Trianguli-pyramidalium 0.0.0.0.1.5.15.35. &c. Seniones ſeriem Pyramidi-pyramidalium 0.0.0.0.0.1.6.21. &c. aliæque combinationes ſecundùm altiores exponentes efficiunt alias atque alias ſeries Figuratorum altioris generis in infinitum.

Et ſic occaſione Doctrinæ Combinationum in ſpeculationem inſperatam Numerorum Figuratorum incidimus, quâ appellatione vulgò inſigniuntur numeri, qui ex continuâ Arithmeticè proportionalium indeque ortorum numerorum additione vel collectione generantur.

Ut verò hæ figuratorum numerorum ſeries ſub unum aſpectum caderent, eoque faciliùs comprehenderentur quæ de illis dicenda ſuperſunt, ſequentem appoſui Tabellam, quam quis nullo negotio quouſ-

Tabula

Combinationum, ſeu Numerorum Figuratorum.

Exponentes Combinationum.

Numeri Rerum Combinandarum.

	I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	VII.	VIII.	IX.	X.	XI.	XII.
1.	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0
2.	1	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0
3.	1	2	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0
4.	1	3	3	1	0	0	0	0	0	0	0	0
5.	1	4	6	4	1	0	0	0	0	0	0	0
6.	1	5	10	10	5	1	0	0	0	0	0	0
7.	1	6	15	20	15	6	1	0	0	0	0	0
8.	1	7	21	35	35	21	7	1	0	0	0	0
9.	1	8	28	56	70	56	28	8	1	0	0	0
10.	1	9	36	84	126	126	84	36	9	1	0	0
11.	1	10	45	120	210	252	210	120	45	10	1	0
12.	1	11	55	165	330	462	462	330	165	55	11	1

quousque voluerit tum deorsum tum dextrorsum continuabit. Numeri barbari in sinistro Tabulæ margine adscripti numerant columnas transversas, & simul rerum combinandarum multitudinem: numeri verò Romani in supremo margine conspicui numerant columnas verticales & unà exponentes combinationum innuunt. Columnarum verticalium prima est series Monadum seu unitatum, secunda series numerorum naturalium seu lateralium ab unâ cyphrâ incipiens, tertia series Trigonalium incipiens à cyphris duabus, 4ta Pyramidalium incipiens à tribus, 5ta Trianguli-pyramidalium incipiens à 4 cyphris; & sic deinceps.

Habet hæc Tabula proprietates planè eximias & admirandas; præterquàm enim quòd Combinationum mysterium in illâ latere jam ostendimus, notum est interioris Geometriæ peritis, præcipua etiam totius reliquæ Matheseos arcana inibi delitescere. Nos proprietatum aliquas hîc delibabimus, & quidem delibabimus tantùm, nullius nisi primariæ illius, quæ proposito nostro inservit demonstrationem accuratiorem allaturi, cùm cæteræ vel ex hâc ostendi possint, vel ex ipsâ Tabellæ constructione & numerorum figuratorum genesi satis patescant.

Mirificæ proprietates Tabulæ Combinationum:

1. Columnarum verticalium secunda incipit ab unâ cyphrâ, tertia à cyphris duabus, 4ta à 3bus; & generaliter columna c à cyphris $c-1$.

2. Columnarum verticalium termini primi significativi à sinistrâ dextrorsum obliquè descendendo ordine sumti reddunt ipsos terminos primæ columnæ verticalis, secundi secundæ, tertii tertiæ, & ita deinceps: putà, primi constituunt seriem monadum, secundi lateralium, tertii trigonalium &c.

3. Secundus ab unitate terminus columnæ verticalis cujuslibet æquatur ipsius columnæ numero.

4. Terminus quivis Tabellæ æquatur summæ omnium superiorum præcedentis columnæ verticalis.

5. Quilibet terminus æquatur duobus aliis immediatè supra

se po-

ſe poſitis, quorum unus eſt in eâdem verticali columnâ, alter in præcedente.

6. Columnæ cujuſvis tranſverſæ termini ab unitate aliquouſque creſcunt, deinde per eoſdem gradus rurſum decreſcunt. Idem intellige de ſummis columnarum verticalium æque-altarum, ceu terminis ſequentis columnæ tranſverſæ, per 4 propr.

7. Columnarum verticalium æque-altarum baſes, ſive termini columnæ tranſverſæ cujuslibet, primus quidem & ultimus ſignificativus perpetuò inter ſe æquantur, ut & ſecundus & penultimus, tertius & antepenultimus, atque ita porrò, ſi columna pluribus terminis ſignificativis conſtet.

8. Quin & ſumtis ab initio columnis verticalibus quotcunq; cum totidem tranſverſis, collectisque in unam ſummam qui in eâdem verticali ſibi reſpondent terminis, erit ſumma prima æqualis penultimæ, ſecunda antepenultimæ, tertia proantepenultimæ, & ſic deinceps. Exhibent enim hæ ſummæ ipſos columnæ transverſæ ſequentis terminos primo excepto. Conf. propr. 4 & 7. Ex. gr. Quinque primæ columnæ tum verticales tum transverſæ ſunt:

1.	0.	0.	0.	0.
1.	1.	0.	0.	0.
1.	2.	1.	0.	0.
1.	3.	3.	1.	0.
1.	4.	6.	4.	1.
5.	10.	10.	5.	1.

Termini ſextæ columnæ transverſæ primo excepto.

9. Columnæ transverſæ ordine exhibent coëfficientes omnium poteſtatum à radice aliquâ binomiâ genitarum; nempe ſecunda coëfficientes radicis 1.1. tertia quadrati 1.2.1. quarta cubi 1.3.3.1. quinta biquadrati 1.4.6.4.1. & ſic porrò.

10. Summæ ſerierum transverſarum progrediuntur in continuâ ratione duplâ: ſummarum verò ſummæ ab initio collectæ terminos conſtituunt progreſſionis duplæ unitate multatos; putà

1	∞ 1	1	∞	1	∞	2—1
1+1	∞ 2	1+2	∞	3	∞	4—1
1+2+1	∞ 4	1+2+4	∞	7	∞	8—1
1+3+3+1	∞ 8	1+2+4+8	∞	15	∞	16—1
1+4+6+4+1	∞ 16	1+2+4+8+16	∞	31	∞	32—1

Fluit ex iis, quæ in præced. cap. de Combinationibus simpliciter spectatis dicta sunt.

11. Termini seriei verticalis cujuslibet ordine divisi per terminos collaterales seriei præcedentis (initio vel ab unitate vel à suis respective cyphris facto) exhibent quotos Arithmeticè proportionales, quorum communis differentia est fractio, cujus numerator est unitas, & denominator ipse numerus sive secundus ab unitate terminus seriei dividentis. Ex. gr.

Divis.)	divid.	(quot.	divis.)	divid.	(quot.	divis.)	divid.	(quot.	divis.)	divid.	(quot.
1)	1	(2:2	1)	0	(0:2	1)	1	(3:3	1)	0	(0:3
2)	3	(3:2	2)	1	(1:2	3)	4	(4:3	3)	1	(1:3
3)	6	(4:2	3)	3	(2:2	6)	10	(5:3	6)	4	(2:3
4)	10	(5:2	4)	6	(3:2	10)	20	(6:3	10)	10	(3:3
5)	15	(6:2	5)	10	(4:2	15)	35	(7:3	15)	20	(4:3

Non difficulter hæc proprietas, si opus foret, deduci posset ex sequente.

12. Summa terminorum quotcunque seriei verticalis cujuslibet à suis respectivè cyphris incipientis ad summam terminorum totidem ultimo æqualium eam habet rationem, quam habet unitas ad illius seriei numerum; hoc est, Aggregatum numerorum quotcunq; lateralium ab unâ cyphrâ seriem auspicantium est ad aggregatum numerorum totidem maximo eorum ceu ultimo æqualium, ut 1 ad 2; trigonalium à cyphris duabus, ut 1 ad 3, pyramidalium à tribus, ut 1 ad 4. &c. Idem quoque valet de ratione, quam habet summa terminorum seriei cujuslibet ab unitate incipientis ad summam totidem maximum sequenti termino æqualium. Ex. gr.

0	3
1	3
2	3
3	3
6.	12 :: 1.2

1	5
2	5
3	5
4	5
10.	20 :: 1.2

0	6
0	6
1	6
3	6
6	6
10.	30 :: 1.3

1	15
3	15
6	15
10	15
20.	60 :: 1.3

0	10
0	10
0	10
1	10
4	10
10	10
15.	60 :: 1.4

1	56
4	56
10	56
20	56
35	56
70.	280 :: 1.4

&c.

Cùm inter affectiones numerorum figuratorum hæc præcipua ſit, eademque ſcopo noſtro primariò inſerviat, viſum hîc eſt exponere methodum, quâ talem proprietatis ἀπόδειξιν exhibeo, quæ ſimul & ſcientifica ſit, & propoſitum univerſaliter concludat. Quem in finem ſequentia præſtruo lemmata:

1. *Lemma*: Summa terminorum quotlibet primæ ſeriei ad ſummam totidem terminorum ultimo æqualium rationem habet æqualitatis, ſive ut 1 ad 1.

Dem. Cùm enim ſeries meris conſtet unitatibus, erit ſumma terminorum quotlibet, ſumma tot unitatum; h. e. tot terminorum ultimo æqualium, quot ſunt termini.

2. *Lemma*: In qualibet ſerie à ſuis reſpectivè cyphris incipiente, ſi quota eſt ipſa inter ſeries, tot ab initio ſumantur termini, erit ſumma terminorum omnium ad ſummam totidem ultimo æqualium, ut 1 ad ſeriei numerum.

Dem. Numerus enim cyphrarum quamcunque ſeriem auſpicantium unitate minor eſt ſeriei numero, per propr. 1. his igitur ſi accedat ſequens terminus, numerus terminorum ſeriei numero æquabitur; ſed terminus, qui proximè cyphras ſequitur, eſt unitas, per

 propr.

propr. 2. unde terminorum aggregatum æquatur unitati, & aggregatum totidem ultimo æqualium ipſi ſeriei numero; quare conſtat.

3. *Lemma*: In quâcunque numerorum ſerie, ſi ſumma terminorum ab initio ſumtorum ad ſummam totidem ultimo æqualium perpetuò eandem habeat rationem, quotcunque accipiantur termini, putà ut 1 ad R, ita ut ſumma terminorum æquetur ſummæ totidem ultimo æqualium diviſæ per R; erit numerus terminorum aſſumtorum ablato R ad eundem numerum unitate multatum, ut ſumtorum penultimus ad ultimum.

Dem. Sumti ſint ab initio termini quotlibet A. B. C. D. quorum numerus ſit N, penultimus C, & ultimus D. Eſt utique $A + B + C \infty A + B + C + D - D$, hoc eſt, per hypoth. $\frac{C \text{ in } N - 1}{R} \infty \frac{D \text{ in } N}{R} - D$ & æque-multiplicando, $C \text{ in } N - 1 \infty D \text{ in } N - D \text{ in } R \infty D \text{ in } N - R$, adeoq; $N - R . N - 1 :: C . D$. Quod erat demonſtrandum.

4. *Lemma*: In Tabulâ numerorum figuratorum ſi duæ ſint columnæ verticales contiguæ, in quarum priore quotlibet ab initio termini ad totidem ultimo eorum æquales habeant conſtantem rationem ut 1 ad r; habeant verò in poſteriore termini aliquot ab initio ſumti ad totidem ſumtorum ultimo æquales rationem ut 1 ad $r + 1$: habebit quoque addito ſequenti termino, ſumma omnium terminorum unà cum adjecto ad tot terminos adjecto æquales, quot ſunt cum adjecto termini, rationem ut 1 ad $r + 1$.

Dem. Samti ſint in poſteriore columnâ termini E. F. G. H, quos proximè ſequatur I; atque ſumantur in columnâ immediatè præcedente termini totidem A. B. C. D; ſumtorum verò utrinque numerus ſit n. Erit r H ∞ (ex num. figurat. geneſi per propr. 4) r in $A + B + C \infty$ (per hyp.) $n - 1$ in C ∞ (per lemma 3) $n - r$ in D; quare $n - r . H :: r . D ::$ (hypoth.) $n . A + B + C + D ::$ (ex num. fig. geneſi per propr. 4) $n . I$. Unde $n - r$ in I ∞ n H ∞ (hypoth.) $r + 1$ in $E + F + G + H$; adeoque $n - r . r + 1 :: E + F + G + H . I$, & componendo $n + 1 . r + 1 :: E + F + G + H + I . I$, hoc eſt, $E + F + G + H + I . n + 1$ in $I :: 1 . r + 1$. Q. E. D.

Cum olim horum Fratri copiam feciſſem, animadvertit ille poſſe demon-

demonſtrationem eleganter abbreviari, poſtremis tribus lemmatibus in unum conflatis, hoc modo:

Lemma: In Tab. num. fig. ſi ſumma terminorum ab initio ſeriei verticalis cujuſvis ad ſummam totidem maximo æqualium ubique rationem habeat ut 1 ad r, habebit ſumma terminorum ſeriei proximè ſequentis ad ſummam totidem maximo æqualium rationem ut 1 ad $r+1$.

Dem: Sint ſeries ſequentes $a.b.c.d.$ &c. & $o.g.h.i.$ &c. numerus terminorum prioris ſit n, poſterioris $n+1$.

$$n\left\{\begin{array}{ccc} a & - - & o \\ b & - - & g \\ c & - - & h \\ d & - - & i \\ e & - - & l \\ f & - - & p \\ & & q \end{array}\right\} n+1.$$

Eſt primò $q+p+l+i+h+g+o \infty$ (ex hyp. & geneſi num. fig. per propr. 4) $\frac{nf}{r}+\frac{\overline{n-1}.e}{r}+\frac{\overline{n-2}.d}{r}+\frac{\overline{n-3}.c}{r}+\frac{\overline{n-4}.b}{r}+\frac{\overline{n-5}.a}{r} \infty \frac{n.\overline{f+e+d+c+b+a}-e-2d-3c-4b-5a}{r} \infty$ (ex gen. num. fig.) $\frac{nq-p-l-i-h-g}{r}$.

Ergò $rq+r.\overline{p+l+i+h+g} \infty nq-p-l-i-h-g$; factâque translatione convenienti $\overline{r+1}.\overline{p+l+i+h+g} \infty nq-rq$: dividatur utrinq; per $r+1$, erit $p+l+i+h+g \infty \frac{nq-rq}{r+1}$; additoque q habebitur $q+p+l+i+h+g \infty \frac{nq-rq}{r+1}+q \infty \frac{\overline{n+1}.q}{r+1}$, hoc eſt, $g+h+i+l+p+q.\ \overline{n+1}.q :: 1.\ r+1$. Q. E. D. Sequitur nunc *Propoſitio principalis*: In Tab. num. fig. ſumma terminorum quotlibet à ſuis reſpectivè cyphris incipientium ad ſummám totidem ultimo æqualium; item ſumma terminorum quotvis incipientium ab unitate ad ſummam totidem ultimum ſequenti æqualium, in ſerie primâ ſeu monadum eſt ut 1 ad 1, in ſerie ſecundâ ſeu lateralium ut 1 ad 2; in tertiâ ſeu trigonalium ut 1 ad 3, in 4tâ ſeu pyramidalium ut 1 ad 4, & generaliter in ſerie quâcunque ut 1 ad illius ſeriei numerum.

Dem. I. De primâ ſerie conſtat ex primo lemmate: de ſecundâ, tertiâ, 4tâ &c. è reliquis. Nam quia ſumma terminorum quotlibet ad ſummam totidem ultimo æqualium in primâ ſerie eſt ut 1 ad 1, erit vi horum lemmatum in 2dâ ut 1 ad $1+1 \infty 2$; & quia in

$2^{d\hat{a}}$ est ut 1 ad 2, erit in $3^{ti\hat{a}}$ ut 1 ad $2+1 \infty 3$; & propterea etiam in $4^{t\hat{a}}$ ut 1 ad $3+1 \infty 4$; in $5^{t\hat{a}}$ ut 1 ad $4+1 \infty 5$; & generaliter in ſerie c ut 1 ad c.

II. Quia rationem 1 ad $r+1$ memoratam in ultimo lemmate hìc interpretamur per rationem 1 ad c, erit $r \infty c-1 \infty$ (per propr. 1.) numero cyphrarum, à quibus columna c incipit. Quare cùm in dicto lemmate repertum ſit $g+h+i+l+p \infty \frac{n-r.q}{r+1} \infty \frac{n-r.q}{c}$, ſequitur quòd $g+h+i+l+p$ (ſumma terminorum quorum numerus eſt n) ſe habet ad q in $n-r$ (numerum terminorum minùs numero cyphrarum) ſicut 1 ad c; hoc eſt, ſumma terminorum quotlibet ab unitate incipientium ad totidem terminos ſequenti ultimum æquales, ut 1 ad c.

Conſectarium: Ex hâc oſtenſâ proprietate facilè nunc eſt, invenire tum terminum optatum, tum ſummam terminorum ſeriei cujuslibet: Sumti intelligantur termini æque-multi ex pluribus continuè columnis, & ſit numerus ſumtorum ab initio cujusque columnæ n, adeoque numerus terminorum ab unitate (excluſis cyphris initialibus) in ſecundâ columnâ $n-1$, in tertiâ $n-2$, in $4^{t\hat{a}}$ $n-3$, &c. per 1 propr. quo poſito quæſitum ita colligo: Summa terminorum n primæ columnæ, nempe, n unitates ſeu $\frac{n}{1}$ æquatur termino $n+1$, hoc eſt, termino ſequenti ultimum ſecundæ columnæ, per 4 propr. ex tabulæ geneſi. Quare termini hujus in $n-1$ (numerum terminorum ab unitate $2^{dæ}$ columnæ) ducti ſubduplum, ſeu $\frac{n.n-1}{1.2}$, per 12 propr. æquale eſt aggregato terminorum $2^{dæ}$ columnæ, & ſimul per 4 propr. ipſi termino ſequenti ultimum tertiæ col. Unde ſimiliter hujus termini in $n-2$ (num. termin. ab unitate $3^{tiæ}$ col.) ducti ſubtriplum, nempe $\frac{n.n-1.n-2}{1.2.3}$, æquatur per 12 propt. aggregato terminorum $3^{tiæ}$ columnæ, inſimulque per 4 propr. ipſi termino ſequenti ultimum $4^{tæ}$. Quocirca & hujus termini in $n-3$ (num. term. ab unit. $4^{tæ}$ col.) ducti ſubquadruplum, putà $\frac{n.n-1.n-2.n-3}{1.2.3.4}$, exhibet ſummam terminorum $4^{tæ}$ columnæ, unâque terminum qui ſequitur ultimum $5^{tæ}$; & rurſus iſtius termini in $n-4$ ducti ſubquintuplum

plum

plum $\frac{n.n-1.n-2.n-3.n-4}{1.2.3.4.5}$ producit ſummam terminorum col. 5tæ, & ſimul terminum qui excipit ultimum 6tæ; atque ita conſequenter. E quibus igitur infertur, quòd ſumma terminorum n primæ columnæ ſit $\frac{n}{1}$, 2dæ $\frac{n.n-1}{1.2}$, 3tiæ $\frac{n.n-1.n-2}{1.2.3}$, 4tæ $\frac{n.n-1.n-2.n-3}{1.2.3.4}$, 5tæ $\frac{n.n-1.n-2.n-3.n-4}{1.2.3.4.5}$, & generaliter columnæ c, $\frac{n.n-1.n-2.n-3.n-4\ldots.n-c+1}{1.2.3.4.5\ldots c}$. Et quia quælibet harum quantitatum etiam exprimit terminum $n+1$ ſequentis columnæ, ſequitur quòd ipſe illius terminus optatus ſeu ultimus n habeatur mutato ſolummodò ubique n in $n-1$; adeoque quòd terminus optatus, ſecundæ columnæ ſit $\frac{n-1}{1}$, tertiæ $\frac{n-1.n-2}{1.2}$, 4tæ $\frac{n-1.n-2.n-3}{1.2.3}$; 5tæ $\frac{n-1.n-2.n-3.n-4}{1.2.3.4}$, & generaliter columnæ c, $\frac{n-1.n-2.n-3\ n-4\ldots n-c+1}{1.2.3.4\ldots c-1}$.

Scholium: Multi, ut hoc in tranſitu notemus, numerorum figuratorum contemplationibus vacârunt (quos inter Faulhaberus & Remmelini Ulmenſes, Walliſius, Mercator in Logarithmotechniâ, Preſtetus, aliique) ſed qui proprietatis hujus demonſtrationem univerſalem dederit & ſcientificam, novi neminem. Walliſius in Arithm. Infinitorum fundamentum ſuæ methodi jacturus, rationes quas habent ſeries Quadratorum, Cuborum aliarumque poteſtatum numerorum naturalium ad ſeriem totidem maximo æqualium, inductione inveſtigat; indeque prop. 176 ad contemplationem Trigonalium, Pyramidalium, reliquorumque figuratorum tranſit: ſed ſatius fuiſſet forteque naturæ rei convenientius, ſi vice versâ tractationem numerorum figuratorum, eamque univerſali & accuratâ demonſtratione munitam præmiſiſſet, ac tum demum ad poteſtatum ſummas inveſtigandas perrexiſſet. Præterquam enim quod modus demonſtrandi per inductionem parùm ſcientificus eſt, inſuperque pro qualibet ſerie peculiarem operam depoſcit; illa utique omnium judicio præcedere debent, quæ cæteris naturâ ſunt priora & ſimpliciora, quales videntur eſſe numeri figurati præ poteſtatibus, tum

quod

quod illi additione, hæ multiplicatione generantur, tum & præcipuè quod series figuratorum à suis respectivè cyphris incipientes ad series æqualium rationem habent exactè submultiplicem, qualem non habere possunt series potestatum (saltem in terminis numero finitis) absque aliquo excessu vel defectu quicunque cyphrarum numerus ipsis præfigatur. De cætero namque ex cognitis figuratorum summis nihilo difficilius investigari poterunt potestatum summæ, atque ex his priores collegit auctor; quod quomodo fiat, paucis ostendam.

Proponatur series numerorum naturalium ab unitate 1.2.3.4.5. &c. usque ad n, & quærantur omnium ipsorum, item omnium quadratorum, cuborum &c. ex ipsis summæ: Quoniam in tab. combinat. terminus secundæ columnæ indefinitè est $n-1$, & summa omnium terminorum, hoc est, summa omnium $n-1$ seu $\int\overline{n-1}$ per confect. præcedens inventa $\frac{n.\overline{n-1}}{1.2} \infty \frac{nn-n}{2}$, erit $\int\overline{n-1}$ sive $\int n - \int 1 \infty \frac{nn-n}{2}$, & $\int n \infty \frac{nn-n}{2} + \int 1$; sed $\int 1$ (summa omnium unitatum) est n; quare summa omnium n seu $\int n \infty \frac{nn-n}{2} + n \infty \frac{1}{2}nn + \frac{1}{2}n$.

Porrò cum terminus tertiæ columnæ indefinitè acceptus per idem confect. sit $\frac{\overline{n-1}.\overline{n-2}}{1.2} \infty \frac{nn-3n+2}{2}$, & summa omnium terminorum (hoc est, omnium $\frac{nn-3n+2}{2}$) $\frac{n.\overline{n-1}.\overline{n-2}}{1.2.3} \infty \frac{n^3-3nn+2n}{6}$; erit $\int\overline{\frac{nn-3n+2}{2}}$ sive $\int\frac{1}{2}nn - \int\frac{3}{2}n + \int 1 \infty \frac{n^3-3nn+2n}{6}$, & $\int\frac{1}{2}nn \infty \frac{n^3-3nn+2n}{6} + \int\frac{3}{2}n - \int 1$; sed $\int\frac{3}{2}n \infty \frac{3}{2}\int n \infty$ (per modo ostensa) $\frac{3}{4}nn + \frac{3}{4}n$, & $\int 1 \infty n$: unde his substitutis fit $\int\frac{1}{2}nn \infty \frac{n^3-3nn+2n}{6} + \frac{3nn+3n}{4} - n \infty \frac{1}{6}n^3 + \frac{1}{4}nn + \frac{1}{12}n$, ejusq; duplum $\int nn$ (summa quadratorum ex omnibus n) ∞ $\frac{1}{3}n^3 + \frac{1}{2}nn + \frac{1}{6}n$.

Rursus quia terminus n 4^tæ columnæ est $\frac{\overline{n-1}.\overline{n-2}.\overline{n-3}}{1.2.3} \infty \frac{n^3-6nn+11n-6}{6}$, & summa omnium terminorum $\frac{n.\overline{n-1}.\overline{n-2}.\overline{n-3}}{1.2.3.4}$

∞ $n4$

$\propto \frac{n^4 - 6n^3 + 11nn - 6n}{24}$, erit utique $\int \overline{\frac{n^3 - 6nn + 11n - 6}{6}}$, hoc est, $\int \frac{1}{6}n^3 - \int nn + \int \frac{11}{6}n - \int 1 \propto \frac{n^4 - 6n^3 + 11nn - 6n}{24}$, indeque $\int \frac{1}{6}n^3 \propto \frac{n^4 - 6n^3 + 11nn - 6n}{24} + \int nn - \int \frac{11}{6}n + \int 1$. Et quoniam per modo inventa $\int nn \propto \frac{1}{3}n^3 + \frac{1}{2}nn + \frac{1}{6}n$; nec non $\int \frac{11}{6}n$ sive $\frac{11}{6}\int n \propto \frac{11}{12}nn + \frac{11}{12}n$, & $\int 1 \propto n$; hinc factâ horum substitutione emerget $\int \frac{1}{6}n^3 \propto \frac{n^4 - 6n^3 + 11nn - 6n}{24} + \frac{1}{3}n^3 + \frac{1}{2}nn + \frac{1}{6}n - \frac{11}{12}nn - \frac{11}{12}n + n \propto \frac{1}{24}n^4 + \frac{1}{12}n^3 + \frac{1}{24}nn$, ejusque proin sextuplum $\int n^3$ (summa cuborum) $\propto \frac{1}{4}n^4 + \frac{1}{2}n^3 + \frac{1}{4}nn$. Atque sic porrò ad altiores gradatim potestates pergere, levique negotio sequentem adornare laterculum licet:

Summæ Potestatum.

$\int n \propto \frac{1}{2}nn + \frac{1}{2}n.$

$\int nn \propto \frac{1}{3}n^3 + \frac{1}{2}nn + \frac{1}{6}n.$

$\int n^3 \propto \frac{1}{4}n^4 + \frac{1}{2}n^3 + \frac{1}{4}nn.$

$\int n^4 \propto \frac{1}{5}n^5 + \frac{1}{2}n^4 + \frac{1}{3}n^3 * - \frac{1}{30}n.$

$\int n^5 \propto \frac{1}{6}n^6 + \frac{1}{2}n^5 + \frac{5}{12}n^4 * - \frac{1}{12}nn.$

$\int n^6 \propto \frac{1}{7}n^7 + \frac{1}{2}n^6 + \frac{1}{2}n^5 * - \frac{1}{6}n^3 * + \frac{1}{42}n.$

$\int n^7 \propto \frac{1}{8}n^8 + \frac{1}{2}n^7 + \frac{7}{12}n^6 * - \frac{7}{24}n^4 * + \frac{1}{12}nn.$

$\int n^8 \propto \frac{1}{9}n^9 + \frac{1}{2}n^8 + \frac{2}{3}n^7 * - \frac{7}{15}n^5 * + \frac{2}{9}n^3 * - \frac{1}{30}n.$

$\int n^9 \propto \frac{1}{10}n^{10} + \frac{1}{2}n^9 + \frac{3}{4}n^8 * - \frac{7}{10}n^6 * + \frac{1}{2}n^4 * - \frac{1}{12}nn.$

$\int n^{10} \propto \frac{1}{11}n^{11} + \frac{1}{2}n^{10} + \frac{5}{6}n^9 * - 1n^7 * + 1n^5 * - \frac{1}{2}n^3 * + \frac{5}{66}n.$

Quin imò qui legem progressionis inibi attentius inspexerit, eundem etiam continuare poterit absq; his ratiociniorum ambagibus: Sumtâ enim c pro potestatis cujuslibet exponente, fit summa omnium n^c seu $\int n^c \propto \frac{1}{c+1}n^{c+1} + \frac{1}{2}n^c + \frac{c}{2}An^{c-1} + \frac{c.c-1.c-2}{2.3.4}Bn^{c-3} + \frac{c.c-1.c-2.c-3.c-4}{2.3.4.5.6}Cn^{c-5} + \frac{c.c-1.c-2.c-3.c-4.c-5.c-6}{2.3.4.5.6.7.8}Dn^{c-7} \ldots$ & ita deinceps, exponentem potestatis ipsius n continuè minuendo binario, quousque perveniatur ad n vel nn. Literæ capitales A, B, C, D &c. ordine denotant coëfficientes ultimorum terminorum pro $\int nn$, $\int n^4$, $\int n^6$, $\int n^8$ &c. nempe A $\propto \frac{1}{6}$, B

$\infty -\frac{1}{30}$, C $\infty \frac{1}{42}$, D $\infty -\frac{1}{30}$. Sunt autem hi coëfficientes ità comparati, ut ſinguli cum cæteris ſui ordinis coëfficientibus complere debeant unitatem; ſic D valere diximus $-\frac{1}{30}$, quia $\frac{1}{9}+\frac{1}{2}+\frac{2}{3}-\frac{7}{15}+\frac{2}{9}(+D)-\frac{1}{30} \infty 1$. Huius laterculi beneficio intra ſemi-quadrantem horæ reperi, quòd poteſtates decimæ ſive quadrato-ſurſolida mille primorum numerorum ab unitate in ſummam collecta efficiunt

91409924241424243424241924242500.

E quibus apparet, quàm inutilis cenſenda ſit opera Iſmaëlis Bullialdi, quam conſcribendo tam ſpiſſo volumini Arithmeticæ ſuæ Infinitorum impendit, ubi nihil præſtitit aliud, quàm ut primarum tantum ſex poteſtatum ſummas (partem ejus quod unicâ nos conſecuti ſumus paginâ) immenſo labore demonſtratas exhiberet.

Antequam caput hoc finiamus, paucis adhuc indicare lubet, quomodo ſuppoſitis iis, quæ de ſeriebus figuratis oſtenſa ſunt, poſſint quævis etiam aliæ ſeries figuratarum analogæ (quæ ſcil. differentias ſuas primas, ſecundas, tertias &c. æquales habent, adeoque ex continua additione terminorum alicujus ſeriei æqualium generantur) ad homologas figuratas reduci, ac proinde ſummari, vel poſtremi ipſarum termini inveniri: Sit ſeries quævis æqualium D, ex cujus additione naſcatur ſeries C, & ex hujus additione ſeries B, & ex hujus tandem collectione ſeries A, ſumtis ad arbitrium primis ſerierum terminis d, c, b, a. Vocabitur ſeries A figuratarum analoga, cujus differentiæ primæ conſtituunt ſeriem B, ſecundæ ſeriem C, tertiæ ſeriem D, &c. Et quoniam apparet, ſeriem A componi ex ſeriebus unitatum 1, 1, 1, 1 &c. lateralium 1, 2, 3, 4. &c. trigonalium 1, 3, 6, 10, &c. pyramidalium 1, 4, 10, 20. &c. in primos differentiarum terminos a, b, c, d, ſeorſim ductis, quarumque omnium poſtremi termini & ſummæ per ante dicta habentur, ipſius quoque

D	C	B	A.
d	c	b	a
d	$c+d$	$b+c$	$a+b$
d	$c+2d$	$b+2c+d$	$a+2b+c$
d	$c+3d$	$b+3c+3d$	$a+3b+3c+d$
d	$c+4d$	$b+4c+6d$	$a+4b+6c+4d$
d	$c+5d$	$b+5c+10d$	$a+5b+10c+10d$

quoque hinc ſeriei A poſtremum terminum & ſummam terminorum obtineri poſſe conſtat; nimirum ſi numerus terminorum vocetur n, erit ultimus terminus ſeriei A $\infty a + n - 1 . b + \frac{n-1 . n-2}{2} c + \frac{n-1 . n-2 . n-3}{2 . 3} d$; & ſumma omnium terminorum $\infty na + \frac{n . n-1}{2} b + \frac{n . n-1 . n-2}{2 . 3} c + \frac{n . n-1 . n-2 . n-3}{2 . 3 . 4} d$.



CAPUT IV.

Invenire numerum Combinationum ſecundùm ſingulos exponentes ſeorſim; ubi ſimul oſtenditur, in quot combinationibus una pluresvé res præſcriptæ conjunctim vel diviſim reperiantur.

EX cap. præc. conſtat, numerum combinationum ſecundùm quemcunque exponentem æquari aggregato reſpectivæ ſeriei numerorum figuratorum, ad tot terminos continuatæ, quot fuerint combinandæ res. Quare cùm ibidem ſit oſtenſum, poſito numero terminorum n ſummam ſeriei cujusvis c eſſe $\frac{n . n-1 . n-2 . n-3 \ldots\ldots n-c+1}{1 . 2 . 3 . 4 \ldots\ldots c}$, ſequitur, eandem hanc quantitatem exprimere quoque numerum combinationum, ſumtis n pro multitudine rerum combinandarum, & c pro exponente combinationis.

Patet autem, quantitatem iſtam deſignari per geminam progreſſionem arithmeticam, unam à numero rerum deſcendentem, aſcendentem ab unitate alteram, quarum communis exceſſus eſt unitas, & utraque tot terminorum, quot unitates habet combinationis exponens c: quippe cùm in utrâque differentia primi & ultimi termini ſit $c - 1$. Unde talis emergit

Regula

pro inveniendis Combinationibus secundùm datum exponentem:

Fiant duæ Progressiones Arithmeticæ, una descendens à numero rerum combinandarum, altera ascendens ab unitate, quarum communis differentia sit unitas, & utraque tot terminorum, quot unitates habet combinationis exponens: tum factum ex ductu terminorum prioris progressionis dividatur per factum ex ductu terminorum posterioris. Quotiens erit quæsita combinationum, quæ secundùm datum exponentem institui possunt, multitudo.

Ita ex. gr. ex 10 diversis rebus sumi possunt quaternarii

$$\frac{10.9.8.7}{1.2.3.4} \infty \frac{5040}{24} \infty 210.$$

Nota: Si plusculæ res ad combinandum sint propositæ, præsertim secundum exponentem itidem majusculum; ut si propositum sit inquirere, quoties ex rebus centum vicenæ possint accipi, supputatio secundum regulam instituenda perquàm prolixa & tædiosa evaderet, excrescente producto multiplicationis ad 40 usque notas. Quare tum, ut quæsitum compendio consequamur, poterimus terminos progressionum ante multiplicationem per communes divisores tollere, hâc ratione:

$$\frac{100.\cancel{99}.98.97.\cancel{96}.95.94.93.92.\cancel{91}.\cancel{90}.89.88.87.86.\cancel{85}.\cancel{84}.83.82.81}{1.\cancel{2}.\cancel{3}.4.\cancel{5}.\cancel{6}.\cancel{7}.\cancel{8}.\cancel{9}.10.\cancel{11}.\cancel{12}.\cancel{13}.\cancel{14}.\cancel{15}.16.\cancel{17}.18.19.20.}$$

Divido utrumq; fractionis terminum per 9. 11 ∞ 99, per 8. 12 ∞ 96, per 7. 13 ∞ 91, per 6. 14 ∞ 84, per 5. 17 ∞ 85, & per 2. 3. 15 ∞ 90, delendo numeros alteros ex numeratore, ex denominatore alteros, ut fractio ad minores terminos reducta sit hæc:

$$\frac{100.98.97.95.94.93.92.89.88.87.86.83.82.81}{1.4.10.16.18.19.20}$$

Deinde

Deinde divido utrinque per 100, delendo ſuperiùs 100, & ſcribendo inferius 2 loco 10.20 ∞ 200; iterum divido per 8, ſcribendo ſuperius 11 loco 88, inferius delendo modò aſcripta 2.4 ∞ 8: porrò quia 5.19 ∞ 95, deleo infra 19, ſupra loco 95 ſcribo 5: divido utrinque per 9, ſcribendo ſuperius 9 loco 81, & inferius 2 loco 18: divido per 4, ponendo ſuperius 23 loco 92, inferius 4 loco 16: tandem divido ter per 2, ſubſtituendo ſuperius 41, 43 & 47 loco 82, 86 & 94, inferius delendo omnia. Sic erit reducta ſeries ad hos terminos, 98, 97.93.89.87.83.47.43.41.23.11.9.5; qui in ſe ducti continuè exhibent 535983370403809682970 numerum vicenariorum in rebus centum.

Quòd ſi quis in numeris tam prolixis, ubi exacta præciſio neceſſaria non eſt, eâ quæ ad uſum ſufficit acquieſcere velit, is utiliter & magno cum compendio Logarithmos adhibebit. Nam ſi ſummam Logarithmorum ab 1 ad 20 (quæ reperitur 18.3861244) ſubtrahat à ſummâ Log-orum ab 81 ad 100 (quæ eſt 39.1152756,) vel etiam ipſorum tantùm numerorum 98.97.93. &c. (qui poſt inſtitutam progreſſionum reductionem remanſerunt) Logarithmos addat, ſtatim obtinebit 20.7291512 Log-um numeri combinationum quæſiti, qui numerus propter characteriſticam ſui Log-i 20 conſtare debet notis 21. Harum priores quatuor in Canone reperiuntur 5359, ſequentes tres è comparatis proximorum Log-orum differentiis eliciuntur 833, cætera 14 loca cyphris ſuppleri poſſunt, ſic ut quæſitus combinationum numerus ὡς ἐν πλάτει acceptus ſit

5 3 5 9 8 3 3 0 0 0 0 0 0 0 0 0 0 0 0 0 0.

Porrò ex allatâ Regulâ, quam pro inveniendis combinationibus ſecundum ſingulos exponentes adduximus, ſequentia manant corollaria:

Cor. 1. In dato quovis rerum numero, creſcente exponente combinationis quouſque medium numeri rerum attigerit, creſcit ipſa combinationum multitudo; creſcente verò ulterius exponente, hæc iterum decreſcit: Ita in rebus octo plures continentur biniones quàm uniones, terniones quàm biniones, quaterniones quam terniones; ſed ſi pergas ulterius, pauciores invenies quinarios quàm quaternarios, ſenarios quàm quinarios &c. Conf. propr. 6 Tab. num. fig. Etenim 8 vel $\frac{8}{1}$ numerus unionum in rebus octo coontinuè ductus in $\frac{7}{2}.\frac{6}{3}.\frac{5}{4}.$

 $\frac{4}{5}.\frac{3}{6}$

$\frac{4}{5}.\frac{3}{6}.$ &c. ſucceſſivè producit $\frac{8.7}{1.2}$, $\frac{8.7.6}{1.2.3}$, $\frac{8.7.6.5}{1.2.3.4}$, $\frac{8.7.6.5.4}{1.2.3.4.5}$, $\frac{8.7.6.5.4.3}{1.2.3.4.5.6}$. &c. qui juxta regulam ſunt numeri binionum, ternionum, quaternionum, quinionum, ſenionum &c. Unde cùm priorum factorum $\frac{7}{2}.\frac{6}{3}.\frac{5}{4}$ ſinguli ſint majores unitate, reliqui $\frac{4}{5}.\frac{3}{6}$ &c. unitate minores, ſequitur, ſucceſſiva producta ex iſtis factoribus, hoc eſt, numeros combinationum aliquouſque continuè creſcere, & poſtmodùm iterum decreſcere debere. Quòd verò creſcant, donec exponens combinationis dimidium rerum numerum attingit, inde liquet, quòd fractionum iſtarum $\frac{8}{1}.\frac{7}{2}.\frac{6}{3}.\frac{5}{4}.$ &c. (ex quarum continuo ductu numeri combinationum reſultant, quarumque primus numerator perpetuò rerum numerum, denominator primus unitatem æquat) termini ſuperiores & inferiores pro unoquoque ſequentium exponentium binario ſibi propiores fiunt (illis unitatis decrementum, his incrementum paſſis) proindeque ſe mutuò aſſequuntur in tot terminis, quot indicat ſemiſſis primi numeratoris ſive dimidius rerum datarum numerus; poſt quos terminos ipſi denominatores ſuis viciſſim numeratoribus majores fiunt, & ab iis majori ſubinde intervallo recedunt.

Cor. 2. Duo exponentes, qui ſimul componunt ipſum rerum numerum (*quos parallelos* vocabimus) combinationes habent æquè multas. Sic in rebus octo tot habentur ſeptenarii quot unitates, tot ſenarii quot binarii, & tot quinarii quot ternarii, propter $8 \propto 7+1 \propto 6+2 \propto 5+3$. Huc refer propr. 6 & 7 Tab. num. fig. Ratio evidens: Quoties enim ex rebus octo ex. gr. binæ accipiuntur toties utique aliæ ſenæ relinquuntur: ergò toties quoque è converſo ſenæ poſſunt accipi, ſumtis nimirum iis quæ relinquebantur antea & relictis quæ ſumebantur. Idem ex præſcripto regulæ ſic evincitur: Juxta illam numerus binariorum in rebus octo eſt $\frac{8.7}{1.2}$; adjiciantur numeratori & denominatori factores progreſſivi æque-multi, quoad adjectorum ultimus in denominatore primo adjectorum in numeratore æquetur, ſcil. $\frac{6.5.4.3}{3.4.5.6}$; ſic factum ex adjectis æquatur unitati, numeratoribus & denominatoribus inverſo ordine ſe mutuò deſtruentibus; ipſumque adeò productum integrum $\frac{8.7.6.5.4.3}{1.2.3.4.5.6}$ non differt

fert à numero binariorum $\frac{8.7}{1.2}$: patet autem facilè, productum illud indigitare numerum ſenariorum, ſeu combinationum quarum exponens unà cum binario datum rerum numerum complet; quandoquidem primus adjectorum in numeratore (qui per hyp. poſtremo adjectorum in denominatore, h.e. ipſi combinationis exponenti æquatur) à primo omnium ſeu ipſo rerum numero tot unitatibus differt, quot ipſum alii præcedunt, hoc eſt, quot unitates habet exponens combinationum, quarum numerum præcedentes factores $\frac{8.7}{1.2}$ inſinuabant.

Cor. 3. Exponens æqualis ſemiſſi numeri rerum, ſi datus rerum numerus eſt par; aut duo exponentes contigui quorum ſumma conſtituit rerum numerum, ſi hic eſt impar, ſuppeditant maximum numerum combinationum. Fluit ex præcedd Corollariis. Nam ex. gr. in rebus octo numeri ſeptenariorum & unitatum, ſenariorum & binariorum, quinariorum & ternariorum æquantur. per 2. Coroll. Cùm ergò plures dentur quaternarii, quàm ternarii, binarii vel unitates per 1. Cor. etiam plures erunt quaternarii, quàm combinationes ſecundùm ullum alium exponentem. Similiter in rebus novem numeri octonariorum & unitatum, ſeptenariorum & binariorum, ſenariorum & ternariorum, quinariorum & quaternariorum æquantur per 2. Cor. Cùm igitur quinarii & quaternarii quoad ſuos exponentes ſint medio numeri rerum proximi, patet eorundem numeros omnium reliquorum maximos eſſe, per 1. Cor.

Cor. 4. Numerus combinationum rerum quotcunque ſecundùm exponentem quemlibet ejusve parallelum æquatur numero permutationum rerum totidem, quæ duûm tantùm ſint generum talesque ut res ejusdem generis numero conveniant cum exponentibus parallelis combinationum; putà, tot ſunt, ternarii vel quaternarii, in rebus 7, quot permutationes rerum totidem, ſi tres ipſarum ſunt eædem, & reliquæ quatuor eædem. Nam numerus ternariorum juxta regulam ∞ $\frac{7.6.5}{1.2.3}$ ∞ $\frac{1.2.3.4.5.6.7}{1.2.3.4 \; in \; 1.2.3}$ ∞ numero permutationum dictarum per Reg. 2. Cap. I hujus.

Cor. 5. In quolibet rerum numero, multitudo combinationum ſecundùm datum exponentem æquatur ſummæ combinationum

ſecun-

ſecundùm exponentem antecedentem & datum in numero rerum præcedenti; ex gr. tot ſunt quaterniones in rebus decem, quot terniones & quaterniones ſimul in rebus novem. Namque per regulam numerus quaternionum in rebus decem $\infty \frac{10.9.8.7}{1.2.3.4} \infty \frac{9.8.7 \text{ in } 6+4}{1.2.3.4}$ $\infty \frac{9.8.7.6}{1.2.3.4} + \frac{9.8.7.4}{1.2.3.4} \infty \frac{9.8.7.6}{1.2.3.4} + \frac{9.8.7}{1.2.3} \infty$ numero quaternionum plus numero ternionum in rebus novem. Aliter ita: Una decem rerum datarum vocetur A; manifeſtum, tot dari præcisè quaternarios in quibus A non reperitur, quot quaternarii ex reliquis novem poſſunt accipi; tot verò eſſe alios in quibus reperitur A, quot terniones comprehenduntur in novem cæteris, ſiquidem ſingulis iſtis ternionibus adjectum ipſum A totidem quaterniones efficit, quos omnes A ingreditur ex conſtruct. Quare cùm quaterniones illi in quibus reperitur A, & in quibus non reperitur, exhauriant omnes quaterniones poſſibiles ex datis rebus accipiendos, conſtat propoſitum. Conf. propr. 4 & 5 Tab. num. fig.

Cor. 6. Numerus combinationum ſecundùm omnes exponentes pares (incluſo nullione) æquatur numero combinationum ſecundùm omnes impares, proinde utervis ſemiſſis eſt numeri omnium combinationum ſimpliciter (incluſo quoque nullione) h. e. cùm iſte in rebus n ſit 2^n per Reg. cap. 2. utervis illorum erit 2^{n-1}. Demonſtratum habetur ibidem ad calcem dicti capitis, ſed idem quoque ex præced. Coroll. ſic deducitur: In rebus ex. gr. novem eſt unus novenarius, ſicut in rebus decem unus denarius, deinde utrobique eſt unus nullio, ac præterea tot ſunt unitates & binarii ſimul in rebus novem, quot ſoli binarii in rebus decem; tot ibi ternarii & quaternarii ſimul, quot hìc ſoli quaternarii; tot quinarii & ſenarii ibi, quot hìc ſenarii; tot denique ſeptenarii & octonarii ibi, quot ſoli octonarii hìc, per præced. Coroll. 5. quare numerus omnium ſimpliciter combinationum rerum novem æquatur numero combinationum rerum decem ſecundùm exponentes pares. Rurſus, per idem Coroll. tot habentur in rebus novem nulliones & unitates ſimul, quot unitates tantum in rebus decem; tot ibi binarii & ternarii ſimul, tot quaternarii & quinarii, tot ſenarii & ſeptenarii, tot denique octonarii & novenarii, quot hìc ſeorſim ternarii, quot quinarii, quot ſeptena-

ſeptenarii & quot novenarii: quocirca numerus omnium ſimpliciter combinationum rerum novem æquatur etiam numero combinationum rerum decem ſecundùm exponentes impares. Ergo numeri combinationum rerum decem ſecundùm exponentes pares & ſecundùm impares inter ſe æquantur. Ecce rem in ſynopſi:

Exponentes Combinat.

Res Combinandæ.		
	X	O + II + IV + VI + VIII + X
	IX	O + I + II + III + IV + V + VI + VII + VIII + IX
	X	I + III + V + VII + IX

Superſunt nobis hìc loci nonnullæ quæſtiones enodandæ, quæ circa combinationum materiam formari poſſunt, ſuumque aliquando uſum habent; ut, cùm indagandum proponitur, in quot combinationibus una pluresve res imperatæ ſive conjunctim ſive diviſim reperiantur. Ejuſmodi quæſtiones cùm in infinitum multiplicari poſſint, omnes ad unum genus Problematis reducere conabimur, quod univerſaliter ſic enunciamus: Dato numero rerum combinandarum & exponente combinationis inveniendum ſit, in quot combinationibus ex aliquot deſignatis rebus nonnullæ, quæ & ipſæ præſcriptæ & determinatæ ſint, excluſis cæteris reperiantur; putà, ſi ex numero rerum omnium n, combinatarum ſecum invicem ſecundùm exponentem c, deſignentur aliquæ A, B, C, D, E, quarum numerus ſit m, ſive major ſive minor exponente c, & quæratur in quot combinationibus deſignatarum nonnullæ A, B, C, quarum numerus ſit b, unà junctæ reperiantur excluſis cæteris D & E. Dico, Problematis generaliter ſic concepti ſolutionem non minus promptam eſſe, ac ſpecialis cujusvis caſus; & numerum combinationum quas recipiunt res $n - m$ ſecundùm exponentem $c - b$ (quique numerus per Regulam invenitur $\frac{n-m.n-m-1.n-m-2.n-m-3\ldots n-m-c+b+1}{1.2.3.4.5\ldots c-b}$) ipſi confeſtim quæſito ſatisfacere. Nam quia numerus rerum combinatarum eſt n, & deſignatarum ex illis m, erit exemptis deſignatis reliquarum numerus $n - m$, quas ſi combines inter ſe ſecundùm exponen-

tem $c-b$, habebis novas combinationes, in quibus nulla designatarum reperitur; quare si illarum singulis adjungas præscriptas A, B, C, quarum numerus ponitur b, fiet tum utique combinationum exponens c, ipsæ verò combinationes singulæ comprehendent ex designatis solas A, B, C, seclusis reliquis, quod imperatum fuit. Quòd si numerus b, earum ex designatis, quæ combinationes optatas ingredi debent, sit quidem determinatus, ipsæ verò res non sint determinatæ, sed quomodolibet ex designatis accipiendæ; patet, numerum combinationum hinc toties multiplicari, quoties ex designatis m rebus diversæ b res eligi possunt, nempe per regulam $\frac{m.m-1.m-2\ldots m-b+1}{1.2.3\ldots b}$ vicibus; sic ut tum numerus combinationum quæsitus sit $\frac{m.m-1.m-2\ldots m-b+1}{1.2.3\ldots b}$ in $\frac{n-m.n-m-1.n-m-2\ldots n-m-c+b+1}{1.2.3.4\ldots c-b}$

Nota, si $n-m < c-b$, nulla institui potest combinatio, quæ præscriptam conditionem habeat. Sed hæc ad nonnullos speciales casus applicabimus:

Quæritur primò, in quot combinationibus reperiatur data quælibet res? Quia hîc designatur res unica, erit m & $b \infty 1$, adeoque $\frac{n-m.n-m-1.n-m-2\ldots n-m-c+b+1}{1.2.3.4\ldots c-b} \infty \frac{n-1.n-2.n-3\ldots n-c+1}{1.2.3.4\ldots c-1}$ ∞ numero combinationum quæsito, qui quidem ad numerum omnium combinationum $\frac{n.n-1.n-2.n-3\ldots n-c+1}{1.2.3.4\ldots c}$ se habet ut c ad n, exponens scil. combinationis ad numerum rerum combinatarum, uti constat, si utraque fractio dividatur per $n-1.n-2.n-3\ldots n-c+1$, & multiplicetur per $1.2.3.4\ldots c$.

2. Sunto jam designatæ res duæ A & B, & definiendus sit combinationum numerus, in quibus reperitur A absque B. Quia hîc $m \infty 2$, & $b \infty 1$, erit numerus quæsitus $\frac{n.2.n-3\ n-4\ldots n-c}{1.2.3.4\ldots c-1}$, cujus proinde duplum, numerum combinationum denotabit, in quibus alterutra ipsarum A & B absque alterâ reperitur.

3. Porrò si quæratur, in quot combinationibus reperiantur

ambæ

ambæ A & B; fiet, propter m & b ꝏ 2, optatus numerus $\frac{n-2 \,.\, n-3 \,.\, n-4 \,.\,.\,.\,.\, n-c+1}{1 \,.\, 2 \,.\, 3 \,.\, 4 \,.\,.\,.\,.\,.\, c-2}$.

4. Sin quæratur, in quot combinationibus neutra designatarum reperiatur, invenitur, ob m ꝏ 2 & b ꝏ 0, quæsita combinationum multitudo $\frac{n-2 \,.\, n-3 \,.\, n-4 \,.\,.\,.\,.\, n-c-1}{1 \,.\, 2 \,.\, 3 \,.\, 4 \,.\,.\,.\,.\, c}$.

5. Ita etiam si rerum designatarum tres sint, & quæstio sit, quot combinationes ingrediantur duæ A & B absque tertiâ C; quo casu m valet 3 & b 2; quæsitus combinationum numerus invenitur $\frac{n-3 \,.\, n-4 \,.\, n-5 \,.\,.\,.\,.\, n-c}{1 \,.\, 2 \,.\, 3 \,.\, 4 \,.\,.\,.\,.\, c-2}$. Et quia ex tribus ter binæ possunt accipi, triplum illius numerum combinationum exhibebit, quas duæ designatarum quæcunque exclusâ tertiâ ingrediuntur. Atque ita porrò in aliis.

Appendix: Explicatâ numerorum figuratorum naturâ, usuque quem in combinationibus præstant, instituti nostri filum tantisper deseremus, promissi in fine Propos. 7 Part. I facti memores, donec porrò hîc ostenderimus, quomodo expectationes duorum collusorum indefinitè ad quotvis deficientes lusus in symbolis exhiberi possint, quod olim quoque Pascalium occupavit; Duo autem præstò sunt modi, quibus id consequi licet: unus reconditior, ex constructione Tabellæ ibidem insertæ & consideratione progressionis, quam numeri illius inter se servant, petitus; quem nunquam se assequi potuisse scribit Pascalius in epistolâ ad Fermatium, ut legere est in hujus operibus Tolosæ impressis A. 1679, p. 180: alter magis planus & obvius, ex combinationum doctrinâ immediatè dimanans, quo Auctor ille in suâ Problematis solutione videtur usus.

I. *Mod.* Sint duo collusores A & B, quorum illi n, huic m ludi ad vincendum desint, & quærenda sit utriusque expectatio, h. e. quærendus sit in dictâ Tabellâ numerus areolæ n columnæ verticalis m. Adjecti intelligantur in columnarum capitellis tot termini progressionis duplæ ab unitate, quota est unaquæque inter columnas; unus primæ, duo secundæ, tres tertiæ columnæ &c. hoc pacto:

	I.	II.	III.	IV.	V.	
					1	m
				1	2	
			1	2	4	
		1	2	4	8	
	1	2	4	8	16	
1	1 : 2	3 : 4	7 : 8	15 : 16	31 : 32	n
2	1 : 4	4 : 8	11 : 16	26 : 32	57 : 64	
3	1 : 8	5 : 16	16 : 32	42 : 64	99 : 128	
4	1 : 16	6 : 32	22 : 64	64 : 128	163 : 256	

Et apparebit primo intuitu, progreſſiones has duplas ordine continuari per denominatores fractionum in columnis, adeò ut denominator areolæ n columnæ cujuslibet m ſit terminus $m+n$ progreſſionis duplæ ab unitate, i. e. poteſtas binarii, cujus exponens $m+n-1$, ſive, 2^{m+n-1}. Ad numeratores verò fractionum quod attinet, perpendi debet quòd unusquiſq; eorum ex conſtructione Tabellæ loc. cit. inſinuatâ æquetur duobus aliis, quorum unus illi immediatè ſupra, alter ad ſiniſtram poſitus eſt; hinc enim inferri poteſt, numeratorem areolæ n columnæ cujuslibet æquari quoque ſummæ omnium n numeratorum columnæ præcedentis unà cum terminis ipſi in vertice adjectis ac præterea unitati; indeque porrò haud difficilius colligitur, quòd ſeries numeratorum ſecundæ columnæ (unà cum terminis ipſi præfixis) diſcerpi poſſit in duas alias ſeries, tertiæ in tres, quartæ in quatuor, & generaliter columnæ cujuslibet m in alias m ſeries, &c. quarum primæ ſemper ſint ſeries monadum, ſecundæ ſeries lateralium cum unâ in vertice cyphrâ, tertiæ ſeries trigonalium cum cyphris duabus, quartæ pyramidalium cum cyphris tribus, & ita deinceps, hâc ratione:

Unde

	I.	II.	III.	IV.	V.	
					1+0+ 0+ 0+ 0	m
				1+0+ 0+ 0	1+1+ 0+ 0+ 0	
			1+0+ 0	1+1+ 0+ 0	1+2+ 1+ 0+ 0	
		1+0	1+1+ 0	1+2+ 1+ 0	1+3+ 3+ 1+ 0	
	1	1+1	1+2+ 1	1+3+ 3+ 1	1+4+ 6+ 4+ 1	
1	1	1+2	1+3+ 3	1+4+ 6+ 4	1+5+10+10+ 5	n
2	1	1+3	1+4+ 6	1+5+10+10	1+6+15+20+15	
3	1	1+4	1+5+10	1+6+15+20	1+7+21+35+35	
4	1	1+5	1+6+15	1+7+21+35	1+8+28+56+70	

Unde cùm terminus $m+n$, per consect. Cap. 3 hujus, in serie monadum sit 1, in serie lateralium $\frac{m+n-1}{1}$, trigonalium $\frac{m+n-1.m+n-2}{1.2}$, pyramidalium $\frac{m+n-1.m+n-2.m+n-3}{1.2.3}$ &c. & generaliter in m serie $\frac{m+n-1.m+n-2.m+n-3....m+n-m+1(n+1)}{1.2.3.4....m-1}$; erit numerator areolæ n columnæ cujuslibet m, $1+\frac{m+n-1}{1}+\frac{m+n-1.m+n-2}{1.2}+\frac{m+n-1.m+n-2.m+n-3}{1.2.3}+.....$ usque ad $+\frac{m+n-1.m+n-2.m+n-3....n+1}{1.2.3.4....m-1}$. Et quia per Cap. 4. iisdem hujus quantitatis membris etiam multitudo denotatur nullionum, unionum, binionum, ternionum &c. in rebus $m+n-1$ comprehensorum, sequitur dictum numeratorem conflari ex aggregato omnium nullionum, unionum, binionum, cæterarumque ordine combinationum rerum $m+n-1$ usque ad illas inclusivè combinationes, quarum exponens sit $m-1$: idemque proin aggregatum divisum per 2^{m+n-1} exhibiturum totam fractionem datæ areolæ, h. e. per hyp. optatam expectationem collusoris A, seu partem depositi 1, quæ collusori debetur, cui n ludi deficiunt, dum alteri ludi m. Nota: si $m \infty n+1$, hoc est, si collusori B unus tantùm lusus deficiat amplius quàm ipsi A, portio depositi quæ huic debetur æqualis censebitur aggregato combinationum re-

rum $2n$, à nullione ad illas inclusivè quæ habent n pro exponente, divisọ per 2^{2n} (qui numerus est omnium simpliciter combinationum rerum $2n$ per Cap. 2) Hinc ergò si demas semissem omnium simpliciter Combinationum (nempe à nullione ad dimidium earum numerum quæ exponente n gaudent, uti colligitur ex Coroll. 2 & 3 hujus) divisum per integram summam omnium absolutè combinationum, h. e. si demas $\frac{1}{2}$ (partem depositi quam contulit collusor A) relinquetur pro lucro ipsius A. sive pro eo quod ipsi ex pecuniâ alterius debetur, semissis combinationum secundùm solum exponentem n divisus per summam omnium absolutè combinationum 2^{2n}; qui quidem semissis cùm se habeat ad $\frac{1}{2}$ (id quod deposuit alter B) ut integer numerus combinationum secundùm exponentem n dictâ ratione divisus (hoc est, per Reg. cap. hujus, ut $\frac{2n.2n-1.2n-2.2n-3....n+1}{1.2.3.4....n}$ divisus per 2^{2n}) ad 1, manifestum facit, partem quæ debetur collusori A ex eo quod deposuit alter B, exprimi per $\frac{2n.2n-1.2n-2.2n-3....n+1}{1.2.3.4....n}$ div. per 2^{2n}. Ex. gr. si n ∞ 8 & m ∞ 9, h. e. si collusori A deficiant 8 lusus, ipsique B 9, debebitur illi ex pecuniâ hujus portio, $\frac{16.15.14.13.12.11.10}{1.2.3.4.5.6.7.8}$ &c. div. per 2^{16}, quæ portio factoribus paribus numeratoris reâpse octies per 2 divisis, & singulis factoribus denominatoris per 2 multiplicatis reducitur ad fractionem $\frac{1.3.5.7.9.11.13.15}{2.4.6.8.10.12.14.16}$ oriundam ex divisione producti octo primorum imparium per productum totidem primorum parium numerorum. Ipsa solutio Pascaliana, quæ Auctori suo tantopere arrisit.

II. *Mod.* Alter modus solvendi Problema, qui ex consideratione combinationum immediatè fluit, sic habet: Disquiro, quot ludi instituendi sint, ut unus collusorum (nec nisi unus) numerum suorum lusuum necessariò compleat ac vincat; videoque requiri $m+n-1$ ludos: etenim absolutis $m+n-2$ ludis, quorum unus evicerit $m-1$, alter $n-1$ sic ut utriq; unicus desit proximus lusus alterutrum collusorum infallibiliter victorem reddet. Fingo itaque institui ab ipsis $m+n-1$ ludos non quòd paucioribus ludis alterutri constare victoria non possit quâ semel obtentâ finita est alea, sed quia residui

ſidui ad $m+n-1$ ludi, ſi maximè inſtituerentur, complendo quoque alterius numero non ſufficiunt, eoque victori nequicquam præjudicare poſſunt) fingo inquam inſtitui à colluſoribus $m+n-1$ ludos, & conſidero quòd ipſe A depoſito potiatur, quoties accidit ut alter B aut nullum, aut unum, aut duos, aut tres, &c. aut denique $m-1$ horum ludorum, nec plures, evincat; id verò tot caſibus contingere poſſe liquet, quot nulliones, uniones, biniones, terniones, &c. ac deniq; combinationes ſecundùm exponentem $m-1$ in ludis $m+n-1$ continentur. Quare cùm totidem caſus habeat A ad obtinendum depoſitum 1, & reliquos ad perdendum, ſitq; numerus omnium caſuum 2^{m+n-1} ceu omnium ſimpliciter combinationum; erit ipſius ſors per 1. Cor. 3. Prop. 1. part. æqualis aggregato dictarum combinationum (à nullione ad illas incluſivè, quœ exponente $m-1$ gaudent) diviſo per 2^{m+n-1}, ut ſupra. Nota: ſi numeri deficientium luſuum m & n exiguo differant, ſatius eſt quærere per 5. Coroll. cit. Prop. quantitatem ſolius lucri, ſeu quantitatem expectationis colluſoris A non reſpectu totius depoſiti ſed reſpectu ſolius pecuniæ alterius. Ex. gr. ſit $m \infty n+1$, adeoque $m+n-1 \infty 2n$; denotabitur numerus caſuum, quos habet A ad obtinendam pecuniam alterius (quæ nunc ſit 1) per numerum combinationum in ludis $2n$ ab exponente 0 uſque ad exponentem n; & numerus caſuum, quos habet ad perdendum tantundem, h. e. ad obtinendum -1, per numerum reliquarum combinationum ſecundùm exponentes ſuperiores: quare cùm bini exponentes paralleli, inferior & ſuperior, per Cor. 2 hujus combinationes habeant æque-multas, eoq; ſe mutuò deſtruant, relinquentur pro exceſſu, quo numerus illarum combinationum harum numerum ſuperat, ſolæ combinationes ſecundùm exponentem n ſemiſſem ipſius $2n$, quarum numerus eſt $\frac{2n.2n-1.2n-2.\ldots.n+1}{1.2.3.4\ldots n}$, ſic ut inde per dictum Coroll. 5. lucrum colluſoris A reſpectu pecuniæ alterius emergat

$\frac{2n.2n-1.2n-2\ldots.n+1}{1.2.3.4\ldots n}$ div. per 2^{2n}, itidem ut ſupra. Neque abſimili modo definietur hoc lucrum in caſu $m \infty n+2$, aut $m \infty n+3$ &c. Reperio autem, quòd dato numero n, lucrum ipſius A in caſu $m \infty n+1$, ſit ad lucrum illius in caſu $m \infty n+2$,

in

in ratione $n+1$ ad $2n+1$; & lucrum in casu $m \infty n+2$, ad lucrum in casu $m \infty n+3$, in ratione $2n+4$ ad $3n+4$. &c.

In gratiam eorum, qui speculationibus numerorum delectantur, obiter adhuc addo duas proprietates Tabellæ Prop. 7. Part. 1 subnexæ è quarum utrâvis idem quæsitum exsculpi potuisset. Una est, quòd numeratores columnæ verticalis tertiæ sint Trigonales 3, 6, 10, 15, 21. &c. aucti numeratoribus columnæ 2dæ 4, 5, 6, 7, 8, &c. quòd numeratores col. quartæ sint Pyramidales 4, 10, 20, 35, 56, &c. aucti numeratoribus 3tiæ 11, 16, 22, 29, 37, &c. numeratores columnæ 5tæ Triang. Pyramidales 5, 15, 35, 70, 126, &c. aucti numeratoribus 4tæ 26, 42, 64, 93, 130, &c. incipiendo perpetuò à secundis terminis. Altera, quòd numeratores col. 3tiæ sint Trigonales 6, 10, 15, 21, &c. aucti numeratoribus primæ 1, 1, 1, 1, &c. numeratores 4tæ Pyramidales 10, 20, 35, 56, &c. aucti numeratoribus 2dæ 5, 6, 7, 8, &c. numeratores 5tæ Triang. Pyramidales 15, 35, 70, 126, &c. aucti numeratoribus 3tiæ 16, 22, 29, 37, &c. initio semper facto â tertiis; atque sic porrò.



CAP. V.

Invenire numerum combinationum, cùm quælibet rerum combinandarum à cæteris quidem diversa existit, attamen sæpiùs in eâdem combinatione recurrere potest.

IN Combinationibus præcedd. capitum nullam rem secum ipsâ jungi, neque adeò plus semel in eâdem combinatione accipi posse supposuimus; nunc verò hanc insuper conditionem adjiciemus, ut unaquæque res etiam secum ipsâ jungi, adeoque in eâdem combinatione sæpiùs redire queat.

Sunto igitur combinandæ hâc ratione literæ *a*, *b*, *c*, *d*, &c.

Fiant

Fiant tot ſeries quot literæ, & ſingularum capita occupent ſingulæ literæ, ceu totidem uniones, ut factum cap. 2.

Pro binionibus cujusque ſeriei inveniendis, litera, quæ ejus caput eſt, non tantum cum omnibus præcedentibus literis, ut ibi factum fuit, ſed & ſecum ipsâ combinari debet: ſic habebitur in primâ ſerîe unus binarius *aa*; in ſecundâ duo binarii *ab*, *bb*; in tertiâ tres *ac*, *bc*, *cc*; in quartâ quatuor *ad*, *bd*, *cd*, *dd*. &c.

Sic etiam pro formandis ternariis unaquæque litera non modò omnium præcedentium ſerierum, ſed & ſuæmet ſeriei binariis adjungenda: ut habeantur, in primâ ſerie ternarius unus *aaa*; in ſecundâ ternarii tres *aab*, *abb*, *bbb*; in tertiâ ſex *aac*, *abc*, *bbc*, *acc*, *bcc*, *ccc*; & ſic deinceps.

Atque hoc ipſum quoque in combinationibus omnium aliorum exponentium obſervandum; quâ ratione nullam electionum, quæ circa datas res inſtitui queunt, præteriri poſſe liquidò conſtat. En Schema:

a. aa. aaa.

b. ab. bb. aab. abb. bbb.

c. ac. bc. cc. aac. abc. bbc. acc. bcc. ccc.

d. ad. bd. cd. dd. aad. abd. bbd. acd. bcd. ccd. add. bdd. cdd. ddd.

Hinc verò haud difficulter colligimus, uniones omnium ſerierum rurſus efficere ſeriem monadum, biniones ſeriem lateralium, terniones trigonalium, cæterasque combinationes majorum exponentium itidem conſtituere ſeries aliorum figuratorum altioris generis, prorſus ut combinationes præcedd. capitum, hoc ſolo cum diſcrimine, quòd ibi ſeries à cyphris, hîc ab ipſis ſtatim unitatibus incipiant; unde ſi in Tabulam redigantur, hanc diſpoſitionem præ ſe ferent:

Tabula Combinatoria.

Numeri Rerum Combinandarum.

Exponentes Combinationum.	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
I.	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1
II.	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
III.	1	3	6	10	15	21	28	36	45	55
IV.	1	4	10	20	35	56	84	120	165	220
V.	1	5	15	35	70	126	210	330	495	715
VI.	1	6	21	56	126	252	462	792	1287	2002
VII.	1	7	28	84	210	462	924	1716	3003	5005
VIII.	1	8	36	120	330	792	1716	3432	6435	11440
IX.	1	9	45	165	495	1287	3003	6435	12870	24310
X.	1	10	55	220	715	2002	5005	11440	24310	48620
XI.	1	11	66	286	1001	3003	8008	19448	43758	92378
XII.	1	12	78	364	1365	4368	12376	31824	75582	167960

Tabulæ autem ita diſpoſitæ duas præcipuè proprietates notare convenit: 1. Quòd columnæ transverſæ congruunt verticalibus, prima primæ, ſecunda ſecundæ, tertia tertiæ, &c. 2. Quòd ſumtis duabus columnis contiguis, ſive verticalibus ſive transverſis, termi-

terminorum numero æqualium, ſumma terminorum columnæ præcedentis æquatur poſtremo termino columnæ ſequentis.

E quibus facile eſt, invenire ſummam terminorum ſeriei cujusvis, adeoque & numerum combinationum ſecundùm exponentem quemcunque. Nam ſi numerus terminorum, hoc eſt, rerum combinandarum dicatur n, erit ſumma unionum ſeu terminorum ſeriei primæ, hoc eſt, ultimus terminus ſeriei ſecundæ, itidem n.

Intelligatur ſeriei ſecundæ præfixa cyphra, ut numerus terminorum fiat $n+1$; per cujus dimidium ſi multiplicetur terminus ultimus n, erit productum $\frac{n.\overline{n+1}}{1.2}$ ſumma binionum ſeu terminorum ſecundæ ſeriei, per 12 propr. cap. 3; adeoque & poſtremus terminus tertiæ, per 2 propr. hujus.

Intelligantur ſeriei tertiæ præfixæ duæ cyphræ, fietque numerus terminorum $n+2$; in cujus trientem ſi ducatur terminus ultimus modò inventus $\frac{n.\overline{n+1}}{1.2}$ exurget $\frac{n.\overline{n+1}.\overline{n+2}}{1.2.3}$ ſumma ternionum ſeu terminorum ſeriei tertiæ, & ſimul etiam poſtremus 4tæ. per easdem.

Eâdem ratione ſumma terminorum quartæ ſeriei ſeu quaternionum invenitur $\frac{n.\overline{n+1}.\overline{n+2}.\overline{n+3}}{1.2.3.4}$, quintæ ſeriei ſeu quinionum $\frac{n.\overline{n+1}.\overline{n+2}.\overline{n+3}.\overline{n+4}}{1.2.3.4.5}$; & in genere ſumma terminorum ſeriei c, ſeu combinationum ſecundùm exponentem c, reperitur $\frac{n.\overline{n+1}.\overline{n+2}.\overline{n+3}\ldots\ldots\overline{n+c-1}}{1.2.3.4\ldots\ldots c}$. Ubi notandum, quòd exiſtente $c > n$ factores fractionis poſſunt abbreviari dividendo numeratorem & denominatorem per $n.\overline{n+1}.\overline{n+2}\ldots\ldots c$, ut habeatur $\frac{\overline{c+1}.\overline{c+2}.\overline{c+3}\ldots\ldots\overline{c+n-1}}{1.2.3.4\ldots\ldots\overline{n-1}}$; & quia hæc fractio ad formulam exacta ſimul indicare debet ſummam $c+1$ terminorum ſeriei $n-1$, ſequitur quòd aggregatum n terminorum in ſerie c ſemper æquetur aggregato $c+1$ terminorum in ſerie $n-1$; quæ alia non inelegans hujus Tabellæ proprietas eſt. Inde verò reſultat ſequens

Regula
pro inveniendis combinationibus secundùm datum exponentem, cùm eadem res eandem combinationem sæpiùs ingredi potest.

Fiant duæ Progressiones Arithmeticæ ascendentes, altera à numero rerum combinandarum, ab unitate altera, quarum communis excessus sit unitas, & utraque tot terminorum, quot unitates habet combinationis exponens: tum factum ex ductu terminorum prioris progressionis dividatur per factum ex ductu terminorum posterioris; eritque quotiens quæsita combinationum secundùm datum exponentem multitudo. Hoc sensu numerus quaternionum in 10 diversis rebus contentorum est $\frac{10.11.12.13}{1.2.3.4}$ ∞ $\frac{17160}{24}$ ∞ 715.

Nota: Si combinationis exponens sit major rerum numero (quod utique fieri posse in præsente hypothesi liquet) compendiosius erit, inchoari priorem progressionem ab hoc exponente unitate aucto, & utramque fieri terminorum uno pauciorum, quàm sunt datæ res. Ita numerus combinationum secundùm exponentem 10 in rebus 4 fit $\frac{11.12.13}{1.2.3}$ ∞ $\frac{1716}{6}$ ∞ 286.

Sed & numerum combinationum secundùm plures exponentes ab unitate se aliquousque consequentes, hoc est, summam serierum quotcunque verticalium, nihilo difficiliùs venari licet: Cùm enim ex. gr. 10 primi termini 4 primarum columnarum verticalium iidem sint qui 4 primi termini 10 primarum transversarum atque insuper summæ horum terminorum æquentur undecim terminis 4ᵗᵃ columnæ verticalis demto solo primo seu unitate (singulæ scil. summæ singulis terminis, ut ex propr. 2ᵈᵃ Tabellæ liquet) manifestum est, etiam 10 primos terminos 4 primarum columnarum verticalium, h. e. summam omnium unionum, binionum, ternionum & quaternionum sumendorum ex rebus 10, unitate deficere ab undecim primis termi-

nis

nis columnæ $4^{tæ}$, hoc eſt, à numero quaternionum ſumendorum ex rebus 11. hoc eſt, à numero combinationum ſumendarum ex rebus unà pluribus ſecundùm datorum exponentium maximum. Quod idem etiam ſic oſtendo: Singulos quaterniones ſumendos ex rebus undecim res undecima vel non ingreditur planè, vel ingreditur ſemel, vel bis, vel ter, vel quater; ſed manifeſtum eſt, quaterniones, quos res undecima non ingreditur, eſſe illos ipſos quos decem reliquæ inter ſe formare poſſunt; nec minus perſpicuum, quòd numerus illorum quos ſemel tantum dicta res undecima ingreditur, æquari debeat numero ternionum ſumendorum ex 10 reliquis; ſicut etiam numerus illorum quos bis ingreditur, numero binionum; & quos ter ingreditur, numero unionum: quandoquidem ternionibus ſemel, binionibus bis, & unionibus ter adjuncta quaterniones efficit: prætereaque conſtat, quòd unus ſit quaternio, quem res undecima quater repetita conſtituit. Unde concluditur, numerum quaternionum comprehenſorum in rebus 11, hoc eſt, unâ pluribus quàm ſunt datæ res, unitate excedere omnes ſimul uniones, biniones, terniones & quaterniones rerum datarum decem; niſi his quoque nullionem accenſere velimus, quo caſu ipſis æquabitur.

Quapropter, cùm exiſtente numero rerum datarum n, & exponentium maximo c, numerus combinationum hujus exponentis in rebus $n+1$ per Reg. cap. 4. inveniatur $\frac{n+1 \cdot n+2 \cdot n+3 \cdot n+4 \ldots n+c}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4 \ldots c}$, fiet numerus combinationum rerum n ſecundùm omnes exponentes ab 1 uſque ad c (utpote unitate ab illo deficiens) $\frac{n+1 \cdot n+2 \cdot n+3 \cdot n+4 \ldots n+c}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4 \ldots c} - 1$. Quòd ſi c majus ſit ipſo n, hoc eſt, exponentium maximus major rerum numero, poterunt fractionis termini eo caſu dividi per $n+1 \cdot n+2 \cdot n+3 \ldots c$, ac proinde quantitas compendioſiùs exprimi, ita $\frac{c+1 \cdot c+2 \cdot c+3 \ldots c+n}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4 \ldots n} - 1$. Hinc talis emergit

Regula

pro inveniendis Combinationibus secundùm plures exponentes ab unitate se consequentes:

COnstituantur duæ Progressiones Arithmeticæ ascendentes, altera à numero rerum combinandarum unitate aucto, ab ipsa unitate altera, quarum communis excessus sit unitas, & utraque tot terminorum, quot unitatibus constat exponentium maximus. (Quòd si tamen exponentium maximus major sit rerum numero, satiùs est, priorem inchoari ab hoc exponente unitate aucto, & utramque fieri tot terminorum, quot sunt datæ res.) Tum factum ex ductu terminorum prioris progressionis dividatur per factum ex ductu terminorum posterioris; eritque quotiens quæsita combinationum multitudo, si scil. ipsum nullionem unà comprehensum velis; sin velis exclusum, quotiens unitate multatus quæsitum indicabit. Ita numerus omnium cum nullione unionum, binionum, ternionum & quaternionum in rebus 10 est $\frac{11 \cdot 12 \cdot 13 \cdot 14}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4} \infty \frac{24024}{24} \infty 1001$, in rebus tantum tribus $\frac{5 \cdot 6 \cdot 7}{1 \cdot 2 \cdot 3} \infty \frac{210}{6} \infty 35$; at nullione excluso numerus combinationum est ibi 1000, hìc 34.



CAPUT VI.

Invenire numerum combinationum, cum nonnullæ rerum combinandarum sunt eædem, nulla verò sæpiùs in combinatione repeti debet, quàm ipsa reperitur in toto rerum numero.

In

IN præced. capite licitum erat, quamlibet datarum diverſarum rerum ſecum ipsâ conjungere toties in combinatione, quot unitates habet ejus exponens; quo pacto dari poteſt combinatio ſecundùm exponentem quemlibet, quæ ex unâ ſolâ re ſæpiùs repetitâ conſtet. Alia quæſtio eſt, cùm determinatus eſt numerus vicium, quibus unaquæque rerum datarum ſecum ipsâ jungi poteſt: ut cùm combinandæ veniunt literæ *a*, *b*, *c*, *d*, eâ lege, ut in nullâ combinatione litera *a* ſæpiùs quàm quinquies, *b* quàm quater, *c* quàm ter, & *d* quàm bis repetatur; ubi manifeſtum eſt, nullam earum combinationum, quarum exponens quinarium ſuperat, ex unâ ſolâ literâ conflari poſſe.

Tantundem autem eſt, ſi quatuor iſtæ literæ dictâ lege inter ſe combinandæ ſunt, acſi datæ forent literæ quatuordecim, interque illas quinque *a*, quatuor *b*, tria c & duo *d*, modis omnibus inter ſe combinandæ, ſed eâ conditione, ut nulla ſæpiùs in combinatione occurrat, quàm ipſa reperitur in toto rerum numero; hoc eſt, acſi data foret quantitas algebraica *aaaaabbbbcccdd* ſive $a^5 b^4 c^3 d^2$, cujus omnes diviſores quærerentur; quandoquidem diviſores alicujus quantitatis aliter non exprimuntur, niſi per totidem combinationes factorum ejus: adeò ut doctrina hujus capitis præcipuè pro inveniendo numero diviſorum datæ alicujus quantitatis inſervire queat.

Liquet primò, unius literæ *a* tot electiones aut diviſores dari poſſe, quoties ipſa in rerum numero occurrit, ſeu quot ipſi in quantitate tribuuntur dimenſiones; adeoque ſi nullionem electionibus vel unitatem diviſoribus accenſere quoque velis, unam dari electionem aut diviſorem ampliùs, putà ſex: 1, a, aa, a^3, a^4, a^5.

Deinde, ſi litera *b* accedat, conſtat illam in ſingulas ſex præcedentium electionum aut diviſorum duci poſſe; unde totidem aliæ naſcuntur electiones; b, ab, aab, a^3b, a^4b, a^5b. Quibus ſi alterum *b* adjungas, ſex novas electiones habebis; bb, abb, $aabb$, a^3bb, &c. Et his ſi tertium *b* applicetur, ſex aliæ electiones emergent, iterumque ſex aliæ, ſi his applicetur quartum: adeò ut litera *b* toties ſex novas electiones ſuppeditet, quoties ipſa in dato rerum numero occurrit, ſeu quot ipſa in propoſitâ quantitate dimenſiones

obtinet

obtinet; nimirum quater ſex electiones; quas omnes *b* ingreditur ex conſtructione. Unde ſi his ſex primas electiones, quas *b* non ingreditur, annnumeres, habebis in univerſum quinquies ſex ſive 30 electiones.

In ſingulas porrò harum 30 electionum ſeu diviſorum ſi tertia litera *c* ducatur, prodibunt 30 novæ electiones; & ſi prodituris eadem litera adjungatur denuò, prodibunt 30 aliæ; iterumque 30 aliæ, ſi applicetur tertiùm: unde ter 30 electiones exurgunt, in quibus omnibus lit. *c* reperitur. Quibus proin ſi addas præcedentes 30, in quibus illa non reperitur, numerabis in totum quater 30 ſive 120 electiones.

Tandem ſi ſingulas harum 120 electionum vel diviſorum eâdem ratione per quartam literam *d* ob duas ejus dimenſiones bis multiplices, produces bis 120 novas electiones, quæ omnes literam *d* continent; adeoque (computatis unà prioribus 120 quæ eandem non continent) omninò ter 120 ſive 360 electiones. Et tantus quoque in univerſum diviſorum numerus exiſtit propoſitæ quantitatis $a^5 b^4 c^3 d^2$, dummodò, quòd hîc ſemper ſubintelligendum eſt, literæ *a*, *b*, *c* & *d* totidem primos ab unitate & à ſe invicem diverſos numeros indigitent. Patet autem, acceſſione cujuſque literæ numerum omnium præcedentium electionum vel diviſorum toties multiplicari, & ſemel ampliùs, quot literæ accedentis fuerint dimenſiones. Quo obſervato ratio percipi poteſt ſequentis Regulæ:

Regula

pro inveſtigando numero diviſorum alicujus quantitatis datæ, ſive numero combinationum rerum plurium, quarum nonnullæ ſunt eædem:

NUmeros dimenſionum, quibus conſtant ſingulæ diverſæ literæ quantitatem propoſitam conſtituentes, unitate auge, ſicque auctos in ſe invicem ducito: erit productum eorum continuum numerus omnium diviſo-

diviſorum datæ quantitatis, ſeu omnium combinationum, quarum literæ illam conſtituentes ſunt capaces. Ubi tamen unitatem demere memineris, ſi nullionem è combinationibus aut unitatem è diviſoribus expunctam velis. Ex. gr. in quantitate propoſitâ $a^5 b^4 c^3 d^2$ literæ a, b, c, d dimenſiones habent 5, 4, 3, 2, qui numeri unitate ſigillatim aucti efficiunt 6, 5, 4, 3, hi verò in ſe ducti 360 numerum omnium cum nullione combinationum, ſeu omnium cum unitate diviſorum quantitatis datæ.

Nota: Si numerus diverſarum literarum a, b, c, d datam quantitatem conſtituentium ſit n, omnesque literæ æquali dimenſionum numero gaudeant, qui ſit p; fiet per regulam numerus combinationum vel diviſorum $\overline{p+1}^{\,n}$. Et ſpecialiùs ſi p ∞ 1, hoc eſt, ſi datæ quantitatis ſingulæ literæ unam tantùm dimenſionem habent, aut ſi datæ res combinandæ omnes ſunt diverſæ, numerus diviſorum vel combinationum determinatur ad 2^n, reditque hypotheſis capitis ſecundi; cujus proinde ſolutio cum iſtâ conferri poterit, ut utriusque convenientia appareat.

Qui autem ad diſcurſum præſentis capitis vel leviter attenderit, facilè porrò ſi opus determinabit, in quot electionibus vel diviſoribus quælibet res aut litera reperiatur. Nam ſi quæratur ex. gr. quot diviſores propoſitæ quantitatis $a^5 b^4 c^3 d^2$ ingrediatur litera a, indagandum ſolummodò eſt, quot diviſores incluſâ unitate admittat reliqua quantitas $b^4 c^3 d^2$; his enim (cùm in iis a non reperiatur) ſi literam iſtam adjungas ſemel, habebis omnes diviſores, in quibus a reperitur unius dimenſionis: & ſi adjungas bis, habebis omnes eos in quibus eſt duarum dimenſionum: & ſi ter, illos in quibus trium &c. unde concluditur, tot eſſe diviſores, in quibus litera quælibet ſecundùm eundem dimenſionum numerum reperitur, quot reliquæ literæ in univerſum diviſores admittunt: cùm igitur quantitas $b^4 c^3 d^2$ per regulam præced. recipiat 5 . 4 . 3 ∞ 60 diviſores (connumerando illis unitatem) complectetur etiam quantitas $a^5 b^4 c^3 d^2$ diviſores totidem, in quibus a unam obtinet dimenſionem, totidemque in quibus duas, tres &c. dimenſiones; adeoque ob quinque dimenſiones ipſius a quinquies 60 ſive 300 diviſores obtinebit, in

quibus iſta litera utcunque ſecundùm aliquem dimenſionum numerum occurrit. Neque difficiliùs definitur numerus electionum aut diviſorum, in quibus reperiantur ex. gr. duæ literæ, *a* cum duabus & *b* cum tribus dimenſionibus; nam ſi ſingulis diviſoribus reliquæ quantitatis $c^3 d^2$ (quorum numerus per regulam invenitur 4.3 ∞ 12) adjungas $a^2 b^3$, palàm eſt oriri totidem diviſores optatæ conditionis, nec dari plures, & ſic in aliis.

Plus difficultatis babere forſan videbitur quæſtio, quæ numerum inire iubet diviſorum omnium ex æque-multis dimenſionibus conſtantium, hoc eſt, combinationum ſecundùm ſingulos exponentes ſeorſim. Ad id perquirendum methodum adhibeo, ſimilem illi, quâ ſupra in part. 1, poſt prop. 9 ad numeros jactuum in teſſeris inveſtigandos fui uſus: Scribo ordine omnes exponentes combinationum ſeu omnes dimenſionum numeros, quarum propoſita quantitas capax eſt, nempe à 0 uſque ad 14 pro quantitate $a^5 b^4 c^3 d^2$. Sub horum primis colloco ſex unitates, unâ vid. plures quàm eſt numerus dimenſionum primæ literæ, quibus ſubjungo ſex alias unitates, & his rurſum ſex alias &c. donec habeam ſeries unitatum unâ plures quàm eſt numerus dimenſionum ſecundæ literæ, ſed ſingulas ſeries uno gradu dextrorſum promoveo, atque tum addo quæ perpendiculariter in eodem gradu ſibi reſpondent unitates, ut fiant numeri 1, 2, 3, 4, &c. Horum deinde numerorum iterum ſeries unâ plures conſtituo quàm eſt numerus dimenſionum tertiæ literæ, illas ſimiliter gradatim ad dextram promovendo, & poſtmodùm addendo, ut prodeant numeri 1. 3, 6, 10, 14 &c. quorum numerorum mox rurſus ordines uno plures, quàm eſt numerus dimenſionum quartæ, gradatim pono & addo, continuaturus eodem tenore ulteriùs, ſi plures literæ adeſſent. En Tabulam:

Numeri

Quantit. sive Res	*Numeri dimensionum seu Exponentes combinationum:*														
combinandæ.	0.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.
a^5	1	1	1	1	1	1									
		1	1	1	1	1	1								
			1	1	1	1	1	1							
				1	1	1	1	1	1						
					1	1	1	1	1	1					
a^5b^4	1	2	3	4	5	5	4	3	2	1					
		1	2	3	4	5	5	4	3	2	1				
			1	2	3	4	5	5	4	3	2	1			
				1	2	3	4	5	5	4	3	2	1		
$a^5b^4c^3$	1	3	6	10	14	17	18	17	14	10	6	3	1		
		1	3	6	10	14	17	18	17	14	10	6	3	1	
			1	3	6	10	14	17	18	17	14	10	6	3	1
$a^5b^4c^3d^2$	1	4	10	19	30	41	49	52	49	41	30	19	10	4	1

Quo facto qui ex additione ultimâ resultant numeri singuli, denotabunt multitudinem divisorum vel combinationum secundùm singulos dimensionum numeros seu exponentes supra scriptos. Sic indicante Tabellâ reperio, quòd quantitas proposita habeat unum divisorem nullius, 4 divisores unius, 10 duarum, 19 trium &c. dimensionum, sive, quòd habeat unum nullionem, 4 uniones, 10 biniones, 19 terniones, & sic porrò; qui omnes collectivè sumti summam conficiunt 360, ut oportebat. Qui rationem similis operationis pro tesseris intellexerit, rationem hujus quoque non difficulter capiet.

Plura de his, divisoribus præsertim (at nimium ab instituto aliena) legere est in 5 prioribus sectionibus miscellaneis Exercit. Matth. Fr. Schootenii, nec non cap. 3 & 4 Differt. Joh. Wallisii de combinationibus Tractatui ejus de Algebrâ subnexæ. Quos Auctores adeat qui volet. Nos properamus ad alia.



CAP. VII.

De Combinationibus & Permutationibus mixtim spectatis.

IN Combinationibus, de quibus hucusque sermo nobis fuit, nulla ordinis sitûsque ratio habebatur, & unum eundemque ex. gr. ternarium constituere intelligebantur literæ a, b, c, quocunq; scriberentur ordine, seu abc, seu acb, seu bac &c. Sed quandoque præter complexionum varietatem ipsa quoq; ordinis & dispositionis variatio in rebus combinandis attendenda est; quemadmodum fieri solet in vocibus & numeris: Alia enim vox est vel syllaba ab, & alia ba; & alius numerus 12, alius 21; quanquam eædem literæ eædemque notæ numerales concurrant ad formandas tum syllabas ab & ba, tum numeros 12 & 21; sic ut totum discrimen à diversâ earundem dispositione proficiscatur.

Restat itaque. ut hoc & sequentibus capitibus combinationum & permutationũ doctrinam mixtim contemplemur, indagando, quàm variè plures diversæ res, aut quarum nonnullæ sunt eædem, & combinari secum invicem, & combinatæ inter se transponi possint, idq; nunc secundùm unum exponentem, nunc secundùm plures; & modò sic, ut nulla rerum datarum secum ipsa combinari debeat, modo sic, ut quælibet etiam secum ipsa combinari, pluriesque adeò in eâdem combinatione repeti queat.

1. *Invenire numerum electionum plurium diversarum rerum, quarum nulla secum ipsa combinari debet, secundùm unum exponentem.*

Solutio quæstionis ex præcedentibus promta est & facilis: Si multitudo rerum combinandarum dicitur n, atque exponens combinationis c, numerus combinationum neglectâ consideratione ordinis inter res combinatas est $\frac{n \cdot n-1 \cdot n-2 \cdot n-3 \cdot \ldots \ldots \cdot n-c+1}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4 \cdot \ldots \ldots \cdot c}$ per cap. 4. Et quia singulæ hæ combinationes ex hypoth. constant rebus

bus diversis c, quæ per cap. 1. ordinem inter se variare possunt $1.2.3.4.....c$ vicibus, sequitur, si & ordinis in combinationibus habeatur ratio, earum numerum totidem quoque vicibus majorem fore quàm ubi hæc consideratio negligitur, ac proinde æquari $\frac{n.n-1.n-2.n-3....n-c+1}{1.2.3.4.....c}$ in $1.2.3.4.....c \infty$ $n.n-1.n-2.n-3.....n-c+1$; id quod sequentem Regulam suggerit:

Regula

pro inveniendo numero combinationum secundùm datum exponentem:

COnstituatur Progressio Arithmetica, cujus communis differentia sit 1, incipiens à numero rerum combinandarum, & descendens per tot terminos, quot unitates habet combinationis exponens; eritque factum ex ductu terminorum ejus quæsita combinationum multitudo. Ex. gr. Quaterniones omnes in rebus 10, iique modis omnibus transpositi sunt $10.9.8.7 \infty 5040$.

Consectaria: 1. Si combinationis exponens ipsi rerum numero æquatur, tantundem est, acsi simplices permutationes rerum datarum quærerentur; quippe cùm omnes semper simul accipiendæ, quæ hypothesis est capitis 1: eritque tum $n.n-1.n-2.n-3....n-c+1 \infty n.n-1.n-2.n-3....1$ $\infty 1.2.3.4....n$, quod convenit cum regulâ cap. 1.

2. Omnes res simul acceptæ, hoc est, combinatæ secundùm exponentem æqualem rerum multitudini, tot recipiunt permutationes ordinis, quot recipiunt earundem combinationes omnes secundùm exponentem unitate minorem: Ita res 5 toties disponi possunt diversimodè quinæ, quoties quaternæ; nam permutationes omnes quinque rerum sunt $1.2.3.4.5$ seu $5.4.3.2.1$ per regulam hujus & primi capitis; & permutationes quaternionum omnium sunt

5 . 4 . 3 . 2 per eandem hanc regulam: eſt verò 5 . 4 . 3 . 2 ∞ 5 . 4 . 3 . 2 . 1. unde liquet &c.

3. Summa unionum & binionum in rebus quotlibet æquatur quadrato numeri rerum: poſito namque rerum numero n, unionum numerus juxta regulam eſt n, & binionum $n . n - 1$ ∞ $nn - n$; quorum ſumma $n + nn - n$ ∞ nn. Sic ex. gr. colligere poſſumus, 9 notas numerales ſignificativas acceptas ſingulas & binas modis omnibus conſtituere novies 9 ſeu 81 diverſos numeros; totidem ſcil. ab 1 ad 100 reâpſe invenimus non plures, ſi reſecemus illos, quos vel cyphra ingreditur, vel idem geminatus character conſtituit.

4. Numerus combinationum ſecundùm exponentem quemlibet æquatur numero permutationum rerum totidem, quarum tot ſint eædem, quot unitates habet exponentis parallelus, reliquarum verò ſingulæ à ſingulis diverſæ. Sic tot ſunt ternarii in rebus 8, quot permutationes rerum 8, quarum 5 ſunt eædem, nempe 8 . 7 . 6 ∞ $\frac{1.2.3.4.5.6.7.8}{1.2.3.4.5}$ ∞ num. permutat. per Reg. 2. cap. 1. hujus.

2. *Invenire numerum electionum plurium diverſarum rerum, quarum nulla ſecum ipſa combinanda eſt, abſolutè ſeu ſecundùm omnes exponentes.*

Si addantur numeri combinationum per præced. regulam ſecundùm ſingulos exponentes ſeorſim quæſiti obtinebitur numerus omnium combinationum abſolutè. Idem tamen paulò expeditiùs inveniri poteſt, ſi attendatur ad proprietatem aliquam non contemnendam, quæ ex collatis duobus ejuſmodi numeris elicitur.

Sint primò combinandæ res quatuor: Conſtat per præced. reg. numerum unionum eſſe 4, binionum 4 . 3, ternionum 4 . 3 . 2, quaternionum denique 4 . 3 . 2 . 1; & propterea numerum omnium combinationum abſolutè 4 + 4 . 3 + 4 . 3 . 2 + 4 . 3 . 2 . 1.

Sint dein combinandæ res quinque; ubi ſimili modo colligitur, ſummam unionum, binionum, ternionum, quaternionum & quinionum, ſeu numerum omnium abſolutè combinationum eſſe 5 + 5 . 4 + 5 . 4 . 3 + 5 . 4 . 3 . 2 + 5 . 4 . 3 . 2 . 1. Eſt verò 5 + 5 . 4 + 5 . 4 . 3 + 5 . 4 . 3 . 2 + 5 . 4 . 3 . 2 . 1 ∞ 5 in

$\overline{1+4+4.3+4.3.2+4.3.2.1}$, hoc eſt, numerus combinationum rerum 5 quinquies major numero combinationum rerum 4 unitate aucto. Unde diſcimus, numerum combinationum in rebus quotcunque datis toties excedere numerum combinationum in rebus unâ paucioribus unitate auctum, quot ſunt datæ res. (Intellige, non computato utroque nullione.)

Quocirca cùm unius rei unica ſit electio, addito 1 ad 1 ſummâque 2 multiplicatâ per 2, erit productum 4 numerus omnium combinationum in rebus duabus.

Rurſus addito 1 ad 4, ſummâque 5 multiplicatâ per 3, ſignificabit productum 15 numerum combinationum in rebus tribus.

Similiter addito 1 ad 15, ſummâque 16 ductâ in 4, exurgit 64 numerus combinationum in rebus quatuor.

Hunc unitate auctum ſi ducas in 5, habebis omnes combinationes rerum quinque; atque ita porrò in infinitum, ut ex ſequenti laterculo apparet.

Num. rer. datarum	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	&c.
Num. combination.	1.	4.	15.	64.	325.	1956.	13699.	109600.	986409.	9864100.	&c.

Hâc ratione colligimus, 9 notas numerales, ſi ſumantur ſingulæ, binæ, ternæ, &c. & tandem novenæ, ac transponantur modis omnibns, recipere 986409 mutationes, totidemque proin diverſos numeros formari poſſe, in quorum nullo character aliquis plus unâ vice occurrat.

CAPUT VIII.

3. *Invenire numerum electionum plurium diverſarum rerum, cùm quælibet earum etiam ſecum ipſa combinari poteſt, ſecundùm unum exponentem.*

In

IN cap. præced, quæsitus fuit combinationum numerus, quando nulla res plus semel in eâdem combinatione repeti poterat. Nunc supponemus, rem quamlibet etiam secum ipsâ jungi, adeoque bis, ter, quater pluriesvé in eâdem combinatione repeti posse; investigabimusque, quis hoc sensu futurus sit combinationum numerus, si in illis etiam, ut anteà, attendatur ordinis varietas.

Sunto datæ res aut literæ quotlibet *a*, *b*, *c*, *d*, &c. quarum numerus sit *m*, patet illarum tot uniones posse accipi, quot sunt datæ res, putà *m*.

Applicetur iis prima litera *a*, præponendo illam singulis, ita: *aa*, *ab*, *ac*, *ad* &c. & habentur biniones, qui omnes incipiunt ab *a*, quorumque numerus æquari debet ipsi rerum numero *m*.

Deinde applicetur iisdem secunda *b*, præfigendo illam singulis. ut fiant *ba*, *bb*, *bc*, *bd* &c. qui omnes sunt biniones à *b* incipientes, quorum proinde numerus itidem ipsi *m* æquatur.

Simili ratione tertia *c*, & quarta *d*, cæteræque si plures fuerint, singulis datarum rerum semel præfigantur, & exurgent novi biniones, quorum nonnulli incipiunt à literâ *c*, alii à *d*, alii à cæterarum aliquâ; eorum verò numerus, qui ab eâdem literâ incipiunt, perpetuò ipsi *m* æquabitur. Quo pacto manifestum omnes in universum biniones repertos esse, eosque modis omnibus inter se transpositos; quorum proinde numerus toties superabit ipsum rerum numerum, quot sunt datæ res: quarum cùm hic sit *m*, binionum omnium numerus erit *mm*.

His verò binionibus si denuò applicare pergas datas res, unicuique illorum singulas has præponendo, formabis omnes ternionum ordines *aaa*, *aab*, *aac*, *aad*, *aba*, *abb*, &c. quorum qui ab eâdem literâ incipiunt semper tot existunt, quot sunt inventi biniones; omniumque proin numerus binionum numerum toties excedet quot fuerint datæ res, ac consequenter erit m^3.

Similiter si cunctis ternionibus identidem præfigi intelligantur singulæ literæ, elicientur omnes quaterniones possibiles, quorum per consequens numerus ternionum numerum rursus *m* vicibus superabit, eritque m^4. Atque

Atq; ita apparet, combinationum numerum ſecundùm quemcunque exponentem perpetuò m vicibus ſuperandum eſſe à numero combinationum ſecundùm exponentem proximè ſequentem: ſcilicet cùm numerus quaternionum ſit m^4, erit quinionum numerus m^5, ſenionum m^6, & generaliter ſi exponens dicatur n, numerus combinationum ſecundùm hunc exponentem erit m^n. Unde expedita habetur

Regula

pro inveniendo numero combinationum modis omnibus permutatarum ſecundùm datum exponentem, cùm qualibet res etiam ſecum ipſa combinari poteſt.

DAtus rerum numerus elevetur ad eam poteſtatem, cujus index eſt datus combinationis exponens; & habetur quæſitum. Ex. gr. Omnes novem notarum numeralium quaternarii ſumti & diſpoſiti modis omnibus exhibent 9^4 ∞ 9.9.9.9 ∞ 6561 variationes; totidem ſcil. numeros diverſos, rejectis iis qui cyphram unam pluresvé includunt, inter 1000 & 10000 (limites eorum qui 4 characteribus ſcribuntur) interjici neceſſe eſt. Sic 4 vocales A. E. I. O, quibus quadruplex differentia propoſitionum ſecundùm quantitatem & qualitatem in Logicis innuitur, admittunt terniones 4^3 ∞ 64; unde totidem oriuntur modi ſyllogiſmi categorici boni malivé, non 36 tantùm ut voluit Ariſtoteles cum Interpretibus. Quòd ſi indefinitæ & ſingulares propoſitiones ab univerſalibus & particularibus diſtinguerentur, unde octuplex earum naſceretur diſcrimen, numerus modorum omninò ad 512, cubum nim. octonarii, aſſurgeret.

4. *Invenire numerum combinationum ejuſmodi ſecundùm plures exponentes*

Quoniam ex iis quæ modò dicta ſunt apparet, numerum unionum in datis rebus m eſſe m, binionum mm, ternionum m^3, qua-

ternionum m^4 &c. constat, numerum combinationum secundùm exponentes plures ab unitate naturali ordine se consequentes, quorum ultimus sit n, fore $m + mm + m^3 + m^4 \ldots + m^n$, summam scil. progressionis alicujus geometricæ secundùm rationem 1 ad m, cujus primus terminus est m, & ultimus m^n; quæque summa vulgò notâ methodo compendiosiùs exprimitur & unâ quantitate sic effertur: $\frac{m^n - 1 \text{ in } m}{m - 1}$, ita ut institutâ proportione $m - 1$ sit ad m, ut $m^n - 1$ ad quæsitum: unde sequens manat

Regula

pro inveniendo numero combinationum secundùm plures exponentes, quorum maximus est datus.

Fiat, ut rerum datarum numerus unitate truncatus ad eundem integrum; sic illius potestas, quam indicat exponentium maximus, unitate truncata ad numerum quartum, qui optatam combinationum multitudinem exhibebit. Ex. gr. ad indagandum, quot diversis modis inter se transponi possint 10 notæ numerales, si accipiantur tum singulæ, tum binæ, ternæ, quaternæ, quinæ & senæ: vel addi possunt sex primi termini progressionis geometricæ 10. 100. 1000. &c. vel, si videatur commodiùs, faciendum, ut 9 numerus notarum unitate minutus ad 10 eundem integrum, sic 999999 ejusdem potestas sexta sive quadrato-cubica unitate truncata ad quæsitum: utroque enim modo obtinetur 1111110 quæsita dispositionum multitudo.

Notandum verò, non omnes istas dispositiones efficere peculiares numeros; quotquot enim numeri à cyphris unâ pluribusvè incipiunt, non differunt ab iis, quos soli characteres reliqui neg[illegible]ctis cyphris constituerent: quocirca ut secernantur utiles à superfluis, considerandum, quòd ex decem notis solitariis unica est inutilis, ipsa scil. cyphra: ex numeris, qui duabus constant notis, redundant 10; quandoquidem o singulis decem notis semel præponi potest: ex iis qui scribuntur notis tribus, superflui sunt 100; ipsa enim o aut ter

posita

poſita eſt ſola, aut bis præfixa ſingulis novem primis numeris, aut ſemel ſingulis inter 9 & 100 interceptis. Ita ex iis qui quatuor characteribus exprimuntur, ſupervacanei ſunt 1000; ſingulis namque numeris, qui paucioribus notis ſcribuntur, quorumque ſi cyphram unà complectaris ſunt manifeſtò mille, præfigi poteſt una alteravè cyphra, ut notarum quaternarius compleatur. Ob ſimilem rationem ex iis, qui ſcribuntur notis quinque, eliminandi 10000, & 100000 ex iis qui conſtant notis ſex: adeò ut, ſi à numero $111110 \propto 10 + 100 + 1000 + 10000 + 100000 + 1000000$, ſeu ſumma ſex terminorum progreſſionis decuplæ incipientis à 10, auferas $11111 \propto 1 + 10 + 100 + 1000 + 10000 + 100000$ ſummam totidem terminorum ejuſdem progreſſionis incipientis ab unitate (quod compendio fit, auferendo ſolummodò primum terminum hujus ab ultimo illius, cùm reliqui omnes ſe mutuo deſtruant) reſiduum 999999 indicet numerum omnium differentium ordinum, qui tribui poſſunt 10 notis numeralibus non ultra ſenas acceptis, ad exprimendum per illos totidem numeros diverſos. Prout ſanè evidens admodùm eſt, quòd ab unitate numerando ad uſque 1000000, primum & minimum eorum numerorum qui ſeptem notis conſtant, inveniuntur præciſè 999999 differentes numeri; cùm numerus 999999, eorum qui ſex ſcribuntur notis maximus & ultimus, immediatè excipiatur à 1000000, ab eoque ſolâ unitate differat.

Non ſecus iniri poteſt numerus omnium combinationum ac permutationum 24 literarum Alphabeti, ſi fiat, ut 23 ad 24, ſic vigeſima quarta poteſtas numeri 24 (neglectâ unitatis ablatione, quâ in tam vaſto numero non opus eſt) ad numerum quæſitum; qui per Logarithmos expeditè invenitur conſtare debere 34 notis, & ſuperare 1391 quinti-milliones. Tantus vid. eſt numerus omnium vocum utilium & inutilium, quæ ex 24 Alphabeti literis modis omnibus formari poſſunt, ſaltem ſi illas non ultra vicenas quaternas combinari poſſe intelligas.

Notare hîc convenit peculiarem συμπάθειαν inter combinationes iſtas & poteſtates multinomiorum: Cùm enim ad inveniendum biniones omnes literarum *a*, *b*, *c*, *d*, ſingulæ cunctis ſint præfigendæ, & ad inveniendum terniones omnes, cunctis binionibus ſingulæ lite-

ræ denuò applicandæ, & ſic porrò, ut initio hujus capitis dictum; idemque etiam fieri ſoleat, ubi quantitas literalis $a+b+c+d$ ducenda eſt in ſe quadratè, cubicè &c. ſequitur, easdem literas, ſi ſpectentur ut partes radicis alicujus multinomiæ, binionibus ſuis exhibere omnia membra quadrati illius, ternionibus cubi, quaternionibus biquadrati &c. adeò ut membra poteſtatis cujusvis aliter non exprimantur niſi per coacervationem combinationum partium radicis, factarum ſecundùm exponentem æqualem poteſtatis indici: hoc tantùm cum diſcrimine, quòd omnia illa membra, quæ iisdem conſtant literis variè tantùm transpoſitis, cùm eandem quantitatem deſignent, brevitatis ſtudio in unum terminum conflari ſoleant, præfixo illi membrorum æquivalentium numero, qui coëfficiens termini vocari conſuevit. Unde diſcere proclive eſt, quòd coëfficiens termini cujusvis exprimat numerum permutationum literarum illum terminum conſtituentium, ipſa verò terminorum multitudo in quâvis poteſtate æquetur numero combinationum, quæ inter partes radicis neglecto earum ordine ſecundùm indicem poteſtatis datæ inſtitui poſſunt, quarumque numerus per cap. 5tum invenitur.

Quod obſervaſſe operæ pretium aliquando non exiguum erit, cùm exinde promtè definiri poſſit tum multitudo terminorum, tum termini cujusvis coëfficiens in quâcunque poteſtate. Ita, ex. gr. decima poteſtas trinomii $a+b+c$, per reg. cap. 5ti conſtabit terminis $\frac{11.12}{1.2} \infty 66$, quorum $a^5 b^3 cc$ per reg. 2 cap. 1mi coëfficientem habebit $\frac{1.2.3.4.5.6.7.8.9.10}{1.2.3.4.5 \text{ in } 1.2.3 \text{ in } 1.2} \infty 2520$. Pariter cubus radicis quadrimembris $a+b+c+d$ continebitur terminis $\frac{4.5.6}{1.2.3} \infty 20$, ejusq; termini aab & abc pro ſuis coëfficientibus acquirent numeros 3 & 6.



Cap. IX.

Invenire numerum electionum rerum plurium, quarum nonnullæ ſunt eædem, nulla

verò

verò sæpiùs in electione assumi debet, quàm ipsa reperitur in toto rerum numero.

HYpothesis hæc est capitis sexti, nisi quòd ibi omnes diversi ordines unius combinationis pro unâ eâdemque electione, hîc pro totidem diversis electionibus habendi sunt. De Problemate hoc sensu accepto nihil definitum invenio apud Auctores; ego quæsitum sequenti modo exploro: Sunto ex. gr. combinandæ & permutandæ modis omnibus literæ *a*, *b*, *c*, eâ lege, ut in nullâ combinatione *a* sæpiùs quàm quater, *b* quam ter, & *c* quàm bis occurrat, hoc est, ut aliter enunciem, sint combinandæ & permutandæ omnifariam literæ *aaaabbbcc* seu $a^4 b^3 c^2$, quarum 4 sunt eædem, item tres aliæ, & rursum duæ aliæ eædem, sitque determinandus numerus harum combinationum, tam secundùm singulos quàm secundùm omnes exponentes. Constat, ante omnia electiones solius a^4, incluso nullione quem unitatis notâ designamus, esse has quinque: 1, *a*, *aa*, a^3, a^4. Singulis harum applicetur litera b, primò semel, dein bis, tertiò ter, ut fiant novæ electiones: *b*, *ab*, *aab*, a^3b, a^4b: nec non, *bb*, *abb*, *aabb*, a^3bb, a^4bb: ut & b^3, ab^3, aab^3, a^3b^3, a^4b^3, planè ut factum cap. 6. Sed harum electionum illæ, quas *b* semel ingreditur, per reg. 2, cap. 1 ordine insuper recipiunt permutationes 1, 2, 3, 4, 5; prima vid. unam *b*, secunda duas *ab* & *ba*, tertia tres *aab*, *aba*, *baa* &c. Illæ verò, quas *b* ingreditur bis, ordine permutationes admittunt 1, 3, 6, 10, 15, juxta numeros scil. trigonales; prima nempe unam *bb*; secunda tres, *abb*, *bab*, *bba*; tertia sex, *aabb*, *abab*, *abba*, *baab*, *baba*, *bbaa*. &c. Et illæ, in quibus *b* ter occurrit, permutationes ordine capiunt 1, 4, 10, 20, 35, juxta numeros pyramidales: quemadmodùm etiam illæ, si quæ darentur electiones, in quibus *b* sæpiùs adhuc recurrit, permutationes admitterent juxta alios & alios figuratos gradatim altiores in infinitum. Hoc peracto, singulis præcedentium electionum permutationibus 1; *a*, *b*; *aa*, *ab*, *ba*, *bb*; a^3, *aab*, *aba*, *baa*, *abb*, *bab*, *bba*, b^3; &c. tertia porrò litera *c* nunc semel nunc bis adjungi intelligatur; ita novæ prodibunt electiones, *c*; *ac*, *bc*; *aac*, *abc*, *bac*, *bbc*; a^3c &c.

nec non, *cc*; *acc*, *bcc*; *aacc*, *abcc*, *bacc*, *bbcc*; a^3cc &c. quarum priores, quæ literam *c* ſemel tantùm includunt, reſpectu hujuſce literæ, ordine reliquarum non immutato, ſubeunt permutationes 1, 2, 3, 4, &c. juxta numeros naturales; nempe unio *c* unam, ſinguli binionum *ac*, *bc* duas; ſinguli ternionum *aac*, *abc*, *bac*, *bbc*, tres, & ita porrò: poſteriores verò, quæ lit. *c* bis continent, permutationes ordine patiuntur 1, 3, 6, 10 &c. ſecundùm trigonales; binio nempe *cc* unam, ternionum *acc*, *bcc* ſinguli tres; quaternionum *aacc*, *abcc*, *bacc*, *bbcc* ſinguli ſex, & ita conſequenter. Dico, ordine reliquarum præter *c* literarum non immutato; aliàs enim ex. gr. *abcc* non 6, ſed 12 permutationes admittit, at quarum dimidia pars redundat, utpote ſequenti quaternioni *bacc* attribuenda. Quòd ſi jam quarta adeſſet litera, ea ſimiliter omnibus præcedentibus permutationibus ſecundùm ſingulas ſuas dimenſiones foret applicanda, ad formandum novas electiones, quæ denuò permutationes reciperent ſecundùm numeros vel laterales, vel trigonales, vel pyramidales, &c. prout accedens litera vel ſemel, vel bis, vel ter iis adjuncta eſſet. Quo pacto nulla optatarum combinationum nos fugiet, neque etiam ulla bis computabitur. Ex dictis verò facilè perſpicitur ratio conſtructionis ſequentis Tabellæ, quâ numerum talium combinationum ſecundùm exponentes tam ſingulos quàm univerſos expeditè definio. Scribo ordine omnes exponentes combinationum, quas propoſitæ res $a^4 b^3 c^2$ ſuſcipere poſſunt, à 0 uſque ad 9; & ſub eorum primis colloco tot unitates, quot prima litera habet dimenſiones, & unam ampliùs, nempe quinque; quibus ſtatim ſubjungo quinque numeros laterales 1, 2, 3, 4, 5; & his totidem trigonales 1, 3, 6, 10, 15, totidemque pyramidales 1, 4, 10, 20, 35; donec præter ſeriem unitatum tot habeam ſeries, quot altera litera *b* habet dimenſiones, eaſq; gradatim dextrorſum promoveo, ut factum cap. 6. Tum addo terminos, qui in eodem ſibi gradu perpendiculariter reſpondent, ut fiant numeri 1, 2, 4, 8, 15 &c. Hos confeſtim duco in totidem laterales 1, 2, 3, 4 &c. & trigonales 1, 3, 6, 10 &c. ſingulos ordine multiplicando per ſingulos, ut præter ſeriem 1, 2, 4, 8 &c. tot aliæ prodeant numerorum ſeries, 1, 4, 12, 32 &c. & 1, 6, 24, 80 &c. quot tertia litera *c* obtinet dimenſiones, quas rurſus gradatim diſpono & addo, continuaturus eodem tenore ulteriùs, ſi plures literæ ſuper-

pereſſent. Sic tandem ex ultimâ additione prodibunt numeri, qui multitudinem combinationum ſecundùm exponentes quiſque ſuos indicant, adeoque ſimul collecti numerum omnium ſimpliciter combinationum produnt:

Res Combinandæ.	*Exponentes Combinationum.*									
	0.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.
a^4	1	1	1	1	1					
		1	2	3	4	5				
			1	3	6	10	15			
				1	4	10	20	35		
$a^4 b^3$	1	2	4	8	15	25	35	35		
		1	4	12	32	75	150	245	280	
			1	6	24	80	225	525	980	1260
$a^4 b^3 c^2$	1	3	9	26	71	180	410	805	1260	1260

Diſcimus ex hâc Tabellâ, quòd res propoſitæ $a^4 b^3 c^2$ contineant unum nullionem, tres uniones, 9 binarios, 26 ternarios, &c. tandemque 1260 novenarios, & quòd ſumma omnium abſolutè combinationum ſit 4025. Methodo huic ex abundanti fidem conciliabit ſequens laterculus, in quo primò adſcriptas vides omnes 60 rerum datarum electiones juxta hypotheſin capitis 6ti, & dein ad latus notatos numeros permutationum ſingulis competentes per regulam 2, capitis primi:

Elect.

Elect.	Permut.	
0	1	1
a	1	
b	1	3
c	1	
aa	1	
ab	2	
ac	2	9
bb	1	
bc	2	
cc	1	
a^3	1	
aab	3	
aac	3	
abb	3	
abc	6	26
acc	3	
b^3	1	
bbc	3	
bcc	3	

Elect.	Permut.	
a^4	1	
a^3b	4	
a^3c	4	
$aabb$	6	
$aabc$	12	
$aacc$	6	71
ab^3	4	
$abbc$	12	
$abcc$	12	
b^3c	4	
$bbcc$	6	
a^4b	5	
a^4c	5	
a^3bb	10	
a^3bc	20	
a^3cc	10	
aab^3	10	180
$aabbc$	30	
$aabcc$	30	
ab^3c	20	
$abbcc$	30	
b^3cc	10	

Elect.	Permut.	
a^4bb	15	
a^4bc	30	
a^4cc	15	
a^3b^3	20	
a^3bbc	60	410
a^3bcc	60	
aab^3c	60	
$aabbcc$	90	
ab^3cc	60	
a^4b^3	35	
a^4bbc	105	
a^4bcc	105	
a^3b^3c	140	805
a^3bbcc	210	
aab^3cc	210	
a^4b^3c	280	
a^4bbcc	420	1260
a^3b^3cc	560	
a^4b^3cc	1260 -	1260
Summa Permut.		4025

Colligitur hinc, quòd ex tribus diversis notis numeralibus (non computato nullione, quo nulla earum accipitur) formari possunt 4024 diversi numeri, in quorum nullo una notarum sæpiùs quàm quater, altera quàm ter, & tertia quàm bis repetatur. Semper autem omnes notæ, quoties possunt, simul sumtæ, hoc est, combinatæ secundùm exponentium maximum tot numeros suppeditant, quot numeros eædem exhibent combinatæ secundùm exponentem proximè minorem; quod Theorema notatu dignum.

Hæc sunt, quæ de *Arte Combinatoriâ* dicere in præsens suscepimus. Potuissemus quidem postremis hisce capitibus, ubi in combinatio-

binationibus & ordo attenditur, & una eademque res eandem electionem sæpiùs ingredi posse concipitur, varias iterum quæstiones nobis enodandas proponere, & inquirere, in quot combinationibus una pluresvé res conjunctione vel divisim reperiantur, uti factum cap. 4to; aut, quot combinationes aliqua res semel, bis, ter, quater &c. posita ingrediatur; aut, quot sint illarum combinationum, in quibus nulla rerum datarum plus unâ, duabus, tribus &c. vicibus occurrit; aut in quibus designata quæpiam res primum, secundum, tertium &c. locum occupat, aliisve circumstantiis vestita apparet. Sed quia quæstiones ejusmodi in infinitum multiplicari possunt, malumus eas omnes hîc sicco pede prætererire, & si quas earum deinceps ex usu nostro fore videbimus, earundem applicationem & enodationem in reliquas partes reservare, quàm ad particularia nonnulla hîc loci descendendo opus nunquam perficiendum aggredi. Hîc itaque secundæ Parti limites figimus, mox transituri ad cætera instituti nostri capita, usumque prolixum doctrinæ hujus de Combinationibus in Arte Conjectandi per plurima varii generis Problemata liquido ostensuri.



ARTIS CONJECTANDI PARS TERTIA,

explicans

Uſum præcedentis Doctrinæ in variis Sortitionibus & Ludis aleæ.

Bſolutâ in præcedente parte Operis, Permutationum & Combinationum Doctrinâ, ordo jubet, ut ejus Uſum ampliſſimum in definiendis Expectationibus Aleatorum per varias Sortitiones & Ludos aleæ hâc parte explicemus. Fundamentum generale hujus indaginis in eo conſiſtit, ut omnes permutationes vel combinationes quarum ſubjecta materia capax eſt, pro totidem habeantur caſibus æquè poſſibilibus, & ut diligenter attendatur, quot horum caſuum huic illive colluſori faveant vel adverſentur, è quo dein cætera per doctrinam primæ partis abſolvuntur. Cùm verò ſpecialis fundamenti applicatio non levem ſæpè induſtriam requirat, & exemplis meliùs quàm præceptis addiſcatur, nolo Lectorem prolixioribus prolegomenis detinere, ſed abſque morâ ad ipſam enodationem ſequentium Problematum

matum transeo, quæ nullo ferè habito selectu, prout in adversariis reperi, proponam, præmissis etiam vel interspersis nonnullis facilioribus, & in quibus nullus combinationum usus apparet.

PROBLEMA I.

Quidam duobus calculis albo nigroq; in urnâ reconditis præmium proponit tribus A, B, C, eâ lege, ut qui album extraxerit, præmio potiatur; si secùs omnes faxint, præmio quoq; careant. Primus autem extrahet ipse A, & reponet; secundus B, tertius C. Quæruntur singulorum sortes?

Liquet, hunc casum tantùm specialem esse Problematis generalioris occasione Propos. XI. part. 1. pag. 34. soluti, quo plurium Aleatorum sortes exploravimus, qui æquali an inæquali, sortitionum à singulis continuò instituendarum numero aliquid præstare susceperunt; ubi sortem cujuslibet hâc generali formulâ expressimus: $\frac{a^n c^s - c^{n+s}}{a^{n+s}}$. Itaque cùm in præsenti exemplo lit. a (numerus omnium casuum) ob duos tantùm calculos valeat 2; c (numerus eorum, quibus præscriptum non impletur) ob unicum nigrum valeat 1; n ob unicam sortitionem à singulis instituendam itidem 1; s verò (numerus omnium sortitionum hanc præcedentium) pro primo A valeat 0, pro secundo B 1, pro tertio C 2; fiet (substitutis istis literarum valoribus) sors primi A $\frac{1}{2}$, secuudi B $\frac{1}{4}$, tertii C $\frac{1}{8}$; sic ut ipsi quoq; aleam proponenti relinquatur $\frac{1}{8}$ sui præmii.

PROBLEMA II.

Cæteris positis, ut prius, si aleæ Brabeuta omni jure in præmium se abdicare volens, jubeat reliquos tripartiri præmium inter se, si nullus eorum album calculum elegerit: Quæruntur tum eorum sortes?

Quia sic omne jus præmii in solidum transit in tres reliquos; perspicuum est, uniuscujusque expectationem meliorari $\frac{1}{24}$, hoc est, triente ejus. quod juxta præced. hypoth. soli Brabeutæ convenisset. Quocirca addito $\frac{1}{24}$ seorsim ad $\frac{1}{2}$, $\frac{1}{4}$, & $\frac{1}{8}$, habetur expectatio primi $\frac{13}{24}$, secundi $\frac{7}{24}$, & tertii $\frac{4}{24}$.

PROBLEMA III.

Sex, A, B, C, D, E, F, jussu Principis, qui postremis magis favet quàm primis, aleâ periclitantur: primi duo A & B seorsim sortiri incipient; uter eorum vicerit, sortietur cum tertio C, uter horum superior evaserit, certabit cum D; & sic porrò usq; ad ultimum F; præmiumq; reportabit, qui post ultimum congressum victor superest. Supponitur autem, binos quoscunq; æquâ sorte inter se certare, hoc est, neutrum altero potiorem ad vincendum expectationem habere. Quæruntur ipsorum sortes?

Primus

Primus A præmio potiri nequit, nisi omnium reliquorum quinque victor evadat, hoc est, nisi quinquies continuò vincat; uti & secundus B: sed nec tertius C palmam reportabit, nisi alterutrum præcedentium A & B, & omnes tres sequentes superet, hoc est, nisi quater continuò vincat, nec 4tus D, nisi cum uno trium præcedentium ambos sequentes, hoc est, nisi ter continuò vincat, & similiter de reliquis. Unde constat, Problema hoc pro casu speciali habendum esse ejus, quo quæruntur expectationes collusorum, qui aliquot sortitionibus quidpiam aliquoties præstare suscipiunt; cujus solutionem ad Propos. XII part. 1. pag. 38. tradidi, Tabellâ in eum usum supputatâ, juxta quam primi vel secundi sors erit $\frac{b5}{a5}$, tertii $\frac{b4}{a4}$, quarti $\frac{b3}{a3}$, quinti $\frac{bb}{aa}$, & sexti $\frac{b}{a}$, hoc est, (quia *a* ad *b* habet rationem duplam ob æqualem in quâvis sortitione numerum casuum ad vincendum & perdendum) sors primi vel secundi $\frac{1}{32}$, tertii $\frac{1}{16}$, quarti $\frac{1}{8}$, quinti $\frac{1}{4}$, & sexti $\frac{1}{2}$. Unde patet, exceptis duobus primis, qui æquali expectatione gaudent, quemlibet reliquorum proximè præcedenti duplo potiorem sortem nancisci; omnium verò expectationes exhaurire integrum præmium.

PROBLEMA IV.

Cæteris positis, ut priùs, si fingamus non æquam obtinere sortem in quâvis aleâ, sed unumquemq; cum secundo à se congredientem duplò, cum tertio 4plò, cum quarto 8plò &c. plures ad vincendum quàm perdendum casûs habere, exceptis tantùm duobus primis, quos æquo Marte certare ponimus: quæritur, an sic omnes sex æquale jus acquirant in

præmium propositum, compensatis per duplam proportionem casuum subduplis expectationibus præcedentis propositionis?

Hìc ob diversitatem sortium, quæ in diversis aleis regnat, calculus paulò intricatior: Consulatur Regula ad calcem Propos. XII part. 1. pag. 44. & formula, quam suggerit, $\frac{beh \&c.}{adg \&c.}$ ubi literæ *beh* &c. numeros casuum ad vincendum, & *adg* &c. numeros omnium casuum in successivis aleis significant; exprimitur enim hâc formulâ expectatio aleatoris alicujus: qui aliquoties continuè vincere tenetur, quantumvis in diversis aleis non idem maneat casuum numerus, quibus vincat; uti in præced. Problemate. Patet autem, quantitatem hanc $\frac{beh \&c.}{adg \&c.} \infty \frac{b}{a} \cdot \frac{e}{d} \cdot \frac{h}{g}$ &c. hoc est, expectationem totalem, seu spem vincendi omnes aleas, multiplicatione conflatam esse ex sortibus particularibus, quas habet ad vincendum singulas. Conf. Coroll. 1. Prop. 3 part. 1. Quapropter ut Problematis nostri solutio methodica habeatur, investigandum successivè, quænam juxta hanc formulam primi A sit futura sors, si primò unum B, dein si duos B & C, hinc si tres, quatuor, ac denique omnes quinque reliquos vincere suscipiat; id enim omne prærequiritur ad indagandum sortes cæterorum. Est verò sors ipsius, cùm solum B vincere suscipit, $\frac{1}{2}$; cùm duos B & C vincere contendit, $\frac{1.2}{2.3} \infty \frac{1}{3}$; cùm tres B, C & D, $\frac{1.2.4}{2.3.5} \infty \frac{4}{15}$, &c. ut ex apposito laterculo apparet. Quod idem intelligendum de secundo B. Quod spectat tertium C, is cum alterutro præcedentium (quem in laterculis lit. P indigitamus) congredi tenebitur; utrumvis autem contingat, habet $\frac{1}{3}$ expectationis ad illum vincendum: quare si præter illum etiam sequentem D vincere suscipiat, habebit $\frac{1.2}{3.3} \infty \frac{2}{9}$; si verò & ipsum E, $\frac{1.2.4}{1.3.5} \infty \frac{8}{45}$. Similiter quarto D cum uno præcedentium P congrediendum erit: si cum C congrediatur, habet $\frac{1}{3}$ ad illum vincendum: si cum A vel B, habet $\frac{1}{5}$; sed æquè facile contingit, ut cum A vel B vel C congredi teneatur, quandoquidem omnes tres eandem habent expectationem ad

vin-

Sors ipsius ad vincendum	A	B
	B $\infty \frac{1}{2}$	A $\infty \frac{1}{2}$
	B, C $\infty \frac{1.2}{2.3} \infty \frac{1}{3}$	A, C $\infty \frac{1.2}{2.3} \infty \frac{1}{3}$
	B, C, D $\infty \frac{1.2.4}{2.3.5} \infty \frac{4}{15}$	A, C, D $\infty \frac{1.2.4}{2.3.5} \infty \frac{4}{15}$
	B, C, D, E $\infty \frac{1.2.4.8}{2.3.5.9} \infty \frac{32}{135}$	A, C, D, E $\infty \frac{1.2.4.8}{2.3.5.9} \infty \frac{32}{135}$
	B, C, D, E, F $\infty \frac{1.2.4.8.16}{2.3.5.9.17} \infty \frac{512}{2295}$	A, C, D, E, F $\infty \frac{1.2.4.4.16}{2.3.5.9.17} \infty \frac{512}{2295}$
Sors ipsius ad vincendum	C	D
	P $\infty \frac{1}{3}$	P $\infty \frac{11}{45}$
	P, D $\infty \frac{1.2}{3.3} \infty \frac{2}{9}$	P, E $\infty \frac{11.2}{45.3} \infty \frac{22}{135}$
	P, D, E $\infty \frac{1.2.4}{3.3.5} \infty \frac{8}{45}$	P, E, F $\frac{11.2.4}{45.3.5} \infty \frac{88}{675}$
	P, D, E, F $\infty \frac{1.2.4.8}{3.3.5.9} \infty \frac{64}{405}$	
Sors ipsius ad vincendum	E	F
	P $\infty \frac{5}{27}$	P $\infty \frac{181}{1275}$
	P, F $\infty \frac{5.2}{27.3} \infty \frac{10}{81}$	

vincendum continuè, quousque ordo certandi quartum D tangit; singuli nempe $\frac{1}{3}$, ut ex Tabulâ liquet: quocirca ipse D per Prop. 3. part. 1. habet $\frac{1.^{1:3} + 2.^{1:5}}{3} \infty \frac{11}{45}$ ad vincendum indefinitè unum trium præcedentium, quem ipsi sors objecerit; ideoque si præterea & quintum E vincere conetur, habere censebitur $\frac{11.2}{45.3} \infty \frac{22}{135}$ &c. Non secus quinti E & sexti F sortes explorantur, nisi quòd ipsos non æquè facilè cum unoquovis ex præcedentibus congredi contingit. Nam ex. gr. primus A habet $\frac{4}{15}$ ad vincendum continuè ipsos B, C, D,

juxta

juxta laterculum, tantundemque secundus B ad vincendum A, C, D, & tertius C habet $\frac{2}{9}$ ad vincendum P & D, & quartus D $\frac{11}{45}$ ad vincendum P, hoc est, reductis ad commune nomen fractionibus, A & B habent $\frac{12}{45}$, C $\frac{12}{45}$, & D $\frac{11}{45}$ ad vincendum continuè, quousque ordo certandi quintum E postulat: quapropter 12. sunt casus, quibus ipse E cum primo A., totidem quibus cum secundo B, 10. quibus cum tertio C, & 11 quibus cum 4to D committitur; unde per Prop. 3 part. 1 habet $\frac{24.\,^{1:9} + 10.\,^{1:5} + 11.\,^{1:3}}{45}$ ∞ $\frac{5}{27}$ expectationis ad vincendum indefinitè adversarium, quem ipsi fors ex præcedentibus obtulerit. Et sic in cæteris: Quòd si ubique ritè operatus fueris, deprehendes, expectationes totales aleatorum seu spes adimplendi omnes conditiones certaminis & reportandi præmium exprimi postremis laterculorum fractionibus $\frac{512}{2295}$, $\frac{512}{2295}$, $\frac{64}{405}$, $\frac{88}{575}$, $\frac{12}{81}$, $\frac{181}{1275}$, quæ ad idem nomen 34425 reductæ monstrant, illas valdè diversas esse & se habere ut 7680, 7680, 5440, 4488, 4250, 4887; & quia præcisè unum integrum exhauriunt, eo ipso probitatem methodi & calculi confirmant.

PROBLEMA V.

A certat cum B, quòd ipse ex 40 chartis lusoriis, id est, 10 cujusq; speciei, 4 chartas extracturus sit, ita ut ex unaquaq; specie habeat unam. Quæritur ratio sortium?

Problematis hujus in Appendice Problematum Hugenianorum ordine tertii solutionem jam parte primâ exhibuimus: nunc ostendemus, quo pacto idem aliter, in auxilium vocatâ Combinationum doctrinâ confici possit.

Hunc in finem quæratur, quoties ex 40 chartis lusoriis quaternæ possint accipi, hoc est, quæratur numerus quaternionum in rebus 40. Inveniuntur autem per Cap. IV. part. 2. quaterniones isti

isti $\frac{40.39.38.37}{1.2.3.4}$ ∞ 91390, habendi pro totidem aleæ casibus, qui omnes æquè facile evenire possunt. At horum casuum sunt 10000, qui Problematis conditionem implent, faciuntque ut ex unaquaque chartarum specie habeatur una, quod sic ostendi potest:

Pono pro 4 speciebus chartarum 4 tesseras, & pro 10 chartis cujusque speciei decem facies seu hedras in quaque tessera: sic totidem erunt diversi jactus in his tesseris, quot chartarum sunt quaterniones præscriptam conditionem adimplentes; sicut enim ad hanc implendam ex quavis specie necessariò una requiritur charta & non nisi una, ita in quovis tesserarum jactu singulæ tesseræ necessariò unam & non nisi unam faciem supernè ostentant. Sed ex iis quæ Hugenius ad Prop. X. part. 1. præfatur, colligi potest, quòd in 4 ejusmodi tesseris reperientur jactus 10. 10. 10. 10. ∞ 10000; cùm ergò totidem sint chartarum electiones ipsi A faventes, cæteræque 81390 contra certanti prosint, sequitur sortem A ad sortem B esse ut 10000 ad 81390, seu ut 1000 ad 8139.

PROBLEMA VI.

Assumtis 12 calculis, 4 albis & 8 nigris, certat A cum B, quòd velatis oculis 7 calculos ex iis exempturus sit, inter quos tres albi erunt. Quæritur ratio sortis ipsius A ad sortem ipsius B?

Problema hoc, quod in Appendice Problematum Hugenianorum est ordine quartum, in hanc Partem rejicere coacti fuimus, propterea quòd ejus solutio aliter quàm combinationum ope, quarum Doctrina secundâ demum Parte tradenda erat, difficulter investigari potuisset.

Constat primò, tot esse in universum aleæ propositæ casus, quoties ex 12 calculis septeni possunt eligi, nempe $\frac{12.11.10.9.8.7.6}{1.2.3.4.5.6.7}$

∞ 792.

∞ 792, per Cap. IV. part. 2. Deinde considerandum est, si quis quærat, quot horum casuum ipsi A faveant vel adversentur, hoc tantundem esse, acsi quærat, in quot septenariis ex designatis quatuor calculis tres qualescunque excluso quarto reperiantur; cujus Problematis solutionem sub finem dicti capitis ante appendicem hâc generali formâ expressimus $\frac{m.m-1.m-2....m-b+1}{1.2.3....b}$ in $\frac{n-m.n-m-1.n-m-2....n-m-c+b+1}{1.2.3.4....c-b}$, significante literâ n numerum rerum combinandarum, c exponentem combinationis, m numerum rerum designatarum, b illarum ex designatis quæ combinationes optatas junctim ingredi debent: quare si interpreteris n per 12, c per 7, m per 4, & b per 3, habebis $\frac{4.3.2}{1.2.3}$ in $\frac{8.7.6.5}{1.2.3.4}$ ∞ 4.70 ∞ 280, numerum omnium septenariorum, quos singulos tres albi calculi excluso quarto ingrediuntur. Tot ergò casibus vincet A, reliquis 512 ipsi B profuturis, adeò ut sors illius sit ad sortem hujus, ut 280 ad 512, sive ut 35 ad 64; intellige si præcisè tres albos calculos nec plures nec pauciores eximere susceperit. Nam si tres albi eximendi de tribus *ad minimum* intelligantur, ita ut sensus Problematis sit, etiam tum lucraturum ipsum A, si plures tribus, h.e. omnes 4 albos elegerit, tum perspicuum est, numerum casuum quibus vincit A augendum esse toto illo electionum numero, quas omnes 4 albi calculi ingrediuntur; qui numerus per eandem regulam, positis tantùm m & b æqualibus seu verso valore ipsius b in 4, invenitur $\frac{8.7.6}{1.2.3}$ ∞ 56, cui additus præcedens 280 efficit 336, numerum electionum ipsi A faventium; & relinquuntur ipsi B duntaxat 456, sic ut eo casu sortes ipsorum sint ut 336 & 456, seu ut 14 & 19.

PROBLEMA VII.

Collusores aliquot A, B, C, &c. ex manipulo chartarum lusoriarum, quarum una icone

ne signata est, reliquæ iconismis vacuæ (cartes blanches *) folia ordine & alternatim eximunt, eâ conditione, ut qui signatum exemerit vincat. Tollet autem A primum, B secundum, C tertium, & sic usq; ad ultimum, post quem primus A tollere perget sequens folium, atq; ita porrò usque ad finem ludi. Quæritur ratio sortium?*

Patet, tot esse casus æquè faciles quot folia; cum folium iconismo signatum æquè facile vel primum, vel secundum vel tertium, vel deniq; ultimum locum obtinere possit: unde tot casus quisque habet ad vincendum quot ipsi folia contingunt; ac per consequens

Si omnibus collusoribus æqualis foliorum numerus contingit, quod fit cùm numerus collusorum est pars aliquota numeri chartarum, seu hic per illum exactè dividi potest, æqualis quoque omnium sors erit: Ita si numerus collusorum sit a, chartarum ma, unicuique obtingent m chartæ, quæ sortem illi pariunt $\frac{m}{ma} \infty \frac{1}{a}$, sic ut tum ordo eligendi nulli collusorum præjudicet.

Si verò non omnibus æqualis foliorum numerus obtingit, quod accidit ubi numerus chartarum per numerum collusorum exactè dividi nequit, putà si numero collusorum existente a, chartarum numerus est $ma \infty b$ (posito $b < a$) neque etiam sortes omnium æquales erunt. Tum enim unicuique primorum b collusorum cedent chartæ $m+1$, unicuique autem reliquorum tantùm m: ac proinde sors unius ex illis erit ad sortem unius ex his, ut $m+1$ ad m: Ex. gr. posito collusorum numero 10 & chartarum 64 seu $\overline{6 \text{ in } 10} + 4$; sors unius ex primis quatuor est ad sortem unius ex postremis sex, ut 7 ad 6.

PROBLEMA VIII.

Cæteris positis, ut priùs, si in manipulo chartarum plures iconismis signatæ existant, illeque vincere censendus sit, qui primam earum traxerit. Quæritur tum ratio sortium?

Hic sortes collusorum non ampliùs æquales sunt, sed quivis præcedentium unoquovis sequentium potiorem conditionem nanciscitur, sive eorum numerus numeri chartarum pars aliquota sit seu secus, ob rationem, quòd signatarum prima, à quâ solâ victoria dependet, faciliùs primum locum quàm secundum, & hunc faciliùs quàm tertium &c. occupare potest. Etenim quò anteriorem ista locum occupat, eò plura cæteris signatis post se loca occupanda relinquit. Ut verò determinemus numerum casuum, quibus unumquodq; fiat, sumamus ex. gr. chartas 12, interque illas 4 iconibus conspicuas, nam eadem operandi methodus ubique. Tum si prima charta icone signata primum locum occupet, reliquis tribus undecim patent loca reliqua; unde terna horum qualiacunque occupando tot casus diversos efficiunt, quot continentur ternarii in rebus undecim, nempe $\frac{11.10.9}{1.2.3}$ ∞ 165. Pariter si prima signata charta secundum locum teneat, reliquæ tres ex decem locis reliquis tria qualiacunque occupabunt; quod tot diversos casus præbet, quot ternarii comprehenduntur in rebus decem, vid. $\frac{10.9.8}{1.2.3}$ ∞ 120. Rursus, signatarum primâ tertium locum occupante, reliquis tantùm patent loca novem, unde tot casus emergunt, quot ternarii continentur in rebus 9: & sic ulteriùs juxta subjunctum laterculum, in quo prima series ordinem collusorum si vis, trium A, B, C alternatim trahentium; secunda series loca foliorum; tertia numeros casuum. quibus primum folium signatum in loca respondentia incidere potest, exhibet. Hos casus deter-

determinant ipsissimi ternarii, quos ordine recipiunt res 11, 10, 9, &c. eosdem determinarent earundem binarii, si 3 tantùm folia signata ponerentur; & unitates, si duo.

Ordo Collus.	A.	B.	C.	A.	B.	C.	A.	B.	C.	A.	B.	C.
Loca foliorum	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.
Num. casuum	165.	120.	84.	56.	35.	20.	10.	4.	1.	0.	0.	0.

Omnes verò hi casus æquè facile evenire possunt, & summa eorum æqualis numero quaternionum in rebus 12 $\infty \frac{12.11.10.9}{1.2.3.4} \infty$ 495: quanquam enim singuli horum casuum ingentem numerum aliorum casuum secundariorum sub se comprehendunt: (eorum scil. qui ex solâ transpositione 4 foliorum signatorum inter se, & 8 non-signatorum inter se resultant) attamen hi casus secundarii magno compendio insuper haberi possunt, quòd tum ipsi æquè sunt proclives, tum idem ipsorum numerus (ob constantem foliorum 4 signatorum & 8 non-signatorum numerum) uni primario respondet: cuique videl. primario 1.2.3.4 in 1.2.3.4.5.6.7.8 ∞ 24 in 40320 ∞ 967680 secundarii, per Cap. I. part. 2. Et verò æqualis numerus casuum secundariorum æquè proclivium casum æquè proclivem primarium efficit, per Cor. 2. Prop. 3. part. 1.

Quibus ita ostensis, si sortes collusorum desideres, necesse tantùm habes addere in unam summam numeros casuum, locis illis respondentes, in quæ quisque collusor incidit. Atque sic reperitur numerus casuum ipsi A faventium 165 + 56 + 10 ∞ 231, ipsi B 120 + 35 + 4 ∞ 159, ipsi C 84 + 20 + 1 ∞ 105; unde ratio sortium fit. ut 231, 159, 105, sive ut 77, 53, 35. Notandum hoc Problema reâpse idem esse cum secundo Appendicis Hugenianæ part. 1. nomine tantùm calculorum in folia lusoria mutato: cujus proinde solutio quo pacto aliter quàm ibi haberi, & ex combinationum consideratione elici possit, nunc ostendimus. Paulò intricatius est hoc, quod sequitur.

PROBLEMA IX.

Cæteris positis, ut antea, si Collusores ita paciscantur inter se, ut vincat ille qui plures imagines traxerit; si verò duo pluresve æqualem acceperint imaginum numerum, æqualiter quoque depositum inter se partiantur, reliquis, quibus minor earum contigit numerus, nihil habentibus. Quæritur tum ratio sortium?

Si numerus collusorum est pars aliquota numeri chartarum, non opus est speciali determinatione casuum: sed absq; omni calculo constare potest, quantuscunque sit uterque & qualiscunque etiam imaginum numerus existat, sortes omnium collusorum inter se æquales esse debere; cùm enim iis omnibus æquè multa folia in partem cadant, & signatorum quodlibet ad quemlibet locum indifferenter se habeat, nulla ratio est, cur in æquali foliorum numero hic potiùs quàm ille majorem minoremve signatorum numerum expectet.

At si numerus chartarum numeri collusorum non sit exactè multiplex, aut etiam aliàs non æquè multa folia omnibus extrahenda concedantur, (quæ sive alternatim sive continuò extra hanc, perinde, cum circumstantia ordinis in extrahendo hîc nihil mutet) tum sortes eorum itidem sunt inæquales, eoq; difficiliùs reperiuntur, quo major tum collusorum tum signatorum foliorum numerus existit. Observo tamen, quòd si duo tantùm signata adsint, collusores verò quotcunque, sortes istæ semper sunt futuræ ut ipsi numeri foliorum, quæ quisq; extrahet; prorsus ut supra Probl. VII. in hypothesi unius folii sign. Ponatur enim numerus chartarum a, è quibus uni collusorum cedant b, alii c, tertio d chartæ, & consideretur, quòd in chartis b, quas primus

primus obtinet, ſignatarum vel altera, vel utraque, vel neutra reperiri poſſit. Si altera tantùm adſit, illa vel primum vel ſecundum vel tertium &c. locum in iſtis b chartis occupabit, intereà dum altera quoque promiſcuè unumquemvis reliquorum $a-b$ locorum occupare poteſt; quod proin $b.a-b \propto ab-bb$ diverſos caſus ſuppeditat. Sin ambæ ſignatæ chartas primi ingrediantur, eæ vel primum & ſecundum, primum & tertium &c. item 2dum & 3tium &c. locum obtinebunt; unde tot caſuum varietates emergunt, quot biniones in rebus b habentur, nempe $\frac{b.b-1}{1.2} \propto \frac{bb-b}{2}$: quemadmodum etiam ob eandem rationem univerſus numerus caſuum æquatur numero binionum contentorum in univerſis a chartis, videl. $\frac{a.a-1}{1.2} \propto \frac{aa-a}{2}$: intellige, neglectis iis caſibus ſecundariis, qui ex ſolâ utriusque ſignatæ inter ſe, & non-ſignatarum inter ſe permutatione oriuntur, utpote quorum numerus ob conſtantem ſignatarum & non-ſignatarum numerum perpetuò conſtans manet: quod mox infra quoque, ut & in ſequenti Problemate & ſimilibus exemplis ſemper ſubintelligendum eſt, etiamſi expreſsè non dicatur. Jam verò dictus colluſor, cùm unam ſignatam obtinuerit, ſemiſſem depoſiti ex pacto conſequetur; & cùm utramque, totum depoſitum: quapropter habet $ab-bb$ caſus ad $\frac{1}{2}$, $\frac{bb-b}{2}$ caſus ad 1, & cæteros, qui complent numerum $\frac{aa-a}{2}$, ad 0; id quod ei per Prop. 3. part. 1. ſortem parit $\frac{b}{a}$. Eodem modo ſors ejus, cui cedunt chartæ c, invenitur $\frac{c}{a}$; & ejus, cui d chartæ, $\frac{d}{a}$, &c. adeoque ratio ſortium, ut b, c, d, numeri ſcil. chartarum, quas ſinguli accipiunt; quod oſtendendum erat.

Exrra verò hunc caſum calculus paulò moroſior evadit, & ſæpè tædii pleniſſimus, præſertim in hypotheſi ſignatarum chartarum & colluſorum paulò plurium, ubi multiplex complexionum varietas difficulter ſub regulâ generali cogi poteſt. Interim modus operandi ſemper idem, & in eo conſiſtit, ut primò exploretur, quàm variè folia ſignata inter colluſores diſtribui poſſint, hoc eſt, quot modis poſſibilibus numerus eorum diſpeſci queat in tot partes, quot

ſunt

ſunt colluſores, quarumque partium nulla numerum foliorum reſpectivo colluſori cedentium ſuperet (quod eo ferè modo efficitur, quo ſupra part. 1. pag. 20. ad jactus punctorum in teſſeris inveſtigandos uſi fuimus, niſi quòd hîc ipſam quoque cyphram partibus accenſeamus; cùm utique fieri poſſit, ut unus alterve colluſorum nullum ex foliis ſignatis conſequatur): deinde ut ſupputetur, quot caſus ſingulis iſtis variationibus reſpondeant; quorum numerus initur ſumendo productum continuum combinationum ex rebus tot, quot quiſque chartas accipit, ſecundùm numerum ſignatarum iis permiſtarum ceu exponentem; veluti ſi ex chartis 40, quarum 10 ſunt ſignatæ, unus colluſorum eximere debeat 16, alius 10, tertius 8, & quartus 6; quæraturque quot caſibus contingere poſſit, ut ſimul inter chartas primi reperiantur ſignatæ 4, ſecundi 3, tertii 3, & quarti 0; multiplico numerum quaternionum in rebus 16, ternionum in 10, ternionum in 8, & nullionum in 6, in ſe invicem, & productum $\frac{16 \cdot 15 \cdot 14 \cdot 13}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4}$ in $\frac{10 \cdot 9 \cdot 8}{1 \cdot 2 \cdot 3}$ in $\frac{8 \cdot 7 \cdot 6}{1 \cdot 2 \cdot 3}$ in $1 \infty 1820 \cdot 120 \cdot 56 \cdot 1 \infty 12230400$ quæſito ſatisfaciet; uti ex ſupra oſtenſis colligere facile eſt.

Quoniam autem in integri Problematis enodatione calculo nonnunquam contractiore uti licet, non abs re erit, rem totam ſpeciali aliquo exemplo declarare: Sunto chartæ 20 (quarum 10 ſignatæ) alternatim diſtribuendæ inter colluſores tres A, B, C, ſic ut primus conſequatur chartas 7, alter 7, & tertius tantùm 6; quæranturque eorum expectationes. Liquet primò, fieri poſſe, ut in 7 chartis primi colluſoris vel nulla, vel una, vel duæ, 3, 4, 5, 6, vel denique 7 ſignatæ reperiantur; & ſi tantùm una vel 2 vel 3 ſignatæ adſint, eum infallibiliter perditurum; quandoquidem reliquorum alteruter neceſſariò plures tribus acquiret, & ſic ex pacto vincet: quare numerum horum caſuum inire ſuperſedeo, & ſtatim ſuppono, ipſi A 4 ſignatas obtingere; quo pacto uni reliquorum cedere poſſunt vel ſex ſignatæ reliquæ, vel 5, vel pauciores: ſed quoniam quatenus ei 5 vel 6 cedunt, eatenus perdere facient colluſorem A; idcirco & hos caſus ceu inutiles prætereo, & mox tranſeo ad ſignatas 4 & 3, tribuendo ipſi B 4 & C 2, vel B 2 & C 4, vel denique utrique 3. (quarum hypotheſium duæ priores colluſorem A ex ſemiſſe, tertia ex aſſe depo-

ſiti

ſiti poſſeſſorem reddunt) atque per doctrinam præced. reperio, caſus eſſe 18375 qui colluſoribus A, B, C, ſignatas 4, 4, 2: caſus 11025, qui iis 4, 2, 4 & caſus 24500, qui 4, 3, 3, ſignatas advehunt. Deinde fingo colluſori A obtingere ſignatas 5, ſic reliquas 5 vel ſolus B vel ſolus C habebit; vel partem earum hic, partem ille accipiet: atq; idcircò 21 numerum quinionum in rebus 7, duco tum in 21 numerum totidem quinionum in aliis rebus 7, tum in 6 numerum quinionum in rebus 6, ad habendum caſus 441 + 126 ∞ 567, qui ſinguli colluſori A 5 ſignatas & alterutri reliquorum 5 reliquas afferunt, adeoque ipſi A ſemiſſem depoſiti lucrantur. Haud ſecùs etiam ſupputantur caſus, quibus fieri poteſt, ut dum A 5 ſignatas obtinet, reliquorum uni obtingant 4 & alteri 1, vel uni 3 & alteri 2; ſed non opus eſt iſthuc deſcendere; poſſum enim colluſores B & C ſumere pro uno eodemque, & quæſitum abſque diſtinctione caſuum breviùs obtinere, ſi à 1287 numero quinionum in chartis 13, quas ſimul ambo reliqui conſequuntur, ſubducantur præcedentes 21 + 6 ∞ 27 caſus, quibus omnes 5 ſignatæ eorum alterutri obtingunt; ac reſiduum 1260 ducatur in 21 numerum quinionum in 7 chartis primi: ſic enim prodeunt caſus 26460, qui ſinguli colluſori A integrum depoſitum acquirunt. Tandem etiam pono colluſori A evenire ſignatas 6 vel 7, & quia nunc ultrà ſignatarum ſemiſſem habet, video illum neceſſariò victorem evaſurum, quomodocunque cæteræ 4 aut 3 ſignatæ inter colluſores B & C diſtribuantur; quare neglecta & hîc ſpecialiore partitione, ipſisque B & C pro uno eodemque colluſore habitis, ſumo ex 13 eorum foliis omnes promiſcuè quaterniones & terniones, eorumque numerum per numerum ſenariorum & ſeptenariorum in 7 chartis primi comprehenſorum ſigillatim multiplico, ut fiant 5005 + 286 ∞ 5291 novi caſus, qui colluſorem A totius depoſiti dominum faciunt, prout ex appoſito laterculo apparet:

Charta universa	A 7	B 7	C 6	Casus	ad
signata	4	4	2	18375	$\frac{1}{2}$
	4	2	4	11025	$\frac{1}{2}$
	4	3	3	24500	1
	5	5	—	441	$\frac{1}{2}$
	5	—	5	126	$\frac{1}{2}$
	5	5		26460	1
	6	4		5005	1
	7	3		286	1

His peractis numeros casuum, quibus collusor A integro deposito potitur, in unam summam conjicio; nec non illos, quibus dimidium depositi acquirit, in aliam summam addo; tandemque etiam numerum omnium absolutè casuum, quos 10 signatæ in chartis 20 formare possunt, inquiro, qui est 184756: & sic reperio, illum habere 56251 casus ad 1, 29967 ad $\frac{1}{2}$, & reliquos ad 0; quod expectationem ipsi parit $\frac{142469}{369512}$; Et quia secundus B ex manipulo chartarum totidem, quot primus A nanciscitur, habebit & ipse $\frac{142469}{369512}$; unde tertio C relinquitur $\frac{84574}{369512}$, quæ portio etiam ab initio eodem modo computari potuisset. Erit igitur sors alterutrius ex duobus primis ad sortem tertii, ut 142469 ad 84574, major multò quàm 7 ad 6, qui sunt numeri foliorum quæ singulis ex manipulo debentur.

PROBLEMA X.

Quatuor Collusores A, B, C, D, eodem pacto quo in præced. inter se inito, ludunt 36 foliis, quorum 16 iconismis signata sunt, atque singulis singula folia ordine atque alternatim distribuunt. Accidit autem, ut distributis jam 23 foliis, ipsi A in sortem cesserint 4 imagines, ipsi B 3, C 2 & D 1, sic ut residua sint 13 folia, interque illa 6 signata. Quartus D (quem nunc ordo tangeret proximum acci-

piendi

piendi folium) videns sibi omnem ferè vincendi spem evanuisse, alteri cuidam jus suum vendere vult. Quæritur, quanti? & quæ singulorum expectationes?

Problema non differt à præcedenti, nisi quòd collusores jam aliquousque lusum prosecuti supponuntur. Quoniam residua ponimus 13 chartarum folia, quorum primum ipsi D destinatum, sequens ipsi A, tertium ipsi B, atque ita ordine ad ultimum usque, quod rursus ipsi D continget, sequitur, ipsum D 4 folia ex illis 13 accepturum, singulos verò reliquorum tria; adeoque D non plura signata quàm 4, nec singulos reliquorum plura quàm 3 (ultra illa quæ jam habere supponuntur) consequi posse. Quo observato dispiciendum, quot diversis modis residua 6 folia signata inter collusores distribui possint, sic ut ipsi D nunquam plura quàm 4, nec singulis reliqorum plura quàm tria obtingant: ac deinde supputandum, quot rursum casibus singulæ hæ mutationes sint obnoxiæ; prout hæc omnia in col. 1 subjunctæ tabellæ exhibentur. Fit autem operatio prorsus ut in præced. Probl. ut non opus sit ejus extem operatio prorsus ut in præced. Probl. ut non opus sit ejus explicationi fusiùs inhærere. Solum hoc attendendum, quòd supputatis casibus, priusquam constare possit, quinam huic illive collusori faveant, numeri signatarum chartarum augendi sint illis signatis, quas singuli collusores (antequam D sortem suam vendidisset) habuerant; (quandoquidem ab utrisque conjunctim victoria dependet;) numerus scil. signatarum ipsius D augendus unitate, ipsius A quaternario, B ternario, & C binario; uti videre est in col. 2 tabellæ loco prioris surrogandâ. Tum verò colligendi sunt in unam summam omnes casus, quibus singuli collusores vel totum depositum, vel dimidiam, aut 3 aut 4^{tam} partem depositi auferunt, vel quibus omninò nihil impetrant: quo pacto invenietur A habere 1035 casus ad obtinendum 1, 399 casus ad $\frac{1}{2}$ &c. (ut seorsim in adjuncto tabellæ laterculo notatum cernis,) qui omnes collecti faciunt 1716, (quantus quoque præcisè est senariorum numerus in chartis 13.) Quocirca fiet sors ipsius A ∞

 1035

$\frac{1035 \cdot 1 + 399 \cdot 1:2 + 9 \cdot 1:3 + 36 \cdot 1:4 + 138 \cdot 0}{1716} \infty \frac{2493}{3432}$: & similiter ipsius B $\infty \frac{742}{3432}$; ipsius C $\infty \frac{134}{3432}$; ac tandem ipsius D $\infty \frac{63}{3432}$; sic ut ratio sortium sit, ut 2493, 742, 134, 63.

Notandum, quòd si chartæ residuæ non fuissent tam paucæ, neque numeri casuum inventu adeò faciles, operæ pretium fuisset, eodem quo in præced. Probl. compendio uti; præsertim si unius tantùm collusoris D quærenda expectatio fuisset: tum enim licuisset præterire omnes partitionum modos, qui ipsi non plures quàm duas, h. e. (cum eâ quam jam habere supponitur) quàm tres signatas attribuunt; & ex reliquis duntaxat illos paucos considerare, qui nulli cæterorum collusorum plures quàm huic signatas addicunt, quique in tabula lit. N notati conspiciuntur; cùm in cæteris signatarum partitionibus omnibus eum vi pacti toto deposito privari sit conspicuum. Nota denique idem fore genus Problematis, si loco chartarum lusoriarum alternatim accipiendarum calculi sive schedulæ aliæve res similes, quarum aliquæ sint signatæ, in loculo vel urna recondantur, atque ex iis collusores aliquot alii pauciores alii plures, sive simul & semel seu successivè, eximant, eâ conditione, ut ille vincere censendus sit, qui plures signatas exemerit. Supputandi enim ratio ubique eadem, neque (quod iteratò hîc moneo) circumstantia hæc de eximendis continuò vel alternatim calculis quicquam ad rem facit.

Colum-

Colum. 1. D. A. B. C.	Casus	Colum. 2. D. A. B. C
—. 3. 3. —	1	1. 7. 6. 2
—. 3. —. 3	1	1. 7. 3. 5
—. —. 3. 3	1	1. 4. 6. 5
—. 3. 2. 1	9	1. 7. 5. 3
—. 3. 1. 2	9	1. 7. 4. 4
—. 2. 3. 1	9	1. 6. 6. 3
—. 1. 3. 2	9	1. 5. 6. 4
—. 2. 1. 3	9	1. 6. 4. 5
—. 1. 2. 3	9	1. 5. 5. 5
—. 2. 2. 2	27	1. 6. 5. 4
1. 3. 2. —	12	2. 7. 5. 2
1. 3. —. 2	12	2. 7. 3. 4
1. 2. 3. —	12	2. 6. 6. 2
1. —. 3. 2	12	2. 4. 6. 4
1. 2. —. 3	12	2. 6. 3. 5
1. —. 2. 3	12	2. 4. 5. 5
1. 3. 1. 1	36	2. 7. 4. 3
1, 1. 3. 1	36	2. 5. 6. 3
1. 1. 1. 3	36	2. 5. 4. 5
1. 2. 2. 1	108	2. 6. 5. 3
1. 2. 1. 2	108	2. 6. 4. 4
1. 1. 2. 2	108	2. 5. 5. 4
2. 3. 1. —	18	3. 7. 4. 2
2. 3. —. 1	18	3. 7. 3. 3
2. 1. 3. —	18	3. 5. 6. 2
2. —. 3. 1	18	3. 4. 6. 3
2. 1. —. 3	18	3. 5. 3. 5
2. —. 1. 3	18	3. 4. 4. 5
2. 2. 2. —	54	3. 6. 5. 2
2. 2. —. 2	54	3. 6. 3. 4
2. —. 2. 2	54	3. 4. 5. 4
2. 2. 1. 1	62	3. 6. 4. 3
2. 1. 2. 1	62	3. 5. 5. 3
2. 1. 1. 2	162	3. 5. 4. 4

Colum. 1. D. A. B. C	Casus	Colum. 2. D. A. B. C	
3. 3. —. —	4	4. 7. 3. 2	
3. —. 3. —	4	4. 4. 6. 2	
3. —. —. 3	4	4. 4. 3. 5	
3. 2. 1. —	36	4. 6. 4. 2	
3. 2. —. 1	36	4. 6. 3. 3	
3. 1. 2. —	36	4. 5. 5. 2	
3. —. 2. 1	36	4. 4. 5. 3	
3. 1. —. 2	36	4. 5. 3. 4	
3. —. 1. 2	36	4. 4. 4. 4	N
3. 1. 1. 1	108	4. 5. 4. 3	
4. 2. —. —	3	5. 6. 3. 2	
4. —. 2. —	3	5. 4. 5. 2	N
4. —. —. 2	3	5. 4. 3. 4	N
4. 1. 1. —	9	5. 5. 4. 2	N
4. 1. —. 1	9	5. 5. 3. 3	N
4. —. 1. 1	9	5. 4. 4. 3	N

Summa, 1716 *Casus*.

	Casus, quibus obtinent			
Collusores	A	B	C	D.
1	1035	188	22	12
$\frac{1}{2}$	399	342	66	21
$\frac{1}{3}$	9	9	9	—
$\frac{1}{4}$	36	36	36	36
0	237	1141	1583	1647
Summa Casuum	1716	1716	1716	1716

 PRO-

PROBLEMA XI.

Propositum sit, sex tesseræ jactibus sex ejus hedras jacere, singulas singulis, sic ut nulla hedrarum bis redeat. Quæritur expectatio ad hoc efficiendum?

Patet, singulos tesseræ jactus sex casibus subesse pro numero hedrarum. Harum nulla aleatori primo jactu contraria est; secundo jactu hedra primi jactûs ei est adversa, cæteris tantùm quinque faventibus. Tertio jactu hedræ duorum præcedentium jactuum ipsi nocent, faventque tantùm 4 reliquæ. Ita quarto jactu duntaxat ipsi prosunt hedræ 3, quinto tantùm duæ, & sexto unica. Problema igitur huc redit, ut inveniatur expectatio ejus, qui successivè sexies præstare debet aliquid, summa omnium casuum in singulis aleis existente 6, numero verò casuum ipsi faventium in primâ aleâ 6, in secundâ 5, in tertiâ 4, & sic porrò. Hæc ad Prop. XII. pr. part. generaliter inventa est $\frac{beh \&c.}{adg \&c.}$ ubi b, e, h &c. seorsim valent 6, 5, 4 &c. a, d, g &c. verò singulæ 6: unde $\frac{beh \&c.}{adg \&c.} \infty \frac{6.5.4.3.2.1}{6.6.6.6.6.6} \infty \frac{5.4.3.2.1}{6.6.6.6.6} \infty \frac{5}{324}$.

PROBLEMA XII.

Propositum sit, sex tesseræ jactibus sex hedras ordine *jacere, primo jactu unum punctum, secundo duo puncta, tertio tria &c. Quæritur expectatio ad hoc præstandum?*

Quia sex hedræ ordine jaciendæ sunt, aleator in singulis jactibus non nisi unum casum habet, qui sibi prodesse possit: unde cùm hîc singulæ literarum b, e, h &c. valeant 1, erit expectatio quæsita $\frac{beh \&c.}{adg \&c.} \infty \frac{1.1.1.1.1.1}{6.6.6.6.6.6} \infty \frac{1}{46656}$.

PRO-

PROBLEMA XIII.

Tres collusores A, B, C, quorum singuli scriptas ante se habent sex primas notas numerales, alternatim tesserâ ludunt hâc conditione, ut quem quisque punctorum numerum jecerit, ex suis notis deleat; aut, si non habeat amplius, sequens ludere pergat, donec quis primus omnes sex notas deleverit. Contingit autem, ludo aliquandiu continuato, ut ipsi A restent adhuc notæ 2, ipsi B 4, & C 3; ordoque jaciendi tangat ipsum A. Quæruntur ipsorum sortes?

Problema hocce plus laboris & patientiæ quàm ingenii requirit: ob magnam enim casuum varietatem numeri protinus in immensum excrescunt; nec novi malo medelam, nisi putemus operationem aliquantulum contrahi posse, si ex sortibus aleatorum, quæ in singulos jactus mutantur, illas tantùm investigemus, quas post ternos quosque jactus acquirunt, cùm vices ludendi ad ipsum A redierint. Hunc in finem considero, quòd, dum collusores successivè tres jactus instituunt, fieri possit, ut vel nullus collusorum, vel unus, vel duo, vel omnes tres aliquam ex suis notis superstitibus jaciant: quot casibus autem unumquodque horum fiat, ex Reg. Pr. XII part. 1. subnexa perspicuum est, juxta quam (si numerum notarum superstitum pro ordine collusorum vocemus b, e, h, numerum deletarum c, f, i; summam utriusque $b + c$ vel $e + f$ vel $h + i \infty a \infty 6$ numero hedrarum unius tesseræ) numerus casuum, qui nulli collusorum delendam notam significant, eosque adeò in pristino statu relinquunt, invenitur cfi; eorum qui soli A, bfi; qui soli B, eci, &c. ut ex appo-

apposito laterculo apparet; numerus verò omnium casuum a^3 ∞ 6.6.6 ∞ 216, rejectisque per Cor. 4. Prop. 3. part. 1. iis, quibus collusorum sortes invariatæ manent, numerus cæterorum $a^3 - cfi$.

Null.	A	B	C	A & B	A & C	B & C	A, B & C.
cfi	bfi	eci	hcf	bei	bhf	ebc	beh.

Quibus præmissis sortes collusorum supputo ad omnes status, in quos ludum continuando pervenire possunt, incipiendo à simplicissimo, & pergendo ad omnes sequentes usque ad statum propositum, ordine quem hîc subjungo; quandoquidem nullius sequentium sors haberi potest, quin sortes omnium præcedentium compertæ habeantur:

A	1.1.1	1.1.1	1.1.1	1.1.1	2.2.2	2.2.2	2.2.2	2.2.2
B	1.1.1	2.2.2	3.3.3	4.4.4	1.1.1	2.2.2	3.3.3	4.4.4
C	1.2.3	1.2.3	1.2.3	1.2.3	1.2.3	1.2.3	1.2.3	1.2.3

Primò pono, singulis collusorum unicam superesse notam, quo casu literæ b, e, h, singulæ valebunt 1, & singulæ c, f, i, 5; consideroque quòd primus A victoriâ potiatur, sive ipse solus, sive una cum alterutro vel utroque reliquorum, proximis tribus jactibus notam suam superstitem jecerit: sed quòd secundus B tum demùm vincere possit, cùm vel solus vel cum tertio C id præstiterit: tertius verò C non nisi cùm solus id effecerit; unde sortes ipsorum hæ fient: sors A ∞ $\frac{bfi + bei + bhf + beh}{a^3 - cfi}$ ∞ $\frac{aab}{a^3 - cfi}$ ∞ $\frac{35}{91}$: sors B ∞ $\frac{eci + ebc}{a^3 - cfi}$ ∞ $\frac{acc}{a^3 - cfi}$ ∞ $\frac{30}{91}$: sors C ∞ $\frac{hcf}{a^3 - cfi}$ ∞ $\frac{25}{91}$.

Fingo deinde, singulis priorum duorum restare unam; & tertio C duas notas; quo pacto valor lit. h est 2, & i, 4: perpendoq; quòd in proximo jactuum ternario omnia eodem modo eveniant, sicut in præced. hypoth. excepto tantùm, cùm solus C notam suam superstitem jecerit: tum enim nemo adhuc vincit, sed omnes in eum statum perveniunt, qui in dictâ hyp. præced. suppositus fuit. Unde

fient

fient ſortes, A $\infty \frac{aab.^{1} + bcf.^{36:91}}{a^3 - cfi} \infty \frac{36.^{1} + 50.^{36:91}}{116} \infty \frac{2538}{5278}$: B $\infty \frac{aec.^{1} + bcf.^{30:91}}{a^3 - cfi} \infty \frac{30.^{1} + 50.^{30:91}}{116} \infty \frac{2115}{5278}$: C ∞ $\frac{bcf.^{25:91}}{a^3 - cfi} \infty \frac{50.^{25:91}}{116} \infty \frac{625}{5278}$.

Atque ita reliquorum etiam ſtatuum ſortes perquiri poſſunt. Sed calculus integer eſt hominis otio abundantis: nos occupatiores ad alia tranſimus.

PROBLEMA XIV.

Duo Colluſores A & B, teſſera in alveum projecta, conveniunt inter ſe, ut quot ejus puncta ceciderint, tot jactus uterque inſtituat, illeq; depoſitum auferat, qui plura ſummatim puncta jecerit; ſin autem æqualis punctorum numerus ambobus contingat, æqualiter etiam depoſitum inter ſe partiantur. Mox verò colluſorum alter B ludi pertæſus loco incertæ aleæ certum punctorum numerum aſſumere, & punctis 12 pro rata ſua acquieſcere mavult. Annuit A. Quæritur uter altero, & quanto potiorem vincendi ſpem habeat?

Determinandum ante omnia, an primus teſſeræ jactus accenſeri debeat jactibus colluſoris A, necne. Ponamus primò non accenſeri: idcirco

X Si

Si primo jactu unum punctum cadit, colluſor A unum duntaxat jactum inſtituet, qui ad ſummum ipſi ſenarium adducere poteſt; unde cùm B ex pacto ſumſerit puncta 12, A neceſſariò perdet, nihilque depoſiti habebit.

Si primo jactu duo cadant puncta, A duos teſſeræ jactus inſtituet, ſeu (quod per Annot. Prop. 12 pr. part. tantundem valet) duabus teſſeris unum jactum: ſed in duabus teſſeris ſunt caſus 36, quorum unicus tantùm eſt punctorum 12, qui ipſi A ex pacto ſemiſſem depoſiti lucratur; cæteri omnes ſunt pauciorum punctorum, quibus ille nihil acquirit; unde tum ſors ejus eſt $\frac{1.^{1:2}+35.^{0}}{36} \infty \frac{1}{72}$.

Si primo jactu cadat ternarius, colluſori A tres teſſeræ jactus concedendi, ſeu (quod perinde) tribus teſſeris jactus unus. Reperiuntur autem in tribus teſſeris caſus 216, quorum 25 ſunt duodecim, 135 pauciorum, & cæteri 56 plurium punctorum: unde habebit ex pacto 25 caſus ad ſemiſſem depoſiti, 135 ad nihil, & 56 ad totum depoſitum; quod ipſi tunc valet $\frac{25.^{1:2}+135.^{0}+56.^{1}}{216} \infty \frac{137}{432}$.

Eodem pacto, si primo jactu quaternarius obtingat, ſors colluſoris A fiet $\frac{125.^{1:2}+310.^{0}+861.^{1}}{1296} \infty \frac{1847}{2592}$: & ſi quinarius, ſors erit $\frac{305.^{1:2}+457.^{0}+7014.^{1}}{7776} \infty \frac{14333}{15552}$: ſi denique ſenarius, ſors ejus prodibit $\frac{456.^{1:2}+462.^{0}+45738.^{1}}{46656} \infty \frac{7661}{7776}$.

Jam verò æquè facilè contingere poteſt, ut primo teſſeræ jactu unum, duo, tria, 4, 5 vel 6 puncta cadant; idcirco ſors colluſoris A, quam ab initio ludi habet, per Prop. 2. pr. part. eſt ſexta pars aggregati omnium ſortium particularium 0, $\frac{1}{72}$, $\frac{137}{432}$, $\frac{1847}{2592}$, $\frac{14333}{15552}$, $\frac{7661}{7776}$; videlicet $\frac{15295}{31104}$; & relinquitur pro ſorte colluſoris B, $\frac{15809}{31104}$.

Ponamus deinde, primum teſſeræ jactum, qui numerum jactuum Colluſoris A determinare debet, & ipſum his jactibus accenſendum eſſe: quo poſito, ſi prima vice unum punctum cadit, liquet A perditurum. Idem intellige, ſi duo puncta ceciderint; tum enim

ipſi

ipsi A unicus jactus restat, quo sex ad summum puncta jacere potest, quæ addita primi jactus binario non nisi 8 puncta efficiunt, cùm alteri B 12 concesserit.

Si prima vice tria jaciantur puncta, duo supersunt peragendi jactus à collusore A, quibus 36 casus respondent. Hos inter sunt 4, qui ipsi afferunt puncta 9 (h.e. connumerato primi jactus ternario, puncta 12) 26 casus, qui pauciora; & 6 qui plura. Habet ergo tum 4 casus ad $\frac{1}{2}$, 26 ad 0, & 6 ad 1; id quod ipsi sortem parit $\frac{2}{9}$.

Si primo jactu collusori A quaternarius obtingat, tres ipsi jactus insuper instituendi sunt, in quibus 216 casus reperiuntur. Horum sunt 21, qui ipsi adducunt puncta 8 (id est, si 4 primi jactus puncta accenseas, puncta 12) 35 casus, qui puncta pauciora, & 160 qui plura; unde sors collusoris A fiet $\frac{21.\frac{1}{2} + 35.0 + 160.1}{216} \infty \frac{341}{432}$.

Ad eundem modum reperitur sors ejus, si primo jactu quinarius evenerit, $\frac{1271}{1296}$; & ubi senarius, $\frac{15545}{15552}$.

Ergo, cùm primo jactu omnes sex hedræ unius tesseræ æquè sint in proclivi, sequitur, sortem collusoris A, quam ab initio ludi obtinet, fore sextam partem aggregati omnium sortium particularium 0, 0, $\frac{2}{9}$, $\frac{341}{432}$, $\frac{1271}{1296}$ & $\frac{15545}{15552}$, videl. $\frac{46529}{93312}$; sic ut collusori B relinquatur $\frac{46783}{93312}$, qui proinde in utraque hypothesi potiorem vincendi spem habet.

Ut Lectores nostri exemplo discant, quàm cautè in his ratiociniis sit versandum, ne quis nubem pro Junone captet; non abs re me facturum spero, si hic subnectam specimen solutionis alicujus spuriæ atque fallacis ejusdem Problematis, quâ quærere quis posset valorem expectationis in ipsis punctis, & quam, priore solutione non cognitâ, legitimam & genuinam esse facilè juraret. Nimirum in 1. *hypoth.* si contingit, ut collusor A unicum jactum instituere debeat, illo jactu vel 1, vel 2, 3, 4, 5, vel deniq; 6 puncta impetrabit, quorum unumquodque eum pari facilitate accidere possit, valebit hoc ipsi per Prop. 2. part. 1. $\frac{1+2+3+4+5+6}{6} \infty 3\frac{1}{2}$ puncta, medium arithme-

ticum inter 1 & 6. Sin ipſo contingunt duo jactus inſtituendi, illis jactibus vel 2, 3, 4 &c. vel denique 12 puncta conſequetur; & quia unus caſus eſt, quo 2 puncta, & unus quo 12: duo verò caſus quibus 3 & duo quibus 11: nec non tres caſus quibus 4, & totidem quibus 10 puncta acquirit, & ſic porrò; cenſebitur ejus expectatio, per Prop. 3. part. 1. punctorum $\frac{1.2 + 1.12 + 2.3 + 2.11 + 3.4 + 3.10 + 4.5 + 4.9 + 5.6 + 5.8 + 6.7}{36} \infty \frac{1.\overline{2+12} + 2.\overline{3+11} + 3.\overline{4+10} + 4.\overline{5+9} + 5.\overline{6+8} + 6.7}{36} \infty \frac{1.14 + 2.14 + 3.14 + 4.14 + 5.14 + 6.7}{36} \infty \frac{15.14 + 6.7}{36} \infty \frac{18.14}{36} \infty 7$, quod medium quoq; arithmeticum eſt inter extrema puncta 2 & 12. Quòd ſi ipſum tres jactus inſtituere contingit, poterit illis jactibus impetrare 3, 4, 5 &c. uſq; ad 18 puncta, quorum quæ ab extremis 3 & 18 æquè ſunt remota, æquali ſemper caſuum numero ſubjacent; unde eodem modo oſtendetur, quòd ejus expectatio tum valeat puncta $10\frac{1}{2}$, medium itidem arithmeticum inter extrema 3 & 18. Pariter etiam, ſi 4, 5 aut 6 jactus ipſi peragendi ſunt, ejus expectatio inter 4 & 24, inter 5 & 30, inter 6 & 36, qui ſunt extremi numeri punctorum quæ 4, 5 & 6 teſſeris evenire poſſunt, media erit, adeoque punctorum 14, $17\frac{1}{2}$ & 21. Quare cùm æquè facilè contingere poſſit, ut colluſor A vel 1, vel 2. 3, 4, 5 aut 6 jactibus defungi teneatur, æquam etiam habebit expectationem ad puncta $3\frac{1}{2}$, 7, $10\frac{1}{2}$, 14, $17\frac{1}{2}$ & 21; qui numeri cùm & ipſi ſint in arithmetica progreſſione, interque extremos medius exiſtat $12\frac{1}{4}$, indicant expectationem hanc æſtimandam eſſe $12\frac{1}{4}$ punctorum.

Haud abſimili ratione in 2dâ hypoth. procedere licet: nam ſi colluſor A prima vice unum jaciat punctum, habebit unum. Si duo jecerit puncta, habebit puncta 2, & præterea adhuc unum jactum, qui ipſi per ante dicta valet $3\frac{1}{2}$ puncta; adeoq; cum duobus illis habebit puncta $5\frac{1}{2}$. Si tria ipſi puncta ceciderint, habebit præter hæc 3 puncta duos jactus, quos ipſi valere diximus 7 puncta; proinde in totum habebit puncta 10. Non ſecus ſi 4, 5 aut 6 puncta primo jactu evenerit, oſtendetur habere $14\frac{1}{2}$, 19 aut $23\frac{1}{2}$ puncta. Unde cùm initiò pari facilitate 1, 2, 3, 4, 5 aut 6 puncta jacere poſſit, æquam itidem

& (pro-

& (propter arithmeticam progressionem) mediam inter 1, $5\frac{1}{2}$, 10 $14\frac{1}{2}$, 19 & $23\frac{1}{2}$ puncta expectationem obtinebit; quæ quidem rursus est ut antea punctorum $12\frac{1}{4}$.

Itaq; cùm in utraq; hypothesi collusor A habere censeatur puncta $12\frac{1}{4}$, quorum alteri B tantum 12 concessa sunt, colligendum videtur, expectationem ipsius A potiorem esse quàm B. Hujus autem contrarium ex priore solutione, quæ sua luce radiat, apparet; quanquam profectò difficile dictu est, cur ille plura quàm hic puncta, minorem autem depositi partem expectet, cùm tamen acquisitio depositi vi pacti pendeat à punctorum pluralitate.

PROBLEMA XV.

Cæteris positis, ut ante, Collusor B pro rata sua quadratum numeri punctorum primi jactus concedi sibi postulat. Quæritur nunc ratio sortium?

Distinguantur rursus hypotheses:

1. *Hypoth.* Intelligatur jactus primus non accenseri jactibus collusoris A: Igitur si primo jactu unum punctum cadit, Collusori B ex pacto quoque tantùm unum tribuitur, dum alter A instituet unum jactum, è cujus 6 casibus unus est, qui unicum; & 5 qui plura ei puncta advehunt: adeoque 1 casus qui ipsum ex semisse, & 5 qui ipsum ex asse victorem reddunt; id quod sortem ei parit $\frac{1 \cdot 1:2 + 5 \cdot 1}{6} \infty \frac{11}{12}$.

Si primo jactu cadit binarius, ipse B ex pacto habebit bis duo seu 4 puncta, dum collusori A duo jactus concedendi: sunt autem in 2 jactibus 36 casus, interque illos tres punctorum tot quot habet B, nempe punctorum 4; ut & tres pauciorum punctorum, & 30 plurium: unde sors ipsius A fit $\frac{3 \cdot 1:2 + 3 \cdot 0 + 30 \cdot 1}{36} \infty \frac{7}{8}$.

Si primo jactu ternarius evenit, acquiruntur ipsi B ter tria seu 9 puncta, ipsique A 3 jactus, qui casus præbent 216. Hos inter sunt 25 pun-

25 punctorum novem (tot scil. quot habet B) 56 pauciorum & 135 plurium punctorum; quod sortem efficit $\frac{25.^{1:2}+56.^{0}+135.^{1}}{216}$ ∞ $\frac{295}{432}$.

Simili discursu reperitur, si primo jactu quaternarius, quinarius vel senarius prodierit, sortem collusoris A fore $\frac{745}{2592}$, $\frac{7}{288}$, aut $\frac{1}{93312}$. Cùm igitur omnes 6 casus primi jactus sint æquè proclives, sexta pars aggregati harum fractionum $\frac{11}{12}$, $\frac{7}{8}$, $\frac{295}{432}$, $\frac{745}{2592}$, $\frac{7}{288}$ & $\frac{1}{93312}$, nempe $\frac{259993}{559872}$ indicabit quæsitum; unde alteri B relinquitur $\frac{299879}{559872}$.

2. *Hypoth.* Sit nunc primus jactus & ipse computandus cum jactibus collusoris A: quo posito

Si unum prodeat punctum, liquet utrumque collusorum habere punctum, adeoque depositi semissem.

Si duo emergant puncta, habebit B ex pacto puncta 4, alterq; A præter jactum quo jam functus est adhuc alium instituet, è cujus 6 casibus unus est, qui 2 puncta (i. e. si primi jactus binarium unà computes, 4 puncta, tot scil. quot B habet) unus itidem casus qui pauciora, & 4 qui plura ipsi afferunt: unde sors ejus tunc erit $\frac{1.^{1:2}+1.^{0}+4.^{1}}{6}$ ∞ $\frac{3}{4}$.

Si tria jaciantur puncta, B puncta 9 habebit, A verò præcedenti jactui duos adhuc superaddet, qui 36 casibus sunt subjecti. Ex horum numero sunt 5 qui sex ipsi puncta producunt (h. e. comprehenso primi jactus ternario totidem, quot B habet) 10 casus qui pauciora, & 21 qui plura; id quod collusori A sortem progenerat $\frac{5.^{1:2}+10.^{0}+21.^{1}}{36}$ ∞ $\frac{47}{72}$.

Simili ratiocinio colliges, si primâ vice 4, 5 vel 6 puncta cadant, sortem collusoris A futuram $\frac{137}{432}$, $\frac{35}{864}$ vel $\frac{1}{15552}$. Ob sex igitur casus primi jactus æquè proclives, sexta pars aggregati omnium fractionum $\frac{1}{2}$, $\frac{3}{4}$, $\frac{47}{72}$, $\frac{137}{432}$, $\frac{35}{864}$ & $\frac{1}{15552}$, nempe $\frac{35155}{93312}$ ostendet quæsitum; ita ut collusori B relinquatur $\frac{58157}{93312}$, cui sic rursus in utraque hypothesi potior expectatio contingit.

PRO-

PROBLEMA XVI.

Æstimatio sortis in ludo, dicto Cinq & neuf.

In Gallia, Dania, Suecia, Belgio, inferiore Germania & locis finitimis aleæ quoddam genus in usu est, quod vocant *Cinq & neuf*, quodque inter duos collusores A & B duabus tesseris instituitur, ludendi vices perpetuas in se recipiente altero eorum A. Conditiones ludi sunt tales: Si A prima vice jaciat 3 vel 11, aut puncta duplicata quæcunque (*un doublet*, ein Pasch) putà duas unitates, duos binarios, ternarios &c. vincit ipse A: si jaciat 5 vel 9, vincit alter B, si alium quemvis punctorum jecerit numerum, putà 4, 6, 7, 8, vel 10 neuter eorum adhuc vicit, sed ludum prosequi tenentur, donec aut 5 vel 9 puncta ceciderint, quo casu ipse semper B victor erit; aut donec idem præcisè punctorum numerus, qui primo jactu prodiit, redierit; qui casus ipsum A victorem reddit: conditio enim de jaciendis punctis 3 vel 11, aut duplicatis quibusvis ipsi non nisi in primo jactu prodest. Quibus positis quæritur ratio sortium?

Quoniam collusor A, quatenus prima vice 4, 6, 7, 8 aut 10 puncta jacere potest, ad sortes pervenit etiamnum incognitas & inexploratas, hæ ante omnia veniunt investigandæ.

Ponamus itaque prima vice jecisse quaternarium, & nunc in procinctu esse alterum instituendi jactum. Quare cùm in duabus tesseris tres sint casus, qui eundem quaternarium revehunt, ipsumque A victorem ludi reddunt; & octo alii qui 5 vel 9 puncta afferunt, eique depositi jacturam causantur; dum cæteri omnes ipsum ad repetitionem jactus obligant, eoque non plus efficiunt per Cor. 4. Prop. 3. part. 1. quàm si prorsus abessent; idcirco fiet ejus expectatio $\frac{3 \cdot 1 + 8 \cdot 0}{11} \propto \frac{3}{11}$. Atque hæc quoque illi sors acquiritur, si primo jactu denarius ceciderit, cùm in duabus tesseris denario & quaternario æqualis casuum numerus respondeat.

Pona-

Ponamus deinde, primo jactu prodiisse senarium. Itaque cùm 5 casus sint, quibus altero jactu idem redire potest senarius, dum rursus 8 aliis 5 vel 9 puncta obtingere possunt; sequitur nunc collusorem A 5 habere casus pro se, & 8 contra se, (neglectis, ut antea, reliquis, qui ipsum in eodem statu relinquunt) quod sortem ei parit $\frac{5 \cdot 1 + 8 \cdot 0}{13} \infty \frac{5}{13}$. Quanta quoque illius expectatio est, si primo jactu octonarius evenerit; cùm senarius & octonarius eidem casuum numero sint obnoxii.

Ponamus denique, primo jactu cecidisse septenarium. Unde cùm idem septenarius sequenti jactu sex casibus redire possit, erunt nunc 6 casus, pro collusore A, dum 8 ut antea sunt pro adversario; quod sortem ipsius A efficit $\frac{6 \cdot 1 + 8 \cdot 0}{14} \infty \frac{3}{7}$.

His ita inventis pergo in Problemate, considerando statum collusoris A ante primum jactum, & examinando quot ille casibus per jactum hunc ad unamquamque præcedentium sortium pervenire possit: Primò constat, in tesseris duabus sex esse casus punctorum duplicatorum quorumque, ut & quatuor alios punctorum trium vel undecim, adeoque 10 in universum casus, qui collusorem A ex ludi præscripto totius depositi dominum reddunt. Deinde etiam liquet, ut jam insinuatum est, 8 esse casus punctorum quinque vel novem, quibus ille contra toto deposito excidit. Præterea numerantur 6 casus quatuor simul & decem punctorum, sed comprehensi in iis ambo casus duplicati binarii & quinarii, quibus collusor A toto deposito potitur, quorumque ratio jam habita est; his igitur subtractis remanent tantùm 4, qui ipsum ad sortem supra inventam $\frac{3}{11}$ perducunt. Porrò habentur casus 10 pro sex & octo punctis, unde demtis iterum duobus pro duplicato ternario & quaternario, relinquuntur 8, qui illum ad sortem supra repertam $\frac{5}{13}$ promovent. Tandem reliqui sunt 6 casus ad puncta septem, quibus supra ostendimus ipsi sortem acquiri . Omnibus igitur in compendium redactis, clarum est, expectationem Aleatoris A, quam ab initio ludi habet, fore $\frac{10 \cdot 1 + 8 \cdot 0 + 4 \cdot 3:11 + 8 \cdot 5:13 + 6 \cdot 3:7}{36} \infty \frac{4189}{9009}$, ac proinde collusoris

lusoris B $\frac{4820}{9009}$, sic ut ratio sortium sit, ut 4189 ad 4820. Unde perspicuum fit, potiorem hujus quàm illius conditionem esse, ut maximè sint qui secus existiment. inque partes ipsius A transire malint.

PROBLEMA XVII.

Æstimatio sortis in alio quodam Aleæ genere.

Memini me olim tempore nundinarum quendam hic vidisse Circulatorem, qui sequens aleæ genus in foro exponebat, eoque prætereuntes alliciebat. Discus erat orbicularis ad libellam compositus, versùs medium parumper acclivis; Limbum circumcingebant 32 loculi seu foraminula contigua & æqualia, quæ in quatuor distincta classes vel series numeris ordine ab I usque ad VIII quater adscriptis signabantur; Medio disci perpendiculariter imminebat fritillus. Fortunam periclitaturus per cavitatem fritilli quatuor demittebat globulos excipiendos in circumferentia disci à totidem loculis, auferebatque præmium quod numeris horum loculorum in summam collectis dicatum conspiciebat, majoris minorisve pretii pro aggregati diversitate, ut ex subjuncto laterculo apparet. Singuli autem globulorum jactus ipsi quaternis nummis redimendi erant. Quæritur ipsius expectatio?

Constat primò, quòd unoquovis globulorum jactu ad minimum 4, ad summum 32 puncta obtineri possunt, quorum utrumvis uno duntaxat casu contingit, illud, si globuli singuli singulorum ordinum prima foramina subintrant, istud si ultima. Deinde observo, quòd casus multiplicentur pro intermediis punctorum numeris, prout ab utrovis extremo 4 aut 32 magis recedunt, & quòd maximo casuum numero sit expositus numerus 18, medius arithmeticus inter 4 & 32; bini autem numeri à medio 18 supra infraque æqualiter remoti æquali quoque casuum numero subsint. Tertiò considero, quòd foraminula, quæ quovis jactu globulos excipiunt, vel omnia quatuor signata esse possint eodem determinato numero; vel tria eodem, quar-

Puncta		*Nummi*		*Casus communes.*
4	32	120	180	1
5	31	100	32	16
6	30	30	25	52
7	29	24	24	128
8	28	18	16	245
9	27	10	12	416
10	26	6	8	664
11	25	6	6	976
12	24	6	4	1369
13	23	5	4	1776
14	22	3	3	2204
15	21	3	3	2560
16	20	3	3	2893
17	19	2	3	3088
18		2		3184

tum diverso: vel duo eodem, & reliqua duo alio eodem numero: vel duo eodem, & cætera duo diversis: vel denique omnia quatuor differentibus determinatis numeris; quorum quidem primum unico, alterum 16, tertium 36, quartum 96, ultimum 256 casibus accidere potest. Etenim cùm quaterni sint loculi homologi, sive eodem determinato numero putà I notati, si globulorum nonnulli putà tres ab istis loculis sunt excipiendi, liquet hoc tot casibus contingere posse, quot terniones in rebus 4 continentur, nempe quatuor; adeò ut si quartus insuper globulus in aliquem loculum alio numero, ex. gr. II. signatum se recipere debeat (quod ob quatuor uniones in rebus 4 rursum quatuor casibus evenit) concludi possit, quater quatuor seu 16 in universum casus existere, qui efficiant, ut tres globuli tres loculos n.° I signatos & simul quartus unum loculorum n.° II notatorum subintret. Quemadmodum etiam colligere promtum est, ob sex biniones rerum quatuor, sexies sex seu 36 casus haberi, quibus contingat, ut duo loculi n.° I conspicui à duobns; & duo n.° II notati ab aliis duobus globulis occupentur: nec non sexies quater quatuor, h.e. 96 casus, quibus duo loculi num. I à duobus, unus loculorum n.° II à tertio, & unus n.° III à 4.to globulo occupetur: ac denique 4.4.4.4 h.e. 256 casus, quibus unus globulorum in loculum n.° I, alius in loculum n.° II, tertius in loculum III, & quartus in IV se recipiat. Ubi tandem notandum, quod ad variationes illas 24, quæ ex solâ 4 globulorum permutatione mutuâ oriuntur, non attendamus, quippe quæ insuper haberi possunt ceu totidem casus secundarii, ex quibus unusquisque primariorum conflatur.

His

His ita præmissis & intellectis inquirendum est in numerum casuum cuivis punctorum numero convenientem, eo ferè modo quo supra post Prop. 9. part. 1. ad numeros jactuum in tesseris investigandos usi fuimus; resolvendo vid. propositum punctorum numerum ob 4 globulos in 4 partes, quarum nulla octonarium superet (quòd loculis majores numeri non sint adscripti) idque omnibus modis possibilibus, ac deinde singulis modis juxta supra observata suos tribuendo casuum numeros; horum enim summa quæsitum exhibebit. At quoniam eâ ratione numerus casuum duntaxat pro dato punctorum numero inveniretur, nobis verò casuum notitia pro universis punctis necessaria est, poterimus aliam compendiosiorem inire viam, & omnia una operatione consequi, hoc modo:

In supremo sequentis Tabulæ margine scribantur ordine numeri punctorum à IV usque ad XVIII; sufficit enim horum determinasse casus, cùm singuli supra XVIII cum singulis infra in casuum multitudine, uti dictum, conveniant.

Ponamus, globulos omnes excipi 4 loculis homologis, erunt eorum numeri vel 4 unitates, vel 4 binarii, ternarii, quaternarii &c. quorum summæ sunt, 4, 8, 12, 16, &c. quare signetur in margine sinistro 1. 1. 1. 1 (cæteris 2. 2. 2. 2 &c. usq; ad 8. 8. 8. 8 mente subintellectis) & è regione sub singulis punctorum numeris IV. VIII. XII. XVI. &c. notentur singulæ unitates.

Ponamus tres globulos excipi loculis homologis, quartum diverso: erunt homologorum numeri vel tres unitates, vel totidem binarii, ternarii &c. Si tres unitates, quartus numerus erit vel binarius, vel ternarius, quaternarius &c. qui singuli juncti unitatibus summas efficiunt V. VI. VII. VIII. . . . XI; quocirca in margine signetur 1. 1. 1. 2 (reliquis 1. 1. 1. 3 &c. usque ad 1. 1. 1. 8 mente suppletis) & è regione sub punctis V. VI. VII. . . XI. scribatur 16. Si homologorum numeri sint tres binarii, quartus erit vel 1, vel 3, vel 4 &c. qui juncti binariis summas exhibent VII. IX. X. . . XIV; quare in margine ponatur 2. 2. 2. 1 (cæteris 2. 2. 2. 3 &c. subintellectis) & è regione sub singulis punctorum VII. IX. X. . . . XIV. rursus scribatur 16. Similiter etiam procedendum, ubi homologorum numeri sunt tres ternarii, existente quarto 1. 2. 4 aut 5 &c. aut

tres quaternarii, existente quarto 1. 2. 3. aut 5 &c. aut tres quinarii &c. existente semper quarto uno reliquorum, scribendo nempe 16 sub singulis punctorum summis, quas additi 4 loculorum numeri efficiunt.

Ponamus porrò loculos globulorum duos homologos, & alios duos rursus homologos, sed à prioribus diversos: erunt numeri loculorum vel duæ unitates cum duobus binariis, ternariis, quaternariis &c. qui unitatibus juncti faciunt VI. VIII. X.... XVIII: vel duo binarii cum 2 ternariis, quaternariis &c. qui additi binariis constituunt X. XII. XIV. &c. vel duo ternarii cum totidem quaternariis &c. vel duo quaternarii cum totidem quinariis &c. &c. idcirco notentur in margine Tabulæ 1. 1. 2. 2, 2. 2. 3. 3, 3. 3. 4. 4 &c. (cæteris 1. 1. 3. 3, 1. 1. 4. 4 &c. nec non 2. 2. 4. 4 &c. 3. 3. 5. 5 &c. compendii gratiâ omissis) è regione verò sub singulis numerorum tam expressorum quàm mente retentorum summis scribantur 36.

Pergamus deinde ponere loculos globulorum duos homologos, reliquos ab his & inter se diversos: erunt homologorum numeri rursus vel duæ unitates, vel duo binarii, ternarii &c. & si unitates, tertius erit vel binarius cum quarto ternario, quaternario, quinario &c. vel ternarius cum quarto quaternario, quinario &c. & ita consequenter: si duo binarii, tertius esse potest vel 1 cum quarto 3, 4, 5, 6 &c. vel 3 cum 4to 4, 5, 6 &c. vel 4 cum 4to 5, 6 &c. &c. si illi sunt duo ternarii, tertius existet vel 1 cum 4to 2, 4, 5, 6 &c. vel 2 cum 4to 4, 5, 6 &c. vel 4 cum $4.^{o}$ 5, 6 &c. &c. si illi sunt quaternarii, 3^{tius} poterit esse vel 1 cum 4to 2, 3, 5 &c. vel 2 cum 4to 3, 5 &c. &c. & ita pariter in reliquis omnibus, quamobrem primis harum combinationum 1. 1. 2. 3, 1. 1. 3. 4, &c. nec non 2. 2. 1. 3 &c. 3. 3. 1. 2 &c. in margine notatis & cæteris mente suppletis, scribantur sub singulis punctorum summis, quas singuli numerorum quaternarii efficiunt, 96.

Tandem etiam ponamus, loculos globulorum omnes differentibus numeris affectos esse; erunt ipsorum combinationes tales: 1.2.3 cum 4to 4, 5, 6 &c. 1. 2. 4 cum 4to 5, 6, 7 &c. &c. item 1. 3. 4:

1. 3. 5:

Combinat.	IV.	V.	VI.	VII.	VIII.	IX.	X.	XI.	XII.	XIII.	XIV.	XV.	XVI.	XVII.	XVIII.
1.1.1.1.	1	.	.	.	1	.	.	.	1	.	.	.	1	.	.
1.1.1.2	.	16	16	16	16	16	16	16							
2.2.2.1	.	.	.	16	.	16	16	16	16	16	16				
3.3.3.1	.	.	.	.	.	.	16	16	.	16	16	16	16	16	.
4.4.4.1	.	.	.	.	.	.	.	.	.	16	16	16	.	16	16
5.5.5.1	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	16	16	16
1.1.2.2	.	.	36	.	36	.	36	.	36	.	36	.	36	.	36
2.2.3.3	.	.	.	.	.	.	36	.	36	.	36	.	36	.	36
3.3.4.4	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	36	.	36	.	36
4.4.5.5	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	36
1.1.2.3	.	.	.	96	96	96	96	96	96	.	.	.	.	.	.
1.1.3.4	.	.	.	.	.	96	96	96	96	96	.	.	.	.	.
1.1.4.5	.	.	.	.	.	.	.	96	96	96	96	.	.	.	.
1.1.5.6	.	.	.	.	.	.	.	.	.	96	96	96	.	.	.
1.1.6.7	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	96	96	.	.
1.1.7.8	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	96	.
2.2.1.3	.	.	.	.	96	96	96	96	96	96	.	.	.	.	.
2.2.3.4	.	.	.	.	.	.	.	96	96	96	96	96	.	.	.
2.2.4.5	.	.	.	.	.	.	.	.	.	96	96	96	96	.	.
2.2.5.6	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	96	96	96	.
2.2.6.7	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	96	96
3.3.1.2	.	.	.	.	.	96	.	96	96	96	96	96	.	.	.
3.3.2.4	.	.	.	.	.	.	.	.	96	96	96	96	96	.	.
3.3.4.5	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	96	96	96	96
3.3.5.6	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	96	96
4.4.1.2	.	.	.	.	.	.	.	96	96	.	96	96	96	96	.
4.4.2.3	.	.	.	.	.	.	.	.	.	96	.	96	96	96	96
4.4.3.5	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	96	96	96
5.5.1.2	.	.	.	.	.	.	.	.	.	96	96	96	.	96	96
5.5.2.3	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	96	96	.	96
5.5.3.4	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	96	.
6.6.1.2	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	96	96	96	96
6.6.2.3	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	96	96
7.7.1.2	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	96	96
1.2.3.4	.	.	.	.	.	.	256	256	256	256	256	.	.	.	.
1.2.4.5	.	.	.	.	.	.	.	.	256	256	256	256	.	.	.
1.2.5.6	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	256	256	256	.	.
1.2.6.7	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	256	256	.
1.2.7.8	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	256
1.3.4.5	.	.	.	.	.	.	.	.	.	256	256	256	256	.	.
1.3.5.6	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	256	256	256	.
1.3.6.7	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	256	256
1.4.5.6	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	256	256	256
1.4.6.7	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	256
2.3.4.5	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	256	256	256	256	.
2.3.5.6	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	256	256	256
2.3.6.7	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	256
2.4.5.6	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	256	256
3.4.5.6	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	256
Summa Casuum	1	16	52	128	245	416	664	976	1369	1776	2204	2560	2893	3088	3184

Summa omnium Casuum —— 35960.

n
b

re
n
te
ve
qu
6
ſi
ve
qu
3,
ha
&
ſci
qu

tib
cu

1. 3. 5: &c. 1. 4. 5 &c. cum 4to &c. nec non 2. 3. 4: 2. 3. 5 &c. cum quarto differenti numero &c. &c. &c. usque ad 3. 4. 5. 6 quâ cum omnes possibiles combinationes sunt completæ: quocirca primis harum combinationum in margine expressis & prætermissis reliquis, notentur è regione sub singulis quaternorum numerorum summis, 256; prout hæc omnia in adjunctâ Tabulâ præstita cernuntur.

Additis igitur in unam summam, qui in eâdem serie perpendiculari sibi respondent, numeris, habebuntur omnes punctorum in vertice scriptorum casus, videl. 1 casus pro punctis IV, 16 casus pro punctis V, 52 pro punctis VI; & ita deinceps usque ad puncta XVIII, qui numerus bis 16, quater 36, decies 96 & octies 256, id est, in universum 3184 casibus expositus est. Et quoniam numeri punctorum supra XVIII cum reliquis infra, singuli cum singulis, putà XIX cum XVII, XX cum XVI &c. in numero casuum conveniunt, ut initio monuimus & ostensu facile est, sequitur, si collecti à punctis IV ad XVII casuum numeri duplentur, duploque 32776 addantur 3184 casus punctorum XVIII, aggregatum 35960 exhibiturum summam omnium omnino casuum. Quòd autem enumeratio ritè facta sit, nullaque combinationum prætermissa, vel inde patet, quòd numerus quaternionum in rebus (putà loculis) 32, præcisè idem reperitur; est enim ille, per Cap. 4. part. 2,

$\frac{32.31.30.29}{1.2.3.4}$ ∞ 35960.

Inventis sic numeris casuum pro quovis punctorum numero, cætera oppidò levia sunt, & expediuntur per Prop. 3. part. 1. multiplicando videl. singulos casuum numeros per singula præmia, quæ istis casibus acquiruntur: nempe (cùm punctis IV in sup. laterculo tribuantur nummi 120, punctis XXXII nummi 180, punctis V nummi 100, punctis XXXI nummi 32, punctis VI 30, punctis XXX 25 &c.) multiplicando 1 casum per 120, rursusque per 180; 16 casus per 100, iterumque per 32; 52 casus per 30, nec non per 25 &c. sive brevius, 1 per 300 ∞ 120 + 180, 16 per 132 ∞ 100 + 32, 52 per 55 ∞ 30 + 25, atque ita deinceps usque ad 3184 per 2: ac tandem dividendo omnium produ-

ctorum ſummam per ſummam omnium caſuum 35960. Sic enim exibunt in quotiente pro expectatione aleatoris nummi $4 \frac{1349}{3596}$: unde cùm ipſe ex hypoth. ſolis 4 nummis jactum redemerit, apparet potiorem illius quàm circulatoris ſortem eſſe, iſtumque proin hoc aleæ genere, ni præmia minuat, non multum lucrari poſſe.

PROBLEMA XVIII.

De Ludo chartarum, vulgò Trijaques.

Uſitatiſſimum eſt inter Germanos ludi genus, quod *Trijaques* appellatur, & affinitatem quandam habet cum Gallorum *Brelan*. Sumuntur ex Ludo chartarum folia 24 (rejectis cæteris) ex unaquaque ſcil. ſpecie ſex; nimirum *Novenarii*, *Denarii*, *Famuli*, *Heræ*, *Reges* & *Monades*, quæ ſuis poſthac literis initialibus N. D. F. H. R. M denotabuntur, & hunc dignitatis ordinem inter ſe ſervant: Primas tenet *Monas*, ſequitur *Rex*, inde *Hera*, *Famulus*, *Denarius*; ſed omnibus ſupereminent *Novenarii* unà cum *Famulo trifolii* (quem proin etiam Novenariis accenſemus, ſic ut 5 habeamus Novenarios, at 3 tantùm Famnlos). Novenariorum præſtantia, ſimilis ferè horum, quos in ludo Hiſpanico *Jeu de l'Hombre* dicto *Matadors*, latrones, homicidas ſive ſicarios appellant, in eo conſiſtit, ut cujusvis dignitatis & ſpeciei chartis accenſeantur: ſic duo Novenarii cum Monade, aut unus cum duabus juncti tres Monadas, ſeu *Trigam* (*un Tricon*) Monadum efficiunt: unus, duo vel tres Novenarii ſtipati tribus, duobus unove Regibus *Quadrigam* Regum conſtituunt: unus duove Novenarii in conſortio trium duorumve ejuſdem ſpeciei foliorum, quaterna illius ſpeciei exhibent, ex. gr. quaterna corda, ſpicula, trifolia &c. cujuſmodi chartarum complexio *Fluvius*, ein Fluß/ dici conſuevit, qui præterea numero punctorum æſtimatur; numerantur autem pro Novenario aut Monade puncta 11, pro cæterarum dignitatum chartis ſingulis puncta 10. Modus ludendi talis:

Singulis colludentium ordine bina diſtribuuntur folia, quibus clam inſpectis liberum eſt primo arbitrariam pecuniæ ſummam deponere, quocum ſi congredi velit alter, tantundem deponet, aut

etiam

etiam, ubi visum fuerit, insuper adjiciet aliquid; quod pariter prior superaddere tenetur, si depositi sui jacturam facere nolit. Quo facto singulis, qui ludum ingressi sunt, bina rursum folia exhibentur, sed omnium palàm oculis in mensâ exposita; sic ut cujusque collusoris ludus cæteris ex parte detectus, ex parte occultus sit: tum verò de novo pecuniâ certare incipiunt, aucto, ut antea, alternis deposito, provocatoque pluris semper licitandi potestate concessâ. Tandem aperit unusquisque ludum suum collusoribus, & qui cæteris potiorem habere deprehenditur, universo deposito potitur. Potior autem est Quadriga Fluvio, & Fluvius Triga, quibus omnibus præfertur Quadriga Novenariorum. In Trigis & Quadrigis cæteris dignitatis ordo, in Fluviis punctorum numerus attenditur; sic Triga vel Quadriga Monadum prævalet Trigæ vel Quadrigæ Regum, & Fluvius 43 punctorum alium 42 antecellit. Si nemo collusorum Triga, Quadriga Fluviove sit instructus, is qui plura ejusdem speciei puncta numerare potest, deposito potitur. In casu verò omnimodæ paritatis ludorum, ut cùm duo ejusdem dignitatis Trigam aut Quadrigam, vel totidem punctorum Fluvium numerant, is alteri victoriam præripit, qui ordine prior est, seu qui primus chartas accepit.

Quibus suppositis & intellectis poterit quilibet collusorum visis primis suis duobus foliis calculo subducere, quæ sibi sit expectatio ad vincendum, indeque colligere, quis in certando modus sit tenendus: quanquam enim licitationem non semper qualitati ludi proportionare debeat, ne collusoribus ludum suum prodat (quandoquidem anima hujus ludi est simulatio, & hìc præcipuè in usum vertendum, quod Galli vocant, *faire bonne mine à mauvais jeu*, ut alii, quibus melior forsasse ludus contigit, fictâ hujus confidentiâ decepti ab ultrà-certando absterreantur) negari tamen non potest, quin prævia expectationis cognitio ad ipsam hanc simulationem moderandam & gubernandam adjumentum haud leve conferre possit. Nos calculi specimen in unico tantùm exemplo exhibebimus;

Quoniam observatum olim mihi multoties recordor, hunc cui ab initio duo Novenarii obtigerant, non obstante hâc ludi bonitate perdidisse, cupidus sum sciendi, quanto majorem talis vincendi quàm

perdendi

perdendi ſpem habeat. Atque ut quæſtionem plene determinem, pono me ordine priorem eſſe colluſore, mihi primis duabus chartis duos obtigiſſe Novenarios, alterique unum (ſive quod hoc ex provocationis meæ acceptatione præſumam, ſive quod aliunde mihi conſtet) & quærendam eſſe utriuſque expectationem.

Primò conſidero omnes poſſibiles ſtatus, in quos ludum proſequendo pervenire poſſum. Fieri autem poteſt, ut reliquæ duæ, quas expecto, pagellæ afferant mihi (prout in ſubjuncta Tabula ordine ſub lit. A videre eſt,) vel duos alios Novenarios, vel Novenarium cum Monade, Rege, Hera, Famulo, Denariove: vel duas Monadas, duos Reges, H. F. Denariosve: vel Monadem cum Rege, H. F. D-riove: Regem cum H. F. D-riove: Heram cum Famulo Denariove: Famulum denique cum Denario; easque dignitates vel ambas ejuſdem ſpeciei; vel diverſarum ſpecierum, easque rurſum tales, ut vel alterutra ſit ex ſpecie trifoliorum, vel neutra: ob famulum enim trifolii, qui Novenariis accenſetur, diſparitas hæc ſortes aliquantulum variat.

Deinde examino, quot caſibus ſingula horum evenire poſſint, conſiderando, quòd poſt acceptos à me duos Novenarios & unum à Colluſore, ſuperſunt folia 21, interque illa duo adhuc Novenarii, 4 Monades, totidem Reges, Heræ, Denarii, ac 3 Famuli, (nam etiamſi colluſor duo quoque folia acceperit, eoque propriè non niſi reſtent 20; quoniam tamen alterum illorum mihi ignotum eſt, tantundem hoc valet reſpectu neſcientiæ meæ, acſi non accepiſſet, egoque ad duo qualiacunque ex 21 foliis æqualem expectationem haberem.) Quibus perpenſis facillimum eſt enumerare caſus: caſus enim tot ſunt, quot foliorum reſiduorum combinationes. Poſſunt autem Novenarii reſidui ambo ſimul non niſi ſemel accipi: Novenarius cum Monade aut Rege &c. bis quater ſeu octies, cum Famulo tantùm bis ter ſeu ſexies combinari poteſt: Binarum autem Monadum aut binorum Regum &c. ſunt ſex, binorum Famulorum tres electiones: Porrò monas cum Rege, aut Hera &c. ejusdem ſpeciei, pro numero ſpecierum quater; Monas aut Rex &c. cum Famulo ter tantùm ſumi poteſt. Rurſum Monadis & Regis &c. diverſarum ſpecierum, quarum tamen altera ſit trifoliorum, ſex ſunt acceptiones;

quando-

quandoquidem Monas trifolii cum ſingulis Regibus, & Rex trifolii cum ſingulis Monadibus trium reliquarum ſpecierum conjungi poteſt: quemadmodum etiam Monas trifolii cum Famulo alterius ſpeciei ter conjungitur. Monas denique cum Rege, Herâ, Famulo &c. aut alia duo folia datarum differentium dignitatum & diverſarum ſpecierum (ſed excluſo trifolio) ſexies combinantur; cùm ſingulæ ex. gr. trium Monadum cum ſingulis reliquarum duarum ſpecierum Regibus ſemel compingi poſſint. Et ſic facili negotio combinationum ſeu caſuum numeri ſinguli determinabuntur, quemadmodum in media columna ſub lit. B notati ſunt. Eorum omnium ſumma vel aggregatum reperitur 210 $\infty \frac{21.20}{1.2}$ quantus etiam eſt numerus binionum in chartis 21.

Tertiò calculo perquiro, quæ meæ vel colluſoris ſint expectationes in ſingulis recenſitis ſtatibus; quem in finem conſidero ante omnia, quòd exhibitis mihi duobus aliis foliis reſidua ſunt folia 19, quorum tria colluſori debentur; ſic ut ejus ludus tot variationibus obnoxius ſit, quot terniones in rebus 19 habentur, nempe $\frac{19.18.17}{1.2.3}$ ∞ 969, è quibus quot ipſi faveant, quot adverſentur, in quavis ludi mei conſtitutione porrò explorandum eſt; Patet autem, quòd ſive duobus meis Novenariis accedant duo alii Novenarii, ſeu Novenarius unus cum Monade, neceſſario perdere debet colluſor; tunc enim habebo Quadrigam Novenariorum aut Monadum, & ego ſum ex hypoth. ordine prior colluſore, qui Monadum tantùm Quadrigam ad ſummum conſequi poteſt. Sin Novenariis meis accedat Novenarius cum Rege, habebo Quadrigam Regum, & vinci poſſum à colluſore, ſi hic Quadrigam Monadum obtineat; unde cùm in reſiduis 19 foliis lateant 5 (unus videl. Novenarius & 4 Monades) quorum terna qualiacunque addita Novenario, quem habere præſumitur colluſor, Monadum Quadrigam efficiunt; atque in rebus 5 contineantur terniones 10, ſequitur colluſorem meum in variationibus 969 habere 10 ad vincendum & cæteros ad perdendum; id quod ipſi ſortem parit $\frac{10}{969}$. Si cum Novenario Hera mihi contingat, habebo Quadrigam Herarum, & vincere poteſt colluſor, ſive Monadum ſive Regum Quadrigam conſequatur; quare præter 10 caſus priores nunc alios 10, h. e. 20 ad

vincendum habet, id quod ipsi valet $\frac{22}{969}$. Similiter si cum Novenario Famulum obtineam, præter 20 caſus memoratos vincere poteſt colluſor 10 aliis, quibus quadrigam Herarum conſequitur; unde jam ejus ſors exiſtit $\frac{32}{969}$. Sed ſi Novenarius meus Denario ſtipetur, ſic ut inſuper Quadriga Famulorum colluſorem victorem reddere poſſit, accedentibus ad priores 30 caſus duntaxat 4 aliis, ſors ejus fiet $\frac{34}{969}$; quippe cùm in foliis 4 (quæ ipſius Novenario Trigam Famulorum addere poſſunt) tribus ſcil. Famulis & uno reſiduo Novenario non niſi terniones 4 habentur.

	A	B	C
	2 N	1	0
	N & M	8	0
	N & R	8	10
	N & H	8	20
	N & F	6	30
	N & D	8	34
	2 M	6	0
	2 R	6	20
	2 H	6	40
	2 F	3	60
	2 D	6	70
Ejusd. ſpec.	M & R	4	70
	M & H	4	70
	M & F	3	74
	M & D	4	70
	R & H	4	96
	R & F	3	100
	R & D	4	96
	H & F	3	100
	H & D	4	96
	F & D	3	100

♃

♃

Diverſ. ſpec. quarum una trifol.	M & R	6	153
	M & H	6	153
	M & F	3	157
	M & D	6	153
	R & H	6	309
	R & F	3	313
	R & D	6	309
	H & F	3	445
	H & D	6	441
	F & D	3	553
neutra trifol.	M & R	6	148
	M & H	6	148
	M & F	6	152
	M & D	6	148
	R & H	6	304
	R & F	6	308
	R & D	6	304
	H & F	6	440
	H & D	6	436
	F & D	6	548
		210	969

Quòd

Quòd si Novenariis meis duæ Monades accesserint, rursus infallibiliter perdet collusor: si duo Reges, ipse vincere cum Monadum Quadriga potest; sed propter 4 Monadas & duos nunc residuos Novenarios, i. e. ob sex folia, quorum terniones omnes Novenario collusoris juncti Quadrigam hanc constituere possunt, viginti tunc ad vincendum casus habet. Quibus ob similem rationem accedunt alii 20, si loco Regum duas Heras: & rursus 20, si duos Famulos adeptus fuero. Sed si duos Denarios accepero, præcedentibus tantùm superaddendi casus 10; propterea quia sunt folia solum 5 (Famuli scil. tres & duo residui Novenarii) quorum terniones Famulorum Quadrigam collusori advehere possunt. Unde expectationes illius ordine habentur $\frac{20}{969}$, $\frac{40}{969}$, $\frac{60}{969}$ & $\frac{70}{969}$.

Porrò, si Novenariis meis jungatur Monas cum Rege, Hera, Famulo, Denario ve homogeneo, habebo Fluvium 43 punctorum, & vincet collusor cum Quadriga qualicunque, non aliter: sin iis accedat Rex cum Hera, Famulo, Denariove homogeneo; aut Hera cum Famulo &c. habebo duntaxat Fluvium 42 punctorum; & vincet collusor cum qualicunque Quadriga, atque insuper cum Fluvio 43 punctorum. Si vero mihi cadat Monas cum Rege heterogeneo &c. habebo solummodo Trigam Monadum, & vincere potest alter cum Quadriga pariter ac Fluvio qualicunque; cujus proinde expectationes pro singulis his statibus pari modo seorsim investigantur, sed eo majori subinde labore, quo major collusori vincendi spes allucescit. Unde cùm omnia minutatim prosequi nimis prolixum foret, operationem apponam pro ultima tantùm hypothesi, quâ pono mihi cecidisse Famulum cum Denario alterius speciei (putà Famulum cordium cum Denario spiculorum) adeoque nonnisi Famulorum Triga me instructum esse. Collusorem itaque victorem reddet Quadriga quæcunque & Fluvius quilibet, nec non Triga Monadum, Regum atque Herarum: Quadrigarum casus determino, considerando, residua 19 folia consistere præter 2 N in 4 M, 4 R, 4 H, 2 F & 3 D, h. e. (Novenariis ad singulas dignitates adjunctis) in 6 M, 6 R, 6 H, 4 F & 5 D: horum namque terniones ostendunt, obtingere ipsi posse Quadrigam Monadum casibus 20, Regum & Herarum totidem, Famulorum casibus 4 & Denariorum 10, quorum omnium summa dat casus 74. Fluviorum porrò multitudinem ita exploro:

Attendo, quòd in reliquis 19 foliis præter 2 N reperiuntur 4 ſpicula, 5 lateres, 4 corda & 4 trifolia; & quòd ad Fluvium conſtituendum ultra Novenarium, quo colluſorem jam compotem eſſe præſumo, requiruntur vel terna ejusdem ſpeciei folia, vel ſaltem bina, aſſumto unà Novenariorum reſiduorum alterutro: indeque concludo, Fluviorum numerum æquari numero ternionum in omnibus ſpeciebus, unà cum numero binionum bis ſumto; quare cùm terniones omnes ſint 4 + 10 + 4 + 4 ∞ 22, & biniones omnns 6 + 10 + 6 + 6 ∞ 28, ſequitur, ſummam caſuum ad Fluvios fore 22 + 28 + 28 ∞ 78. Ad Trigas denique quod attinet, earum numerum inire poſſum, ſi perpendam, quòd ad Trigam Monadum (Regum ſive Herarum) conſtituendam, Novenario quo jam pollet colluſor jungendæ vel binæ Monades (Reges aut Heræ) vel ſingulæ unà cum aſſumto Novenariorum reſiduorum alterutro: ſi binæ junguntur, quartum folium poterit eſſe quodlibet ex reliquis 13; adeo ut, cùm 4 Monades (Reges, Heræ) ſexies poſſint binæ accipi, ſexies quoque 13, i. e. 78 hinc variationes oriantur: ſi una ſola Monas (Rex aut Hera) ei jungitur cum Novenariorum reliquorum alterutro, pro quarto folio accipi poterit unumquodvis ex reliquis ſpeciebus, quod ſit inferioris dignitatis; nimirum cum Monade laterum ſigillatim poſſunt accipi 9 folia, & cum ſingulis reliquis 10; cum Rege laterum 6, & cum ſingulis reliquis 7; cum Hera laterum 3, & cum ſingulis reliquis 4; unde Monadum caſus emergunt 39, Regum 27, Herarum 15, qui numeri ob duos reſiduos Novenarios bis ſumpti & poſtmodum ſeorſim additi ſupra inventis 78 aliis variationibus producunt Trigas Monadum 156, Regum 132, & Herarum 108, quæ rurſus collectæ faciunt 396. Quoniam igitur repertum nobis eſt, omnes Quadrigarum caſus eſſe 74, Fluviorum 78, & Trigarum, quæ quidem colluſorem victorem reddere poſſunt, 396, ſequitur quòd conflatis in unam ſummam his numeris aggregatum 548 deſignet omnes in univerſum caſus, quibus ille victoria potiri poſſit; adeò ut ejus ſors exiſtat $\frac{548}{969}$, quemadmodum etiam ſupra in laterculo ſub lit. C. videre eſt, ubi ordine notati habentur numeratores fractionum, quæ exprimunt expectationes colluſoris in quovis ludi mei ſtatu, quarumque omnium communis denominator exiſtit 969.

His

His verò inventis, ut exploretur ſors, de qua principaliter quæſtio mota fuit, quam nimirum habemus priusquam ego poſtrema duo folia accipiam, nil ſupereſt aliud, quàm ut numeros caſuum columnæ B ducamus in numeratores reſpondentes columnæ C, & ſummam productorum dividamus per productum numeri omnium caſuum 210 in communem denominatorem 969: vel, quod brevius, ut numeratores omnes col. C, quibus æqualis caſuum numerus in col. B reſpondet, prius addantur, ac tum ſumma per illum caſuum numerum multiplicetur; tandemque productorum omnium aggregatum dividatur, ut antea. Et ſic quidem reperio, colluſoris mei ſortem eſſe $\frac{3.1902+4.498+6.4614+8.64}{210 \text{ in } 969} \infty \frac{35894}{203490} \infty \frac{17947}{101745}$; unde mea fiet $\frac{83798}{101745}$, paulo minùs quàm 5ies potior altera.

Cæterum examinanti Tabellam primo obtutu multa alia Theoremata ultro ſe offerunt, qualia ſunt hæc: Quòd ad æquam perveniam expectationem per Novenarium cum Hera, atque per duos Reges; item, per duos Denarios, atque per Monadem cum Rege, Hera, Denariove homogeneo: Quòd optabilior mihi ſit Novenarius cum Famulo Denariove, quàm duæ Heræ: Quòd duo differentium dignitatum & ſpecierum folia ſemper tantillo præſtabiliora ſint, ſi neutrum, quàm si alterutrum trifolium foret: Quòd Hera cum Denario alterius ſpeciei meam, Famulus cum Denario colluſoris conditionem paulo potiorem reddat &c.

Et hæc quidem omnia ita ſe habent in hypotheſi, quæ ſupponit duos mihi ab initio Novenarios, unum colluſori obtigiſſe; nam si de neutro colluſoris folio mihi conſtare ſupponatur, aliæ prodibunt expectationes & alia Tabula, quam induſtrius Lector mutatis mutandis ſimili modo concinnabit. Inveniet autem. si calculum ritè ſubduxerit, ſortem meam hoc caſu ad colluſoris ſortem ſe habere, ut 346988 ad 26077, adeoque nunc plus quam tredecies hâc meliorem eſſe.

Animus præterea fuerat, quasdam alias quæſtiones, de quibus frequens inter colluſores ſermo miſcetur, ſolutas hìc tradere; ex. gr. An præſtabilior ſit ab initio ludi Novenarius cum Famulo Denariove

riove, an vero duæ Monades? Aut uter duorum, quorum alter ab initio duas obtinuit Monadas, alter Novenarium cum Famulo Denariove, potiorem vincendi ſpem habeat? & ſimiles. Sed quia futilibus nimiam jam impendiſſe operam videri poſſum, hæc & alia rerum harum curioſo Lectori indaganda & calculo definienda relinquo.

PROBLEMA XIX.

In quolibet Aleæ genere, ſi ludi Oeconomus ſeu Diſpenſator (le Banquier du Jeu) *nonnihil habeat prærogativæ in eo conſiſtentis, ut paulo major ſit caſuum numerus quibus vincit quàm quibus perdit; & major ſimul caſuum numerus, quibus in officio Oeconomi pro ludo ſequenti confirmatur, quàm quibus œconomia in colluſorem transfertur. Quæritur, quanti privilegium hoc Oeconomi ſit æſtimandum?*

Sit in quolibet aleæ jactu numerus caſuum quibus vincit œconomus, ad numerum caſuum quibus perdit, in ratione p ad q, majoris ad minus: item numerus eorum quibus ipsi œconomia pro jactu ſequenti confirmatur, ad numerum horum quibus illa in colluſorem transfertur, in ratione m ad n, rurſum majoris ad minus. Evidens eſt, ſi ſolius præſentis, nulla ſequentis ludi haberetur ratio, fore (propter p caſus ad depoſitum 1, & q ad 0) ſortem œconomi $\frac{p}{p+q}$, colluſoris $\frac{q}{p+q}$, & ambas in ratione p ad q. Sed si ad futuros quoque ludos reſpiciatur, res plus obſcuritatis habet, nec obvium ſtatim eſt, quomodo prærogativa præſentis ludi & ſpes ad præro-

prærogativam ſequentis conjunctim ſint æſtimandæ; ac proinde facilis in paralogiſmos prolapſus eſt, nisi probè advertatur. Memini me aliquando ſic argumentatum fuiſſe: Si idem perpetuò maneret œconomus, ſemper eandem haberet prærogativam ſeu ſortem, quam ratio p ad q definit; igitur quando periculum eſt amittendæ œconomiæ, hactenus pejor ejus conditio cenſenda videtur. Sit hæc x, & colluſoris y; fiet (ob p caſus ad 1, q ad 0, m caſus ad permanendum in ſtatu œconomi, & n caſus ad acquirendum ſtatum colluſoris) $x \infty \frac{p+mx+ny}{p+q+m+n}$, & ſimili modo ſors colluſoris $y \infty \frac{q+my+nx}{p+q+m+n}$; quibus æquationibus debitè inter ſe collatis habetur $x.y::p+n.q+n$ minor, uti collegeram, quàm p ad q. Alia vice ſic arguebam: Si œconomo debeatur $\frac{p}{p+q}$, colluſori $\frac{q}{p+q}$ depoſiti, ſintque m caſus quibus ille in ſtatu œconomi confirmatur, & n caſus quibus in ſtatum alterius tranſit, erit ſors ejus

$$\frac{m.p:\overline{p+q}+n.q:\overline{p+q}}{m+n} \infty \frac{mp+nq}{m+n.\overline{p+q}},$$ relinquiturque alteri

$$\frac{mq+np}{m+n.\overline{p+q}};$$ ſic ut ratio ſortium fiat, ut $mp+nq$ ad $mq+np$, rurſum minor quàm p ad q, etsi diverſa ab alterâ $p+n$ ad $q+n$. Vix autem ita collegeram, cùm utrumque hoc ratiocinium rurſus ceu præpoſterum & fallax rejeci, quippe cui ſummè videbatur ἄτοπον, ut major probabilitas retinendi quàm amittendi munus œconomi minuere potiùs quàm augere dicatur prærogativam œconomiæ annexam: quare aliquandiu eo propendebam, ut crederem prærogativam hanc compoſitam eſſe debere ex utraq; ratione p ad q, & m ad n; adeoq; ſortem œconomi ad colluſoris ſortem eſſe in ratione pm ad qn, majore quàm p ad q, vel m ad n ſeorſim. Verùm nec iſtud aſſertum evidentiæ quicquam habere ſenſi, quin & reapſe à vero abludere deprehendi, poſtquàm genuinum ſolvendi modum reperiſſem. Nolo autem oſtendere, in quo laborent allata ratiocinia. ad veriorem potiùs ſine morâ ſolutionem tranſiturus, præ cujus jubare ſpurium illorum lumen mox ultrò diſpariturum puto.

Hanc qui legitimè inveſtigare cupit, ad duo advertere debet: unum, ut per Coroll. 5. Propoſ. 3. part. 1. determinet, quantum œcono-

œconomo non ex toto deposito, sed ex solâ collusoris pecunia debeatur: alterum, ut hanc illi debitam portionem pro singulis subsequentibus jactibus sive ludis seorsim exploret, quo omnium additione totalis expectatio patescat. Posito itaque Aleatores ita inter se convenisse, ut post quemlibet jactum victus victori tradere teneatur a, liquet, habere œconomum in primo jactu p casus ad lucrandum a, & q casus ad perdendum a, h. e. ad acquirendum $-a$; adeoque partem ipsi debitam ex collusoris pecunia esse $\frac{p.a+q.-a}{p+q} \infty \frac{pa-qa}{p+q}$ seu (factis $p-q \infty r$, & $p+q \infty s$) $\frac{ar}{s}$: quemadmodum contra collusor, ob q casus ad lucrandum a, & p ad perdendum, habere censetur $\frac{-ar}{s}$. Et quoniam præterea œconomus in primo jactu habet m casus, quibus privilegium œconomiæ retinet, h. e. quibus acquirit pro jactu secundo $\frac{ar}{s}$; & n casus quibus illud amittit, h.e. quibus acquirit $\frac{-ar}{s}$; debebitur etiam ipsi ex pecunia collusoris a secundi jactus $\frac{m.ar:s+n.-ar:s}{m+n} \infty \frac{mar-nar}{\overline{m+n}.s} \infty$ (versis $m-n$ in t, & $m+n$ in v) $\frac{art}{sv}$: & collusori vicissim ex pecunia œconomi $\frac{-art}{sv}$, id est, propter signum — debebit ille huic tantundem. Similiter ob eosdem m & n casus primi jactus, quibus œconomia pro jactu sequenti vel confirmatur œconomo, vel ab ipso aufertur, fiet per modo ostensa ipsius jus in pecuniam a tertii jactus, ceu à secundo secundi, $\frac{m.art:sv+n.-art:sv}{m+n} \infty \frac{\overline{m-n}.art}{\overline{m+n}.sv} \infty \frac{artt}{svv}$; & collusoris vicissim $\frac{-artt}{svv}$. Atque sic porrò eadem ratione invenitur deberi œconomo de pecunia jactus 4ti, ceu à secundo tertii, $\frac{m.artt:svv+n.-artt:svv}{m+n} \infty \frac{art^3}{sv^3}$; & de pecunia jactus 5ti $\frac{art^4}{sv^4}$ &c. collusori verò $\frac{-art^3}{sv^3}$, $\frac{-art^4}{sv^4}$ &c. & sic deinceps, quousque fuerit opus. Collectis igitur in unam summam portionibus, quæ œconomo pro singulis successivè jactibus debentur, fiet ejus ex-

pectatio

pectatio totalis $\frac{ar}{s} + \frac{art}{sv} + \frac{artt}{svv} + \frac{art^3}{sv^3} + \frac{art^4}{sv^4}$ &c. expressa vid. per seriem quantitatum geometricè progredientium in ratione v ad t, eo usque continuandam, donec numerus terminorum æquetur numero jactuum seu lusionum, de quo initio inter Aleatores convenit, aut quem alias ante discessum eorum absolvi posse præsumitur. Hunc numerum si vocemus z, erit ultimus seriei terminus $\frac{art^{z-1}}{sv^{z-1}}$, & summa totius seriei $\frac{ar}{s}$ in $\frac{\overline{v^z - t^z} : v^{z-1}}{v-t} \infty \frac{ar}{s}$ in $\frac{\overline{m+n - t^z : v^{z-1}}}{2n.}$.

Coroll. 1. Si differentia inter m & n, adeoque ratio $\frac{t}{v}$ minuscula sit, aut saltem numerus lusionum z majusculus, pro summa inventa poterit scribi $\frac{ar}{s}$ in $\frac{m+n}{2n}$ absque sensibili excessu, evanescente vid. quantitate $\frac{t^z}{v^{z-1}}$, quippe ad v & t eo ordine proportionali, quem indicat numerus lusionum z unitate auctus. Quare tum valor totius prærogativæ œconomi, ad $\frac{ar}{s}$, id quod ipsi pro solo primo ludo deberetur, ferè se habet, ut $m+n$ ad $2n$.

Cor. 2. Si tempore exiguo magnus lusionum numerus possit absolvi, œconomus autem à ludendo desistere, alterique cuidam suam prærogativam vendere velit, accipiet ab ipso $\frac{ar}{s}$ in $\frac{m+n}{2n}$: si verò in lusu pergere, & œconomiam tantùm cum statu collusoris permutare cupiat, dabit ipsi collusor, qui in œconomi munus succedit, duplum, nempe $\frac{ar}{s}$ in $\frac{m+n}{n}$; simplum enim ipsi deberet, si nunc à ludo omninò cessare vellent; ac deinde rursus tantundem, si ludum redauspicari, alterque sibi œconomiam sponte cedere cuperet.

Cor. 3. Si sit $m \infty p$, & $n \infty q$, valor $\frac{ar}{s}$ in $\frac{m+n}{2n}$ contrahitur ad $\frac{a.\overline{p-q}}{2q}$, ejusque duplum $\frac{ar}{s}$ in $\frac{m+n}{n}$ ad $\frac{a.\overline{p-q}}{q}$.

PROBLEMA XX.

Æstimatio sortis in ludo chartarum, vulgò Capriludium, das Bockspiel, *dicto*.

Usus hujus ludi frequens inter nostrates. Instituitur chartis lusoriis inter duos pluresve collusores, quorum unus, qui contra cæteros decertat, & œconomi fungitur munere (der den Bock hat,) postquam folia miscuit, eorum systema in tot manipulos dispescit, quot una secum collusores adsunt; tum singuli horum singulos sibi manipulos admoto pretio mercantur, postremum œconomo relinquentes, qui tandem inversis manipulis ima eorum folia, præter quæ alia nulla considerantur, retegit. Quo facto his, quorum folia dignitate superant folium œconomi, pendere tenetur œconomus tantum, quantum quisque aleæ exposuit; sed quibus folia cecidêre humilioris vel etiam paris dignitatis cum folio œconomi, illi depositi sui jacturam patiuntur, cedente hoc contra in emolumentum victoris œconomi, qui suo præterea munere fungi pergit, quamdiu vel unicum collusorum devicerit, nec officio œconomi exuitur, nisi ab omnibus omninò collusoribus fuerit superatus.

His positis & intellectis, si valor expectationis œconomi sit investigandus, determinandæ tantùm restant rationes $p:q$, $m:n$, hoc est, definiendum quot casibus vincere & quot perdere queat œconomus in quavis lusione; item quot casibus ille jus œconomi servare, quot amittere possit: cætera enim ex præced. Problemate repetuntur. Sit itaque numerus specierum, in quas divisum est chartarum systema, f; & numerus dignitatum in quavis specie, g; adeoque universus foliorum numerus fg. Unde

1. *Si duo tantùm fiunt manipuli*; patet, ambo eorum folia ima toties variari posse, quot biniones in universis foliis fg continentur, nempe $\frac{fg\,\overline{fg-1}}{2}$. Horum binionum nonnulli ejusdem, alii differentium dignitatum chartis constant, quorum numerus seorsim sic initur: Quoniam uniuscujusque dignitatis folia f biniones recipiunt $\frac{f\,\overline{f-1}}{2}$, & dignitatum numerus est g; idcirco numerus omnium bi-

nionum

nionum, qui folia exhibent iſodynama ſive ejusdem dignitatis, eſt $\frac{fg\,\overline{f-1}}{2}$, quo ſubducto ab univerſis $\frac{fg.\overline{fg-1}}{2}$, relinquitur $\frac{fg\,\overline{fg-f}}{2}$ ∞ $\frac{ffg.\overline{g-1}}{2}$ numerus binionum, qui differentium dignitatum foliis conſtant. Atqui cùm ambo folia ima ſunt iſodynama, utrumvis ſibi eligat colluſor, œconomus ex ludi præſcripto non poteſt non vincere, id quod ipſi valet 1; ſin verò diverſis pollent dignitatibus, uterque æqualem habet ad vincendum & perdendum expectationem, quandoquidem colluſor æquè facilè humilioris ac altioris dignitatis folium eligere poteſt, id quod utrivis valet $\frac{1}{2}$. Sunt igitur œconomo $\frac{fg.\overline{f-1}}{2}$ caſus ad 1, & $\frac{ffg.\overline{g-1}}{2}$ ad $\frac{1}{2}$, quod facit $\frac{fg+f-2}{2fg-2}$, & relinquitur ejus colluſori $\frac{fg-f}{2fg-2}$: hoc verò per Annot. ad lit. I. Prop. XI. part. 1. tantundem eſt, acſi haberet œconomus $fg+f-2$ caſus ad lucrandum, & $fg-f$ caſus ad perdendum; quare conſtat eſſe $p.q::fg+f-2.fg-f$. Et quoniam is præterea retinet pro ludo ſequenti jus œconomi, quoties vincit; eoque excidit quoties perdit, patet etiam hîc eſſe $m \infty p$, & $n \infty q$.

Nota, ſi ſit numerus ſpecierum $f \infty 4$, fit $p.q\,(::m.n)$ $::2g+1.2g-2$; quæ rurſus poſito numero dignitatum $g \infty 9$ reducitur ad $p.q::19.16$. Hinc ſumto, quòd colluſor pro ſingulis luſionibus deponere ſoleat a, debebitur œconomo per præced. Probl. ejusque Coroll. 3. pro primo ludo $\frac{ar}{s} \infty \frac{a.\overline{p-q}}{p+q} \infty \frac{3}{35}a$, pro omnibus ludis $\frac{a.\overline{p-q}}{2q} \infty \frac{3}{32}a$, exceſſu non ſuperante unam centies millioneſimam partem ipſius a in ludis tantùm 7. Si igitur œconomus à ludo ceſſare velit, tertio cuidam prærogativam ſuam vendere poterit pretio $\frac{3}{32}a$; at si ludum continuare, & jus tantùm ſuum in colluſorem transmittere malit, accipiet ab ipſo duplum, nempe $\frac{3}{16}a$.

2. *Si tres ſiunt manipuli*, totidemque unà cum œconomo ſunt colluſores, liquet, duorum quorumvis manipulorum folia infima tot rurſum variationibus obnoxia fore, quot biniones in univerſo chartarum numero continentur, cùm tertius manipulus conſiderari poſſit

acsi abesset, ejusque folia omnia cæteris manipulis adhuc essent permista: quare œconomo tot erunt casus, quibus utrumvis suorum collusorum seorsim superet, aut superetur ab ipso, quot erant in hypothesi duorum tantùm manipulorum; hoc est, manebit, ut antea, $p . q :: fg + f - 2 . fg - f ::$ (in casu $f \infty 4$) $2g + 1 . 2g - 2$. Sed variat ratio m ad n, pro numero collusorum seu manipulorum, quorum quo plures sunt, hoc difficiliùs œconomum munere suo excidere permittunt. Pro tribus manipulis considero, eorum folia ima tot variationes subire posse, quot terniones recipiunt omnia folia $4g$ (sic pono pro fg, concisioris calculi ergò, & quòd præter quaternarium non alius specierum numerus sit in usu) nempe $\frac{4g . 4g - 1 . 4g - 2}{1 . 2 . 3} \infty \frac{32g^3 - 24gg + 4g}{3}$. Horum ternionum nonnulli ex tribus foliis ejusdem dignitatis, alii ex duobus ejusdem cum tertio diversæ dignitatis, alii denique ex trium differentium dignitatum foliis constant: nimirum, cùm cujusq; dignitatis folia 4, terniones admittant 4, biniones 6, & dignitatum numerus sit g, erit numerus omnium ternionum ejusdem dignitatis $4g$, & binionum $6g$, quorum rursus binionum quilibet secum assumere potest quodlibet ex reliquarum $g - 1$ dignitatum foliis $4g - 4$; quod efficit terniones $24gg - 24g$, quorum una medietas $12gg - 12g$ duobus foliis isodynamis tertium altioris, altera medietas tertium inferioris dignitatis folium adjunctum habet; unde subductis $4g$ & $24gg - 24g$ ex universo ternionum numero $\frac{32g^3 - 24gg + 4g}{3}$ remanent terniones $\frac{32g^3 - 96gg + 64g}{3}$, qui omnes trium differentium dignitatum folia exhibent.

Jam autem si tribus manipulorum foliis infimis ejusdem dignitatis esse contigerit, œconomus ex ludi præscripto œconomia excidere nequit, utrumq; sors tulerit: neq; etiam, cum duobus ejusdem, tertium elevatioris dignitatis fuerit adjunctū; at si tertium hoc humilioris fuerit gradus, vel etiam omnia tria folia dignitatis gradu discrepent, œconomus uno casu jus suum amittere (si nempe infimi gradus folium sibi ceciderit,) duobus servare potest, quod ipsi valet $\frac{2}{3}$. Sunt igitur ipsi $4g$ casus ad 1, & rursus $12gg - 12g$ casus ad 1, nec non $12gg - 12g$ ad $\frac{2}{3}$, iterumq;

$32g^3$

$\frac{32g^3 - 96gg + 64g}{3}$ ad $\frac{2}{3}$; id quod facit $\frac{16gg - 3g - 4}{24gg - 18g + 3}$, & relinquuntur ad complendam unitatem $\frac{8gg - 15g + 7}{24gg - 18g + 3}$; quod tantundem est, acsi diceretur habere $16gg - 3g - 4$ casus ad servandam, & $8gg - 15g + 7$ casus ad amittendam œconomiam; adeò ut inventa sit ratio $m.n :: 16gg - 3g - 4. 8gg - 15g + 7$.

Nota, si g determinetur ad 9, erit $p:q \infty 19:16$, & $m:n \infty 253:104$. Unde posito, quòd alter collusorum deposuerit a, & alter b, debebitur œconomo per præced. Probl. ejusque Coroll. $\frac{a.\overline{p-q}.\overline{m+n}}{\overline{p+q}.2n} \infty \frac{153}{1040}a$ respectu prioris, & $\frac{b.\overline{p-q}.\overline{m+n}}{\overline{p+q}.2n} \infty \frac{153}{1040}b$ respectu posterioris collusoris; adeoque respectu utriusq; $\frac{153}{1040}\overline{a+b}$, non excedente una centies millesimâ parte ipsius $a+b$ in ludis undecim. Quapropter œconomus quarto cuidam, qui in locum suum succedere cupiet, privilegium suum vendet pretio $\frac{153}{1040}\overline{a+b}$; alterutri verò collusorum, quicum vices suas permutare volet, putà illi qui deposuit a, pretio $\frac{153}{1040}\overline{2a+b}$; nam deberettur ipsi primo per modo dicta $\frac{153}{1040}\overline{a+b}$, si ludus nunc abrumperetur; ac deinde, si reassumeretur, adhuc $\frac{153}{1040}a$, quandoquidem cedendo alteri œconomiam ludi, se debitorem ejus pro hac summa constituit.

3. *Si quatuor constituuntur manipuli*, totidemque cum œconomo habentur collusores, tot rursum casus præstò sunt, quibus ille unumquemque suorum collusorum seorsim vincat aut vincatur ab ipso, quot erant in duabus præcedd. hypoth. quod idem etiam intellige de quovis manipulorum numero, cùm certè bini ipsorum quivis considerari semper possint, acsi præter ipsos nulli adessent; unde eadem perpetuo manebit ratio $p:q \infty 2g+1 : 2g-2$. Sed alteram rationem $m:n$, quam numerus manipulorum auget, sic exploro: Considero, quòd quatuor manipulorum folia ima, *I.* vel omnia possint esse isodynama sive ejusdem dignitatis: *II.* vel tria ejusdem cum quarto aut altioris, *III.* aut humilioris dignitatis: *IV.* vel duo ejusdem, & reliqua duo pariter ejusdem, sed diversæ ab altera dignitatis: *V.* vel duo ejusdem cum reliquis duobus diversarum dignita-

tum, quarum rursus vel utraque possit esse eminentioris: *VI.* vel utraque ignobilioris: *VII.* vel una eminentioris, altera inferioris gradus: *VIII.* vel omnia deniq; quatuor folia differentium dignitatum.

Horum si Primum, Secundum, Quartum aut Quintum contigerit, œconomus ex ludi præscripto muneris sui jacturam facere nequit: si Tertium, VI, VII, vel VIIIvum acciderit, uno tantùm illud casu amittere (si vid. infimæ dignitatis folium sibi relinquatur) tribus casibus retinere potest; quod ipsi proin dat $\frac{3}{4}$. Sed primum horum evenire deprehendo casibus g; Secundum casibus $8gg - 8g$: Tertium totidem: Quartum $18gg - 18g$: Quintum casibus $16g^3 - 48gg + 32g$: Sextum & Septimum totidem: Ultimum deniq; casibus $\frac{32}{3}g^4 - 64g^3 + \frac{352}{3}gg - 64g$, existente numero omnium casuum, ceu summa quaternionum in foliis universis, $\frac{32}{3}g^4 - 16g^3 + \frac{22}{3}gg - g$; quæ omnia, ut verbis parcam, industrio Lectori probanda relinquo. Quocirca habebit œconomus, g plus $8gg - 8g$ plus $18gg - 18g$ plus $16g^3 - 48gg + 32g$ casus ad 1, & $8gg - 8g$ plus $16g^3 - 48gg + 32g$ plus iterum $16g^3 - 48gg + 32g$ plus $\frac{32}{3}g^4 - 64g^3 + \frac{352}{3}gg - 64g$ casus ad $\frac{3}{4}$; id quod ipsi parit $\frac{24g^3 - 24gg + 3}{32g^3 - 48gg + 22g - 3}$ expectationis ad retinendum munus œconomi; & deest ad complendam unitatem $\frac{8g^3 - 24gg + 22g - 6}{32g^3 - 48gg + 22g - 3}$ pro metu amittendi muneris; sic ut censenda sit ratio $m.n :: 24g^3 - 24gg + 3 . 8g^3 - 24gg + 22g - 6$.

Nota, quòd si g determinetur ad 9. fiet $p.q :: 19.16$, & $m.n :: 15555.4080 :: 61.16$. Sumto itaque, quòd unus collusorum deposuerit a, alter b & tertius c, debebitur œconomo per præc. Probl. ejusque Coroll. $\frac{\overline{p-q}.\overline{m+n}}{\overline{p+q}.2n}\overline{a+b+c} \infty \frac{33}{160}\overline{a+b+c}$, non una decies millesima parte ipsius $a+b+c$ minus in solis 15 ludis. Quocirca si quinto cuidam locum suum cedere velit œconomus, ipse à ludo cessaturus, venundabit illi privilegium œconomi pretio $\frac{33}{160}\overline{a+b+c}$; at si, continuaturus ludum, cum collusorum quodam

quodam ſortem ſuam commutare cupiat, accipiet ab ipſo vel $\frac{33}{160}\overline{2a+b+c}$, vel $\frac{33}{160}\overline{a+2b+c}$, vel $\frac{33}{160}\overline{a+b+2c}$, prout is depoſuerit vel a, vel b, vel c.

Atque haud abſimiliter determinari poterit valor prærogativæ œconomi, si plures ponantur manipuli & colluſores.

PROBLEMA XXI.

De Ludo Baſſetæ (de la Baſſette.)

Celebratiſſimus eſt hic ludus ob innumeras turbas & tragœdias, quas hinc inde, in Italia præſertim & Gallia, olim excitavit, ob quas etiam ex iſtis regionibus non multò poſt proſcriptus & ſub gravi pœna prohibitus fuit. Eo tempore, quo exercitium illius in aula Regis Galliarum maximè florebat, D. Salvator (*Sauveur*) Mathematicus Gallus & Seren. tum Delphini Præceptor expectationes ludentium calculo ſubjecit, brevique Tabularum quarundam ſynopsi comprehenſas in Pariſienſi Erudit. Diario m. Febr. 1679 in lucem edidit; è quo Diario nos de natura & conſtitutione hujus ludi ea recenſebimus, quæ ad examinandas Tabulas & eruendum quem Auctor ſuppreſſit calculum ſcitu neceſſaria videbuntur.

Poſtquam is, qui œconomi fungitur munere, completum chartarum luſoriarum ſyſtema prehendit & miſcuit, ſinguli colluſorum ante ſe in menſa exponunt folium cujuslibet dignitatis aliunde depromtum unà cum arbitraria pecuniæ ſumma. Tum verò œconomus ſyſtemate ſuo, ut imum ejus folium pateat, inverſo, factoq; ab eodem initio bina ſubinde folia ſucceſſivè & ordine ad finem uſque ſyſtematis tollit; quod dum exequitur, cujusvis foliorum paris ſeu bigæ folium anterius ſive præcedens in œconomi, poſterius & ſequens in colluſoris commodum cedere cenſetur, ita nimirum, ut si anterius Regis verbi gratia imaginem habeat, œconomus auferat quicquid Regibus appoſitum eſt; si vero poſterius, colluſoribus viciſſim pendere tantundem teneatur, quantum illi Regibus appoſuêre. Et

re. Et hactenus quidem nullus præ altero quicquam prærogativæ habet: sed sequentes præterea leges notandæ:

1. Si ambo folia sunt isodynama & ejusdem cum exposito dignitatis (quod *doublets* appellant, nos *gemella* vocabimus) quo casu lucri & damni deberet fieri compensatio, solus tamen lucratur œconomus, aufertque quod dignitatis illius foliis appositum est.

2. Cuilibet collusorum etiam in medio ludi integrum est, de novo quodlibet folium pretio mercari; quo pacto fieri potest, ut in chartis residuis vel unum tantum, vel 2, 3, aut omnia 4 illius dignitatis folia supersint; quod sortem ipsius notabiliter variat. Sed observandum, quòd biga illa, cujus alterutrum conspexerit folium, nullius censetur valoris ratione dignitatis quam mercatus est; & quidem, si posterius folium bigæ ejusmodi hâc dignitate vestitum comparet, non tantum ceu *præcox* (*trop jeune*) nihil acquirit collusori, sed & ludo finem imponit alterius folii optione redauspicando: sin autem dignitas illa prodeat in proximo folio bigæ sequentis, *valoris* saltem est *imminuti* (*c'est une face*) œconomoque non nisi bessem seu duos trientes depositi lucratur.

3. Anterius quoque folium primæ bigæ, cùm suspicio esse possit illud visum œconomo, valoris semper est imminuti, eumque non nisi ex besse victorem reddere potest.

4. Cùm unico folio ejus dignitatis, pro qua decertatur, superstite, foliis gemellis, in quibus prærogativa œconomi consistit, non possit esse locus, statutum est in favorem œconomi, ut postrema omnium charta, quæ alias collusori prodesse deberet, pro nulla haberetur.

Quibus ita præmissis, pergo exponere methodum, qua expectationes œconomi quàm promtissimè determinantur: Posito numero bigarum residuarum n, adeoq; numero foliorum $2n$, & collusoris deposito 1, ante omnia considero, quòd in unaquaq; biga vel neutrum, vel alterutrum, vel utrumq; folium possit esse expositæ dignitatis: si neutrum, liquet per hanc bigam nihil nec acquiri nec perdi œconomo: si alterutrum, constat, eadem facilitate utrumvis esse posse (cùm excipiendis reliquo aut reliquis illius dignitatis foliis eadem in

bigis

bigis ſequentibus loca pateant:) ac totidem proinde caſus eſſe, quibus vincat œconomus ſive acquirat + 1, & quibus perdat ſive obtineat − 1: qui propterea quia ſe mutuò deſtruunt, magno quoque compendio inſuper haberi poſſunt. Soli ergo reſtant expendendi caſus, quibus contingere poteſt, ut folia alicujus bigæ ſint gemella, id eſt, ut ambo ſint illius dignitatis.

I. Equidem ſi unicum ejus dignitatis folium ſuperſit, quo caſu folia gemella eſſe non poſſunt, liquido patet, ratione cujusvis bigæ ſeorſim, si ultimam excipias, nullam eſſe poſſe prærogativam œconomi (vid. *Tab.* 5.). Quoniam tamen poſtrema charta, quæ colluſori prodeſſe poſſet, per leg. 4. pro nulla habetur, fit ut ratione omnium ſemper uno caſu amplius lucrari, quàm perdere poſſit œconomus; quod propter numerum foliorum $2n$ ceu totidem caſuum, quibus expoſitæ dignitatis folium ſubeſt, prærogativam œconomi in bigis univerſis facit $\frac{1}{2n}$ (*Tab.* 1.). Rurſus autem, si proxima biga ſit valoris imminuti pro œconomo, ex univerſis $2n$ caſibus unus eſt, qui ipſum triente depoſiti privat, per leg. 3. quod decrementum prærogativæ ejus efficit $\frac{1:3}{2n} \infty \frac{1}{6n}$ (*Tab.* 2.). Hoc igitur ablato tum ex $\frac{1}{2n}$, tum ex 0, relinquitur $\frac{1}{3n}$ & $-\frac{1}{6n}$, pro reſiduo lucro œconomi ratione universi ludi, aut damno ejus ratione ſolius bigæ quæ imminuti eſt valoris. (*Tab.* 3 & 6.).

II. Si duo expoſitæ dignitatis folia reſtent, tot illa variationibus ceu caſibus obnoxia ſunt, quot biniones in foliis $2n$ continentur, nempe $\frac{2n.\overline{2n-1}}{2}$. Horum in ſingulis bigis unus, adeoque in univerſis n bigis, n caſus exiſtunt, qui foliis gemellis œconomo victoriam procurare poſſunt; unde in ſingulis lucrum illius efficitur $\frac{1}{2n.\overline{2n-1}:2} \infty \frac{1}{2nn-n}$ (*Tab.* 5.), in univerſis $\frac{n}{2n.\overline{2n-1}:2} \infty \frac{1}{2n-1}$ (*Tab.* 1.). Quòd si alterutrum dignitatis illius folium primo ſtatim loco primæ bigæ prodeat, adeoque valoris ſit imminuti per leg. 3, alterum folium ad unumquemque ex reliquis $2n-1$ locis

locis indifferenter se habendo, totidem casus præbet, quibus lucrum œconomi triente minuitur, cujus proinde decrementum æstimatur $\frac{2n-1.\,1:3}{2n.2n-1:2} \infty \frac{1}{3n}$ (*Tab.* 2.). Hoc ergo detracto tum ex $\frac{1}{2n-1}$, tum ex $\frac{1}{2nn-n}$, remanet pro lucro residuo in ludo universo $\frac{n+1}{6nn-3n}$ (*Tab.* 3.) & pro damno in sola prima biga $\frac{-2n+4}{6nn-3n}$ (*Tab.* 6.).

III. Si tria optatæ dignitatis folia supersint, tot casuum varietates inducunt, quot terniones in foliis $2n$ locum habent, videl. $\frac{2n.2n-1.2n-2}{1.2.3} \infty \frac{2n.2n-1.2n-2}{6}$ Ex horum numero foliorum gemellorum casus elicio, considerando quòd, positis alicujus bigæ foliis ambobus laudatæ dignitatis, tertium iis suppar folium unumquemque ex reliquis $2n-2$ locis occupare possit, eoq; tot casus pro illa biga suppeditet: unde, cùm sumtis successivè pro n numero bigarum, 1, 2, 3, 4 &c. numeri horum casuum fiant 0, 2, 4, 6 &c. erunt foliorum gemellorum casus in omnibus n bigis, $0+2+4+6+$ &c. usque ad $2n-2 \infty$ (propter progress. arithm.) $n.n-1$. Quare lucrum œconomi in qualibet biga separatim valet $\frac{2n-2}{2n.2n-1.2n-2:6} \infty \frac{3}{2nn-n}$ (*Tab.* 5.), in omnibus conjunctim $\frac{n.n-1}{2n.2n-1.2n-2:6} \infty \frac{3}{4n-2}$ (*Tab.* 1.). Quòd si unum horum trium foliorum primo statim loco exeat, eoque sit valoris imminuti per leg. 3. reliqua duo toties locari possunt diversimodè, quot biniones cætera $2n-1$ folia recipiunt, adeoque $\frac{2n-1.2n-2}{2}$ casus suppeditant, quibus lucrum œconomi triente mulctatur; cujus proin detrimentum fit $\frac{2n-1.2n-2.\,1:6}{2n.2n-1.2n-2:6} \infty \frac{1}{2n}$ (*Tab.* 2.). Hoc igitur ablato partim ex $\frac{3}{4n-2}$, partim ex $\frac{3}{2nn-n}$, relinquitur illic $\frac{n+1}{4nn-2n}$ (*Tab.* 3.) pro lucro residuo in bigis universis: isthic $\frac{-2n+7}{4nn-2n}$ (*Tab.* 6.) pro damno in prima separatim.

IV. Si

IV. Si omnia 4 expositæ dignitatis folia chartis residuis adhuc immersa lateant, tot casus in universum suggerunt, quot qua-

Tabellæ:

Numerus foliorum expositæ dignitatis in chartis residuis:

	I.	II.	III.	IV.
1. *Lucrum œconomi in bigis residuis, cùm omnes sunt valoris integri:*				
	$\frac{1}{2n}$	$\frac{1}{2n-1}$	$\frac{3}{4n-2}$	$\frac{4n-5}{4nn-8n+3}$
2. *Si prima est valoris imminuti, fit decrementum lucri:*				
	$\frac{1}{6n}$	$\frac{1}{3n}$	$\frac{1}{2n}$	$\frac{2}{3n}$
3. *Residuum lucri in bigis, quarum prima est valoris imminuti:*				
	$\frac{1}{3n}$	$\frac{n+1}{6nn-3n}$	$\frac{n+1}{4nn-2n}$	$\frac{4nn+n-6}{12n^3-24nn+9n}$
4. *Lucrum œconomi in bigis residuis, initio facto ab illa quæ nulla est:*				
	$\frac{2}{6n-3}$	$\frac{n}{6nn-9n+3}$	$\frac{nn-2n}{4n^3-12nn+11n-3}$	$\frac{4nn-7n-3}{12n^3-36nn+33n-9}$
5. *Lucrum œconomi in qualibet biga valoris integri, citra respectum ad bigas sequentes:*				
	0	$\frac{1}{2nn-n}$	$\frac{3}{2nn-n}$	$\frac{6}{2nn-n}$
6. *Damnum œconomi in biga valoris imminuti, citra respectum ad lucrum, quod habet in sequentibus:*				
	$-\frac{1}{6n}$	$\frac{-2n+4}{6nn-3n}$	$\frac{-2n+7}{4nn-2n}$	$\frac{-4n+20}{6nn-3n}$.

terniones in chartis $2n$ continentur, nempe $\frac{2n.2n-1.2n-2.2n-3}{1.2.3.4}$

$\infty \frac{2n.2n-1.2n-2.2n-3}{24}$. Et si duo illorum in eadem biga se se gemello amplexu excipiunt, reliqua duo toties ordinem variare possunt in cæteris $2n-2$ chartis, quot hæ biniones admittunt; un-

 de pro

de pro illa biga foliorum gemellorum casus $\frac{2n-2.2n-3}{2}$ emergunt. Et quoniam sumtis successivè pro n numero bigarum 1, 2, 3, 4, 5, &c. numeri casuum evadunt 0, 1, 6, 15, 28 &c. hinc gemellorum casus in omnibus n bigis collectivè accepti erunt $0+1+6+15+28+$ &c. usque ad $\frac{2n-2.2n-3}{2}$, de cujus seriei summa nunc dispiciendum. Video autem, hanc variis modis elici posse:

1. *Mod*. Quia termini seriei secundas suas differentias æquales habent, erunt figuratorum analogi, quorum summa quo pacto inveniri possit, supra part. 2. in fin. cap. 3. ostensum.

2. *Mod*. Quoniam iidem etiam ex ipsa Trigonalium serie per saltum sunt excerpti, resolvatur Trigonalium series A à gemina cyphra incipiens in duas alias B & C, quarum illa nostra sit, & imparium: hæc parium locorum terminos complectatur. Resolvatur itidem series C in duas B & D; sic erit $A \infty B+C \infty B+B+D \infty 2B+D$, adeoque $A-D \infty 2B$, & $B \infty \frac{1}{2}A - \frac{1}{2}D$; & quia numerus terminorum seriei B (ut & C & D) per hypoth. est n, numerus termin. seriei A erit $2n$, ipsaque series A (per cap. 3. part. 2.) $\infty \frac{2n.2n-1.2n-2}{1.2.3}$, series verò D (ob arithm. progr.) $\infty n.n-1$. Quare series proposita B $(\frac{1}{2}A-\frac{1}{2}D) \infty \frac{n.2n-1.2n-2}{1.2.3} - \frac{n.n-1}{2} \infty \frac{4n^3-9nn+5n}{6}$.

A	B	C	D
0	0	0	0
0	1	3	2
1	6	10	4
3	15	21	6
6	28	36	8
10			
15			
21			
28			
36			

3. *Mod*. Terminus seriei B indefinite sumtus per hypoth. est $\frac{2n-2.2n-3}{2} \infty \frac{4nn-4n}{2} - 3n+3 \infty \frac{n.n-1}{2}4 - \frac{n-1}{1}3$; tota ergo series B æquatur quadruplo omnium $\frac{n.n-1}{2}$, minùs triplo omnium $n-1$: sed novimus ex cap. 3. part. 2. $\frac{n.n-1}{2}$ esse numerum trigonalem, & $n-1$ lateralem; atque omn. $\frac{n.n-1}{2} \infty \frac{n+1}{1.2}$.

$\frac{n+1.n.n-1}{1.2.3}$, & omn. $n-1 \infty \frac{n.n-1}{2}$; quare fit feries B ∞ $\frac{4.n+1.n.n-1}{1.2.3} - \frac{3.n.n-1}{2} \infty \frac{4n^3 - 9nn + 5n}{6}$, ut antea.

Cùm itaque oftenfum fit, foliorum gemellorum cafus in fingulis bigis effe $\frac{2n-2.2n-3}{2}$, in univerfis $\frac{4n^3-9nn+5n}{6}$; concludimus, lucrum œconomi fpectatum in qualibet biga feorfim valere $\frac{2n-2.2n-3:2}{2n.2n-1.2n-2.2n-3:24} \infty \frac{6}{2nn-n}$ (*Tab.* 5.): in omnibus conjunctim $\frac{4n^3-9nn+5n:6}{2n.2n-1.2n-2.2n-3:24} \infty$ (divid. per $n.n-1:6$ feu $\frac{nn-n}{6}$) $\frac{4n-5}{2n-1.2n-3} \infty \frac{4n-5}{4nn-8n+3}$ (*Tab.* 1.). Porrò si unum 4 foliorum expofitæ dignitatis in prima ftatim biga primo loco prodierit, valoris adeò exiftens imminuti per leg. 3. reliqua tria toties ordinem variare poffunt, quot terniones refidua $2n-1$ folia admittunt; unde nafcuntur $\frac{2n-1.2n-2.2n-3}{1.2.3}$ cafus, quibus lucrum œconomi triente mulctandum eft; cujus propterea decrementum cenfetur $\frac{2n-1.2n-2.2n-3.\ 1:18}{2n.2n-1.2n-2.2n-3:24} \infty \frac{2}{3n}$ (*Tab.* 2.). Hoc igitur detracto ex inventis tum $\frac{4n-5}{4nn-8n+3}$, tum $\frac{6}{2nn-n}$, remanet ex una parte $\frac{4nn+n-6}{12n^3-24nn+9n}$ (*Tab.* 3.) pro lucro refiduo in bigis univerfis, ex altera $\frac{-4n+20}{6nn-3n}$ (*Tab.* 6.) pro damno ejus in prima feparatim.

Atque ita fex Tabularum, quas dedit Auctor Gallus, quinque jam complevimus; fupereft unica reftituenda, nempe 4ta, quæ lucrum œconomi continet in bigis refiduis, quando prima earum ob confpectum anterius ejus folium nulla eft. Hæc verò ex iis, quæ IV. præcedd. articulis jam præmonftrata funt, facillimè concinnabitur; modò ad hæc duo attendatur:

1. Quòd bigæ, cujus anterius folium confpectum fuerit, pofterius aut erit expofitæ dignitatis, aut non erit: fi erit, nihil œconomo vel nocet vel prodeft, fed velut præcox ludo prorfus finem

imponit per leg. 2, ſi non erit, idem præcisè caſuum numerus ſupereſt œconomo ad obtinendum depoſitum, ſeu ex aſſe ſeu ex beſſe, qui præſtò eſſet, ſi biga illa quæ nulla eſt planè abeſſet; hac ſola cum differentia, quòd numerus bigarum reſiduarum, qui alias diceretur n, ob alteram quæ nulla eſt una computatam nunc eſt tantùm $n - 1$.

2. Quòd viſo primo folio primæ bigæ, ſuperſunt tantùm $2n - 1$ folia non viſa, adeò ut numerus omnium omninò caſuum ex multitudine combinationum non omnium $2n$, ſed tantùm $2n - 1$ foliorum æſtimari debeat. His enim perpenſis facilè perſpicitur ratio ſequentis operationis:

Exſcribantur ex præcedd. IV. §. fractiones Tabulæ primæ & $2^{dæ}$, ſed quales erant ante reductionem, ita:

1. *Lucrum œconomi in bigis reſiduis, cùm omnes ſunt valoris integri:*

$$\frac{1}{2n}.\ \frac{n}{2n.2n-1:2}.\ \frac{n.n-1}{2n.2n-1.2n.-2:6}.\ \frac{4n^3-9nn+5n:6}{2n.2n-1.2n-2.2n-3:24}.$$

2. *Decrementum lucri, cùm prima eſt valoris imminuti:*

$$\frac{1:3}{2n}.\ \frac{2n-1:3}{2n.2n-1:2}.\ \frac{2n-1.2n-2:6}{2n.2n-1.2n-2:6}.\ \frac{2n-1.2n-2.2n-3:18}{2n.2n-1.2n-2:2n-3:24}.$$

Jam ſingulæ hæ fractiones mutentur in alias, ſurrogando tantùm ubique loco n in numeratoribus $n - 1$ & loco $2n$ in denominatoribus $2n - 1$; ut fiat

1. *Lucrum œconomi &c.*

$$\frac{1}{2n-1}.\ \frac{n-1}{2n-1.2n-2:2}.\ \frac{n-1.n-2}{2n-1.2n-2.2n-3:6}.\ \frac{4n^3-21nn+35n-18:6}{2n-1.2n-2.2n-3.2n-4:24}.$$

2. *Decrementum lucri &c.*

$$\frac{1:3}{2n-1}.\ \frac{2n-3:3}{2n-1.2n-2:2}.\ \frac{2n-3.2n-4:6}{2n-1.2n-2.2n-3:6}.\ \frac{2n-3.2n-4.2n-5:18}{2n-1.2n-2.2n-3.2n-4:24}.$$

Decrementis enim his reſpectivè ex lucro detractis, relinquuntur pro Tabula $4^{tâ}$ fractiones:

$$\frac{2:3}{2n-1}.\ \frac{n:3}{2n-1.2n-2:2}.\ \frac{n.n-2:3}{2n-1.2n-2.2n-3:6}.\ \frac{4n^3-15nn+11n+6:18}{2n-1.2n-2.2n-3.2n-4:24}.$$

ſeu facta reductione:

$$\frac{2}{6n-}.$$

$\frac{2}{6n-3}$. $\frac{n}{6nn-9n+3}$. $\frac{nn-2n}{4n^3-12nn+11n-3}$. $\frac{4nn-7n-3}{12n^3-36nn+33n-9}$.

Et ſic quartam quoque Tabulam adornavimus. Quòd si quis D.ni Salvatoris Tabellas cum hiſce noſtris contulerit, deprehendet illas in quibusdam locis, præſertim ultimis, nonnihil emendationis indigere. Quæ vero ibidem obſervata adjiciuntur de proportione augmenti vel decrementi prærogativæ œconomi, prout numerus foliorum augetur minuiturve, de his & aliis dicere nil attinet, cùm ex inſpectione Tabularum cuivis ultrò manifeſta ſint.

PROBLEMA XXII.

Eſt Aleæ quoddam genus, in qua numerus omnium caſuum eſt a, *numerus quorundam ex iis* b, *cæterorum* a − b ∞ c. *Titius ſingulos aleæ jactus ſingulis nummis redimit Cajo perſolvendis; tum quoties unum* b *caſuum jecerit, à Cajo viciſſim accipiet* m *nummos, at quoties jecerit unum ex* c *caſibus, nihil habebit: tamen ſi unum* c *caſuum jecerit continuis* n *vicibus, Cajus ipſi omnes ſuos* n *nummos reddere obſtrictus eſt. Quæruntur ſortes Titii & Caji?*

Problema hoc in ſpeciem ſatis impeditum nihil admodum difficile habet, si dextrè tractetur. Incipio à fine, ponendo Titium jam decoxiſſe $n-1$ nummos, hoc eſt, jam $n-1$ vicibus jeciſſe unum c caſuum, & nunc in procinctu eſſe inſtituendi n jactum. Itaque vel unus b caſuum ipsi eveniet, vel rurſus unus c caſuum: si prius, à Cajo accipiet m nummos, qualium ipſe jam Cajo n perſolvit

ſolvit; ſic ut ipsi remaneat lucrum $m-n$ nummorum: si poſterius, recuperabit ex pacto omnes ſuos n nummos, nihilque adeò vel lucri vel damni faciet; unde lucrum ejus cenſebitur $\frac{b.\overline{m-n}+c.0}{a}$ ∞ $\frac{\overline{m-n}.b}{a}$.

Pono deinde, ipſum luſiſſe $n-2$ vicibus, totiesque jeciſſe unum c caſuum, & nunc aggredi $n-1$ jactum: conſequetur à Cajo (si unum b caſuum jecerit) m nummos, qualium illi jam $n-1$ erogavit; adeoque pro lucro ſuo retinebit $m-n+1$: ſin denuò jecerit unum c caſuum, perveniet in eum ſtatum, qui in præced. hypoth. obtinebat, habebitque $\frac{\overline{m-n}.b}{a}$; quare jam ſors ejus ſit, $\frac{b.\overline{m-n+1}+c.\overline{m-n}.b:a}{a}$ ∞ $\frac{\overline{m-n+1}\,ab+\overline{m-n}\,cb}{aa}$.

Fingo porrò, jeciſſe $n-3$ vicibus unum c caſuum, & nunc ſe accingere ad jactum $n-2$; fiet, ut vel lucrum acquirat $m-n+2$ nummorum, qui ſibi, detractis quos Cajo ſucceſſivè numeravit $n-2$ nummis, remanent; ſi nempe unum b caſuum jecerit: vel ut pertingat in ſtatum præcedentis hypoth. si pergat jacere unum c caſuum; unde jam ſors ejus reſultat $\frac{b.\overline{m-n+2}+c.\,\text{præc.}}{a}$ ∞ $\frac{\overline{m-n+2}\,aab+\overline{m-n+1}\,acb+\overline{m-n}\,ccb}{a^3}$.

Suppono rurſus, jeciſſe $n-4$ vicibus unum c caſuum, & jamjam defuncturum $n-3$ jactu: perinde liquet, ac antea, eum habere b caſus ad obtinendum lucrum $m-n+3$ nummorum, qui ſibi, ablatis quos Cajo jam pendit $n-3$ nummis, relinquuntur; & c caſus ad perveniendum in ſtatum præced. id quod ſortem ipsi nunc parit $\frac{b.\overline{m-n+3}+c.\,\text{præc.}}{a}$ ∞

$$\frac{\overline{m-n+3}\,a^3b+\overline{m-n+2}\,aacb+\overline{m-n+1}\,accb+\overline{m-n}\,c^3b}{a^4}.$$

Atque ſic porrò retrogredi conveniret, ponendo Titium $n-5$, $n-6$ &c. jactus inſtituiſſe, ſi opus eſſet pergere ulterius; id verò non eſt neceſſe, cùm ex allatis ratio progreſſionis jam ſatis pateſcat: colli-

colligimus enim facilè, quòd sors quam ab initio ludi habet, priusquam jacere inchoat, futura sit:

$$\frac{\overline{m-1}a^{n-1}b+\overline{m-2}a^{n-2}cb+\overline{m-3}a^{n-3}ccb+\overline{m-4}a^{n-4}c3b+}{a^n}$$

$$\overline{m-5}a^{n-5}c4b\ldots\ldots+\overline{m-n}c^{n-1}b \infty$$

(factâ separatione terminorum diversis signis affectorum)

$$+mb \text{ in } \overline{\frac{1}{a}+\frac{c}{aa}+\frac{cc}{a3}+\frac{c3}{a4}+\frac{c4}{a5}\ldots\ldots+\frac{c^{n-1}}{a^n}}$$


$$-b \text{ in } \overline{\frac{1}{a}+\frac{2c}{aa}+\frac{3cc}{a3}+\frac{4c3}{a4}+\frac{5c4}{a5}\ldots\ldots+\frac{nc^{n-1}}{a^n}}$$

quam quantitatem liquet duabus constare partibus, priore affirmata, posteriore negata, quarumque illa in serie geometricè progressionalium, hæc in serie ex geometricè & arithmeticè progressionalibus mixta consistit: Utriusque summa per notas regulas habetur: illius $\frac{m.\overline{a^n-c^n}}{a^n}$, hujus $\frac{a^n-c^n}{a^{n-1}b}-\frac{nc^n}{a^n}$; quarum proinde differentia quæsitum exprimit, lucrum vid. respectu Titii, & damnum respectu Caji, si pars affirmata præpolleat negatæ; damnum verò ex parte Titii & lucrum ex parte Caji, si hæc prævaleat illi.

Unde jam porrò sequitur, quòd si ponatur æqualitas inter utramque, determinari possit, quis valor statui debeat literæ m vel n, ut sortes Caji & Titii æquentur: Facta enim æquatione $\frac{m.\overline{a^n-c^n}}{a^n} \infty \frac{a^n-c^n}{a^{n-1}b}-\frac{nc^n}{a^n}$, instituatur divisio per $\frac{a^n-c^n}{a^n}$, & prodibit $m \infty \frac{a}{b}-\frac{nc^n}{a^n-c^n}$. Si verò data m, quæratur n: ordinetur æquatio ita,

 $\frac{nc^n}{a^n-c^n}$

$\frac{nc^n}{a^n - c^n} \infty \frac{a}{b} - m$, ac fiat $a^n - c^n . c^n :: n . \frac{a}{b} - m :: bn . a - bm$, & componendo $a^n . c^n :: a - bm + an . a - bm$; eruntque aggregata ex logarithmis extremorum & mediorum æqualia, nimirum $nla + l\overline{a - bm} \infty nlc + l\overline{a - bm + bn}$, h. e. $nla - nlc \infty l\overline{a - bm + bn} - l\overline{a - bm}$, & $n \infty \frac{l\overline{a - bm + bn} - l\overline{a - bm}}{la - lc}$, seu (posito $b \infty 1$) $n \infty \frac{l\overline{a - m + n} - l\overline{a - m}}{la - lc}$; quod per Logarithmicam ita facilè construo:



In quacunque Logarithmica F A D E secetur applicata quælibet A C in B, ut A B sit ad B C in ratione b ad c, sumtaque A B loco unitatis, in eadem A C abscindatur A M ∞ m, per B & M agantur rectæ B D, M E parallelæ axi C G, & occurrentes curvæ in D & E; junctæque A D ducatur parallela E F secans curvam in F, ac denique ex F demittatur applicata F N occurrens productæ E M in N; erit F N valor optati numeri n.

Proponatur in exemplum hæc Alea: Titius duabus tesseris duos senarios jacere contendit, nummoque in jactum persoluto postulat à Cajo, ut sibi vicissim sex nummi numerentur, si id præstiterit; si secus faxit, nihil; attamen si vicies continuò scopo aberrarit, ut sibi omnes sui 20 nummi restituantur. Hic propter 36 casus duarum tesserarum, interque hos unicum qui duos senarios advehat, litera-

rum

rum valor est, $a \infty 36$, $b \infty 1$, adeoque $c \infty 35$; nec non $m \infty 6$, & $n \infty 20$. Nunc autem per logarithmos compendiosè invenitur vicesima potestas ipsius $\frac{c}{a}$, seu $\frac{c^n}{a^n} \infty \frac{5693}{10000}$; proinde $\frac{m.a^n - c^n}{a^n}$ $\infty m.\overline{1 - \frac{c^n}{a^n}} \infty 6.\frac{4307}{10000} \infty \frac{25842}{10000}$; & pari modo altera pars $\frac{a^n - c^n}{a^{n-1}b}$ $- \frac{nc^n}{a^n} \infty \frac{a}{b} - \frac{a}{b} - n\frac{c^n}{a^n} \infty 36 - \frac{56.5693}{10000} \infty 36 - \frac{318808}{10000} \infty \frac{41192}{10000}$; quæ cùm priorem excedat tota quantitate $\frac{15350}{10000} \infty \frac{307}{200}$, paulò adhuc majore quàm $\frac{3}{2}$, innuit, Titium non sine detrimento hanc aleam subire posse, & satius facturum si exemptionem statim à ludendi necessitate vel sesquinummo redimat. Quòd si tamen vel m augeretur, vel minueretur n, posset alea sic attemperari, ut neuter præ altero quicquam prærogativæ haberet; nam si retento $n \infty 20$ fiat $m \infty 9\frac{2429}{4307}$, aut manente $m \infty 6$ statuatur $n \infty 11$ aut 12, utriusque sors propemodùm ad æqualitatem redacta erit.

Observo generaliter in hujusmodi alea sequentia:

1. Quòd si datis a, b, c & m, litera n successivè induit valores numerorum 1, 2, 3, 4 &c. lucrum Titii (utpote cujus sors in casu $n \infty 1$ semper est potior sorte Caji) aliquousque ubinde crescit.

2. Quòd ejus conditio optima sit, cùm ponitur $n \infty m - 1$ vel m; & quidem perpetuò eadem in utraque hypothesi.

3. Quòd crescente n ulterius, decrescat illa porrò continuò in infinitum, usque eò ut & lucrum sæpè in damnum abeat, prævalente deinceps sorte Caji.

4. Quòd lucrum vel damnum obtinens in hypothesi numeri n valdè magni & velut infiniti, ad illud quod obtinet respectu unici jactus (rejecta illa postrema conditione de restituendis Titio suis nummis, si continuis n jactibus nullus b casuum evenerit), rationem semper habet, ut a ad b, majoris ad minus; nimirum cùm istud per Cor. 6. Prop. III. part. 1. fiat $\frac{b.\overline{m-1} + c.\overline{-1}}{a} \infty \frac{bm - b - c}{a} \infty \frac{bm - a}{a}$,

 erit

erit illud $\frac{bm-a}{b}$; & quidem utrumque ſimul vel lucrum ratione Titii & damnum ratione Caji, vel viciſſim, prout bm majus minusve ponitur ipſo a.

PROBLEMA XXIII.

De Alea Teſſerarum cæcarum (blinde Würffel.)

Sic vocant ſex illas Teſſeras, circulatoribus plerunque noſtris ſolennes, quæ cùm ſint cubiformes ut ordinariæ, exoculatæ tamen velut apparent, & ſingulæ in una duntaxat hedra punctis notatæ, una ſcil. unico, alia duobus, tertia tribus, uſque ad ſextam, quæ unam hedrarum ſex punctis ſignatam habet; ſic ut univerſis non niſi $1+2+3+4+5+6 \propto 21$ puncta inveniantur. Ejusmodi Teſſeras impoſtores emuncturi plebeculam in foro exponunt una cum præmiis ſecundùm omnes punctorum numeros ab 1 uſque ad 21, quanta circiter ſubjunctæ Tabulæ inſerta videntur. Tum qui fortunam ſuam periclitari voluerit, nummo circulatori perſoluto teſſeras iſtas in alveum projicit, & si quem punctorum jecerit numerum, huic aſſignatum præmium aufert; ſi verò nullum ſibi punctum ceciderit, nummi ſui jacturam facit.

His poſitis, qui ſortem horum Aleatorum inveſtigare cupit, notare debet ſequentia:

1. Quòd numerus omnium caſuum in ſex ejusmodi teſſeris, non ſecus atque in teſſeris ordinariis, per ea quæ part. 1. poſt Propoſ. IX. oſtenſa ſunt, ſit 46656, quanta nim. eſt ſexta poteſtas ſenarii.

2. Quòd numerus eorum caſuum, qui nullum omnino punctum advehunt, determinetur per ſextam poteſtatem quinarii, quæ eſt 1562 ; quoniam in quavis teſſera quinque ſunt hedræ punctis orbatæ, quarum quælibet cum qualibet quinque hedrarum alterius teſſeræ combinari, & harum combinationum quælibet rurſus cuili-

bet 5

bet 5 hedrarum tertiæ adjungi poteſt; ita ut præcedentium caſuum numerus acceſſione novæ teſſeræ ſemper quintuplicetur.

3. Quòd quivis punctorum numerus vel ab una, vel à duabus pluribusve teſſeris efficiatur: ſi ab una efficitur, in cæteris quinque teſſeris nullum comparebit punctum; quare cùm ſingularum etiam quinque ſint hedræ punctis deſtitutæ, numerus caſuum, quibus id accidit, deſignabitur per 3125 quintam poteſtatem quinarii: si numerus punctorum à duabus producitur teſſeris, in cæteris quatuor nulla eminebunt puncta; unde nunc propter eandem rationem numerus caſuum, quibus id fit, erit 625 quarta poteſtas quinarii. Et pariter, ſi à tribus, 4 aut 5 teſſeris conſtituitur, in cæteris tribus, duabus aut una teſſeris puncta deficient; unde tum numeri caſuum erunt 125, 25, aut 5, id eſt, 3tia, 2da aut prima poteſtas quinarii.

4. Quòd idem punctorum numerus non tantùm à pluribus & paucioribus plerunque teſſeris, ſed & ab eodem teſſerarum numero pluribus quandoque modis produci poteſt: ſic puncta XII tribus modis produci poſſunt à tribus, & duobus modis à 4 teſſeris; nam trium teſſerarum puncta poterunt eſſe vel 1, 5, 6; vel 2, 4, 6; vel 3, 4, 5; & quatuor teſſerarum puncta vel 1, 2, 3, 6; vel 1, 2, 4, 5.

Ut verò nulli modorum prætereantur, quibus componi poſſunt punctorum numeri, eadem ferè, quam ſupra in Probl. XVII. adhibuimus, methodo utemur. Scriptis ordine punctorum numeris ab I uſque ad XXI, ſumo omnes combinationes ſex primarum notarum numeralium tum ſingularum 1, 2, 3, 4, 5, 6; tum binarum 1+2, 1+3, 1+4, &c. item 2+3, 2+4, &c. 3+4, &c. &c. tum ternarum 1+2+3, 1+2+4, &c. quaternarum, quinarum, & tandem ſenarum 1+2+3+4+5+6, ponendo confeſtim ſingulas ad latus ejus numeri, quem ſumma combinatarum notarum efficit: ſic quia biniones 1+2, 1+3, 1+4 &c. efficiunt 3, 4, 5 &c. ſcribo illos ad latus punctorum III, IV, V &c. atque ita in cæteris omnibus. Hoc peracto caſuum numeros, qui ſingulis punctorum numeris reſpondent, facillimè determino, numerando ſolummodo pro unoquoque modorum, quo illi producuntur ab una teſſera 3125; pro unoquoq; quo producuntur à teſſeris duabus, 625;

Tabula Tesserarum cæcarum:

Puncta:		Casus:	Præmia:
0	—	15625	0
I	∞1	3125	1
II	∞2	3125	1
III	∞3 ∞1+2	3750	1
IV	∞4 ∞1+3	3750	1
V	∞5 ∞1+4 ∞2+3	4375	1
VI	∞6 ∞1+5 ∞2+4 ∞1+2+3	4500	1
VII	∞1+6 ∞2+5 ∞3+4 ∞1+2+4	2000	1
VIII	∞2+6 ∞3+5 ∞1+2+5 ∞1+3+4	1500	1
IX	∞3+6 ∞4+5 ∞1+2+6 ∞1+3+5 ∞2+3+4	1625	2
X	∞4+6 ∞1+3+6 ∞1+4+5 ∞2+3+5 ∞1+2+3+4	1025	2
XI	∞5+6 ∞1+4+6 ∞2+3+6 ∞2+4+5 ∞1+2+3+5	1025	2
XII	∞1+5+6 ∞2+4+6 ∞3+4+5 ∞1+2+3+6 ∞1+2+4+5	425	2
XIII	∞2+5+6 ∞3+4+6 ∞1+2+4+6 ∞1+3+4+5	300	2
XIV	∞3+5+6 ∞1+2+5+6 ∞1+3+4+6 ∞2+3+4+5	200	3
XV	∞4+5+6 ∞1+3+5+6 ∞2+3+4+6 ∞1+2+3+4+5	180	3
XVI	∞1+4+5+6 ∞2+3+5+6 ∞1+2+3+4+6	55	3
XVII	∞2+4+5+6 ∞1+2+3+5+6	30	4
XVIII	∞3+4+5+6 ∞1+2+4+5+6	30	5
XIX	∞1+3+4+5+6	5	12
XX	∞2+3+4+5+6	5	45
XXI	∞1+2+3+4+5+6	1	90
	Summa Casuum —	46656	

Z

& quo

♃

Expon:	Potest:	
1	5	6
2	25	36
3	125	216
4	625	1296
5	3125	7776
6	15625	46656

& quo à tribus, 4 aut 5 tesseris, 125, 25 aut 5; ut supra in observat. 3. dictum: sic quia puncta XII tribus modis à tribus, & 2 modis à 4 tesseris componi ostensum est, numerus casuum, quibus XII puncta eveniunt, erit ter 125 + bis 25 ∞ 425, quem in adjuncta Tabula adscribo. Quòd si ubique similiter operatus fuero, & numeri omnium casuum in summam collecti constituant 46656 sextam potestatem senarii, certus ero me nullum modorum præteriisse.

Absoluta autem hacce Tabula summa rei peracta est, nec superest aliud, quam ut singuli casuum numeri in sua respectivè præmia ducantur, & productorum aggregatum per 46656 dividatur ad obtinendam optatam Aleatoris sortem, quæ hac ratione fiet

$$\frac{15625.0 + 26125.1 + 4400.2 + 435.3 + 30.4 + 30.5 + 5.12 + 5.45 + 1.90}{46656}$$

∞ $\frac{36875}{46656}$; ita ut tantùm ipsi deponendum fuisset $\frac{36875}{46656}$ unius nummi, si æqua sorte ludere voluisset; quare cùm circulatori penderit integrum; reliquum nummi $\frac{9781}{46656}$ in ejus damnum & contra deceptoris lucrum computatur.

PRO-

PROBLEMA XXIV.

Poſitis & repetitis, quæ in præcedenti, ſi Dominus Aleæ ita paciſcatur cum colluſore, ut ille obſtrictus velit eſſe ad reſtituendum huic omnes ſuos nummos, ſi quinque continuis jactibus nullum ipſi punctum ceciderit Quæritur nunc utriusque ſors?

* Vidi quondam Circulatorem, qui adſtantes ut ineſcaret, hanc inſuper conditionem iis offerebat, eoque tum anſam mihi dedit cogitandi primùm de Problemate ſupra propoſito XXII. Hujus itaq; ſolutio cùm ibid. generaliter exhibita ſit, nihil nobis hîc pensi reſtat, quam ut illam literis ad numeros revocatis huc applicemus: Conſtat ex præced. numerum omnium caſuum in ſex cæcis teſſeris eſſe 46656, numerum eorum quibus nullum emicat punctum 15625, cæterorum 31031; unde valores literarum in re præſenti ſunt, *a* ∞ 46656, *b* ∞ 31031, *c* ∞ 15625; nec non per hypoth. *n* ∞ 5; & valor ipſius *m*, qui varius eſt, per Cor. 3. Prop. III. part. 1. ad medium reductus fit ∞ $\frac{36875}{31031}$, quandoquidem 31031 caſus ad $\frac{36875}{31031}$, & 15625 caſus ad 0, eandem colluſori expectationem $\frac{36875}{46656}$ pariunt, quam habere deprehenſus eſt in præcedenti. En tibi jam calculum:

$a \infty 46656$ . . . . $la \infty 4.6689075$

$c \infty 15625$ . . . . $lc \infty 4.1938200$

$\frac{a}{b} \infty \frac{46656}{31031}$ $\quad l\frac{c}{a} \infty lc - la \infty -0.4750875$

$m \infty \frac{36875}{31031}$ $\quad n \infty$ . . . 5

$\frac{a}{b} - m \infty \frac{9781}{31031} \infty \frac{31520}{100000}$ $\quad nl\frac{c}{a} \infty l\frac{c^n}{a^n} \infty -2.3754375$


$\frac{a}{b} - m + n \infty \frac{9781}{31031} + 5 \infty \frac{164936}{31031}$ . . $l\overline{\frac{a}{b} - m + n} \infty 0.7255196$

$\overline{\frac{a}{b} - m + n}, \frac{c^n}{a^n} \infty \frac{2239}{100000}$. $l\overline{\frac{a}{b} - m + n} + l\frac{c^n}{a^n} \infty -1.6499179$

Quare, $\frac{m.\overline{a^n - c^n}}{a^n} - \frac{a^n + c^n}{a^{n-1}b} + \frac{nc^n}{a^n} \left(\infty m - \frac{mc^n}{a^n} - \frac{a}{b} + \frac{ac^n}{ba^n} + \frac{nc^n}{a^n} \infty\right.$

$\left. m - \frac{a}{b} + \overline{\frac{a}{b} - m + n}, \frac{c^n}{a^n}\right) \infty \frac{-31520}{100000} + \frac{2239}{100000} \infty - \frac{29281}{100000},$

Oſtenſum autem eſt in Probl. XXII, hac quantitate exprimi damnum colluſoris, quod quidem in præced. Probl. tantùm erat $\frac{9781}{46656} \infty \frac{20964}{100000}$, ſesquialtero ferè minus: unde conditionem hanc de reddendis colluſori ſuis nummis, quam veterator in ejus favorem adjeciſſe videtur, in majus potius illius damnum vergere conſtat. De cætero & hoc obſervo, quòd etiamſi circulator poſt duos ſtatim continuos inanes jactus ad reſtituendum ſe obſtringere vellet, illud cum aliquali adhuc lucro pro ſe facere poſſet.



ARTIS CONJECTANDI PARS QUARTA,

tradens

Usum & applicationem præcedentis Doctrinæ in Civilibus, Moralibus & Oeconomicis.

CAPUT I.

Præliminaria quædam de Certitudine, Probabilitate, Necessitate & Contingentia Rerum.



Ertitudo rei cujusvis spectatur vel *objectivè* & in se; nec aliud significat, quàm ipsam veritatem existentiæ aut futuritionis illius rei: vel *subjective* & in ordine ad nos; & consistit in mensura cognitionis nostræ circa hanc veritatem.

Omnia, quæ sub Sole sunt vel fiunt, præterita, præsentia sive futura, in se & objectivè summam semper certitudinem habent. De præsentibus & præteritis constat; quoniam eo ipso, quo sunt vel fuerunt, non possunt non esse vel fuisse: Nec de futuris ambigendum, quæ pariter etsi non fati alicujus inevitabili necessi-

cessitate, tamen ratione tum præscientiæ tum prædeterminationis divinæ non possunt non fore; nisi enim certò eveniant quæcunque futura sunt, non apparet, quo pacto summo Creatori omniscientiæ & omnipotentiæ laus illibata constare queat. Quomodo autem hæc futuritionis certitudo cum contingentia aut libertate causarum secundarum consistere possit, de hoc disputent alii; nos à scopo nostro aliena nolumus tangere.

Certitudo rerum, spectata in ordine ad nos, non omnium eadem est, sed multipliciter variat secundùm magis & minus. Illa de quibus revelatione, ratione, sensu, experientia, αὐτοψία aut aliter ita constat, ut de eorum existentia vel futuritione nullo modo dubitare possimus, summa & absoluta certitudine gaudent. Cætera omnia imperfectiorem ejus mensuram in mentibus nostris obtinent, majorem minoremve, prout plures vel pauciores sunt probabilitates, quæ suadent rem aliquam esse, fore aut fuisse.

Probabilitas enim est gradus certitudinis, & ab hac differt ut pars à toto. Nimirum si certitudo integra & absoluta, quam litera *a* vel unitate 1 designamus, quinque verb. gr. probabilitatibus ceu partibus constare supponatur, quarum tres militent pro existentia aut futuritione alicujus eventus, reliquæ contra: eventus ille dicetur habere $\frac{3}{5}a$, seu $\frac{3}{5}$ certitudinis.

Illud igitur altero *probabilius* vocatur, quod majorem certitudinis partem habet; etsi in positivo *probabile* ex usu loquendi tantùm dicatur id, cujus probabilitas semissem certitudinis notabiliter superat. Dico, *notabiliter*; nam quod semissem certitudinis circiter æquat, *dubium* vel anceps vocatur. Ita probabilius est, quod $\frac{1}{5}$ certitudinis habet, quàm quod $\frac{1}{15}$; etsi neutrum in positivo sit probabile.

Possibile est, quod vel tantillam certitudinis partem obtinet: Impossibile, quod nullam aut infinitè exiguam. Ita possibile est, quod habet $\frac{1}{20}$ aut $\frac{1}{30}$ certitudinis.

Moraliter certum est, cujus probabilitas ferè æquatur integræ certitudini, sic ut defectus sentiri non possit: *Moraliter impossibile* contra, quod tantum duntaxat probabilitatis habet, quantum moraliter certo ad omnimodam certitudinem deest. Ita si pro moraliter

certo habeatur, quod $\frac{999}{1000}$ certitudinis possidet, erit moraliter impossibile, quod ejus tantùm habet $\frac{1}{1000}$.

Necessarium est, quod non potest non esse, fore aut fuisse; idque *necessitate* vel *physica*: quo pacto necessum est ignem urere, triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, plenilunium, quod Luna existente in nodis ingruit, esse eclipticum: vel *hypothetica*, qua unumquodq; dum est aut fuit, vel esse aut fuisse supponitur, non potest non esse aut fuisse; quo sensu necessum est Petrum scribere, quem scio ponoq; scribere: vel denique *necessitate pacti* seu *instituti*, quo pacto aleator, qui tessera senarium jecerit, necessario vincere dicitur, si prius inter lusores ita conventum fuerit, ut jactu senarii victoria constet.

Contingens (tam *liberum*, quod ab arbitrio creaturæ rationalis: quàm *fortuitum* & *casuale*, quod à casu vel fortuna dependet) est id, quod posset non esse, fore aut fuisse; intellige potentia remota, non proxima: nec enim contingentia semper omnem necessitatem, etiam quoad causas secundas, excludit; quod exemplis declaro. Certissimum est, quòd data tesseræ positione, velocitate & distantia ab alveo, eo momento quo manum projicientis deserit, tessera non potest aliter cadere, quàm uti revera cadit: item, quod data aëris constitutione præsente, datisque ventorum, vaporum, nubium mole, situ, motu, directione, velocitate & mechanismi legibus, quibus hæc omnia in se invicem agunt, tempestas crastinæ diei non possit alia fore, quàm qualis reapse futura est; adeo ut hi effectus ex suis causis proximis non minus necessario, atque Eclipsium phænomena ex luminarium motu sequantur: & tamen usus obtinuit, ut solæ Eclipses necessariis, casus vero tesseræ & tempestatis futuritio contingentibus annumerentur; cujus rei non alia ratio est, quàm quòd ea, quæ ad determinandos posteriores effectus ut data supponuntur, atque etiam in natura talia sunt, non satis tamen nobis sint cognita; nec si essent, satis excultum Geometriæ & Physicæ studium, ut ex datis effectus hi calculo subduci possint; quemadmodum ex perspectis Astronomiæ principiis supputari & prædici possunt Eclipses: quæ propterea & ipsæ, ante Astronomiam eo perfectionis promotam, non minus ac cætera duo inter futura contingentia referri opus habebant. Sequitur hinc, uni & uno tempore videri posse contingens, quod alii

(imo

(imò & eidem) alio tempore post cognitas ejus causas sit necessarium; adeo ut contingentia præcipuè etiam respiciat cognitionem nostram, in quantum nos nullam videmus repugnantiam in objecto ad non esse vel fore, etiamsi hic & nunc vi causæ proximæ sed nobis ignotæ necessario sit vel fiat.

Fortuna prospera, un Bonheur, ein Glück/ & *Fortuna adversa, un Malheur,* ein Unglück dicitur, cùm nobis bonum vel malum obtingit non quodvis, sed quod probabilius, aut saltem æquè probabiliter, poterat non obtigisse; eoque proinde melior vel pejor fortuna, quo minus probabile erat, bonum vel malum hoc eventurum. Sic insigniter fortunatus est ille, qui terram fodiendo thesaurum invenit; quoniam millies fodiendo ne semel hoc accidit. Si viginti desertores, quorum unus cæteris in exemplum suspendio necandus, alea de vita contenderint: propriè non fortunati dicuntur illi novendecim, qui benigniore sorte sunt usi, sed infortunatissimus ille vicesimus, cui sors atra cecidit. Ita nec fortunatus prædicandus amicus tuus, qui è prælio salvus evasit, in quo exigua præliantium pars occubuit; nisi fortassis ob excellentiam boni, quod in vitæ conservatione consistit, ita vocandum existimes.

CAP. II.

De Scientia & Conjectura. De Arte Conjectandi. De Argumentis Conjecturarum. Axiomata quædam generalia huc pertinentia.

Ea quæ certa sunt & indubia, dicimur *scire* vel *intelligere*: cætera omnia *conjicere* tantùm vel *opinari*.

Conjicere rem aliquam est metiri illius probabilitatem: ideoque *Ars Conjectandi* sive *Stochastice* nobis definitur ars metiendi quàm fieri potest exactissimè probabilitates rerum, eo fine, ut in judiciis & actionibus nostris semper eligere vel sequi possimus id, quod melius, satius, tutius aut consultius fuerit deprehensum; in quo solo omnis Philosophi sapientia & Politici prudentia versatur.

Probabilitates æstimantur ex *numero* simul & *pondere argumentorum*, quæ quoquo modo probant vel indicant, rem aliquam esse, fore aut fuisse. Per *Pondus* autem intelligo vim probandi.

Argumenta ipsa sunt vel *intrinseca*, vulgò artificialia, desumta ex locis topicis causæ, effectus, subjecti, adjuncti, signi aut alterius cujusvis circumstantiæ, quæ qualemcunque nexum cum re probanda habere videtur: vel *extrinseca* & inartificialia, petita ab authoritate & testimonio hominum. Exemplum esto: Titius occisus reperitur in viâ, Mævius commissi homicidii accusatur; Argumenta accusationis sunt, 1. quòd constet illum odio habuisse Titium (en argumentum à *causa*, potuit enim odium hoc ipsum impulisse ad occidendum). 2. quòd examinatus palluerit timideque responderit (en argumentum ab *effectu*; potest enim pallor & metus iste ex conscientia patrati criminis profluxisse). 3. quòd in ædibus Mævii repertus mucro sanguine tinctus (en *signum*). 4. quòd quo die occisus in via Titius, eodem illac transierit Mævius (en *circumstantiam* loci & temporis). 5. quòd denique Cajus deponat, pridie commissi homicidii Titio cum Mævio lites intercessisse (en *testimonium*).

Priusquam autem propius ad institutum accedamus, ostendendo, quomodo his argumentis conjecturarum in probabilitatibus metiendis uti conveniat, præmittere lubet generales quasdam Regulas seu Axiomata, quæ unicuique sanæ mentis homini simplex ratio dictare solet, & quæ in vitæ civilis usu à prudentioribus etiam perpetuò observantur.

1. *Conjecturis locus non esse debet in rebus, in quibus omnimodam certitudinem assequi licet.* Frustra proin esset Astronomus, qui ex eo quòd quotannis duas vel tres contingere novit Eclipses, de Plenilunio quodam augurari vellet, num sit eclipticum, necne; cùm veritatem rei certo calculo consequi possit. Ita si fur interrogatus responderit, se rem ablatam vendidisse Sempronio, ineptè ageret Judex, qui ex vultu tonoque loquentis, aut ex qualitate rei furto ablatæ aliisve furti circumstantiis de probabilitate asserti conjicere vellet, quando præstò est Sempronius, è quo rem omnem certò & facilè experiri licebit.

2. *Non sufficit expendere unum alterumve argumentum, sed con-*

quirenda sunt omnia, quæ in cognitionem nostram venire possunt, atq; ullo modo ad probationem rei facere videntur. Tres naves ex. gr. solvunt è portu, post aliquod tempus nunciatur, unam illarum naufragio periisse; conjicitur quænam? si solum numerum navium spectarem, infortunium singulis æquè accidere potuisse colligerem; sed quia memini, unam earum præ cæteris carie & vetustate fuisse exesam, velis & antennis malè armatam, nauclero quoque novitio & inexperto instructam, hanc utique probabilius quàm cæteras interiisse judico.

3. *Nec tantùm illa sunt attendenda, quæ rei probandæ conducunt; sed & omnia illa, quæ in contrarium adduci possunt, ut trutinatis probè utrisq; constet utra præponderent.* De amico diutissimè à patria absente quæritur, an pro mortuo declarari possit? Pro affirmativa militant hæc argumenta: Quòd omni licet adhibita cura toto vicennio nihil de illo innotuit: quòd peregrinantes plurimis vitæ periculis expositi sunt, quibus exempti hi qui domi manent; fortè igitur in undis finiit vitam, fortè occisus in via, fortè in prælio, fortè morbo aut casu aliquo obiit in loco, ubi nemini fuit notus: quòd si in vivis esset, ejus jam ætatis esse deberet, quam pauci vel domi attingunt: quòd scripturus fuisset, etiamsi in extremis Indiæ oris versaretur, quia scivit se hæreditatem expectare domi: & quæ sunt alia. Quibus tamen argumentis non est acquiescendum, sed opponenda quoque sequentia, quæ negativam tuentur. Constat, hominem fuisse socordem, ægrè arripuisse calamum, amicos contempsisse; fortè à Barbaris captivus ductus, ut scribere non potuerit; fortè etiam scripsit ex India aliquoties, sed literæ vel incuria latorum vel naufragio periêre; constat denique, multos diutius emansisse, & tamen tandem rediisse incolumes.

4. *Ad judicandum de universalibus suffi iunt argumenta remota & universalia; sed ad conjecturas formandas de individuis, propiora quoq; & specialia adjungenda sunt, si modo hab ri possunt.* Ita cùm quæritur in abstracto, quantò sit probabilius, juvenem viginti annorum seni sexagenario fore superstitem, quàm verò hunc illi, præter discrimen ætatis & annorum nihil est, quod considerare possis; sed ubi specialiter sermo est de individuis Petri juvenis & Pauli senis, attendere insuper oportet ad specialem eorum complexionem & studium, quo uterque vale-

valetudinem ſuam curat; nam ſi Petrus ſit valetudinarius, ſi affectibus indulgeat, ſi intemperanter vivat, fieri poteſt, ut Paulus, etsi ætate provectior, optima tamen ratione longioris ſpem vitæ concipere valeat.

5. *In rebus incertis & dubiis actiones noſtræ ſuſpendendæ ſunt, donec major lux affulſerit; ſed ſi occaſio agendi nullam patiatur moram, inter duo ſemper eligendum id, quod convenientius, tutius, conſultius aut probabilius videtur, etſi neutrum in poſitivo tale ſit.* Sic in oborto incendio, è quo aliter elabi non poſſis, nisi vel ex ſummo tecto vel ex inferiore quadam contignatione te præcipitem des, præſtabit poſterius eligere, quia tutius; etsi neutrum ſimpliciter tutum ſit, aut ſine læſionis periculo fieri poſſit.

6. *Quod aliquo caſu prodeſſe, nullo nocere poteſt, præferendum eſt illi, quod nullo vel prodeſt vel nocet*; quorſum collimat illud, quod vernaculè dicimus: Hilfft es nicht / ſo ſchadt es nicht. Fluit ex præcedenti; nam quod prodeſſe poteſt, cæteris paribus ſatius, tutius, optabilius eſt illo, quod non poteſt.

7. *De Actionum humanarum pretio non ſtatuendum ex eventu*; cùm ſtolidiſſimæ actiones quandoque optimo, prudentiſſimæ contra peſſimo ſucceſſu fruantur; hinc Poëta: *Careat ſucceſſibus, opto, quisquis ab eventu facta notanda putat.* Ita ſi quis tribus teſſeris prima vice tres ſenarios jacere ſuſcipit, etiamsi fortaſſe vincat, ſtolidè tamen egiſſe cenſetur. Notandum contra perverſa vulgi judicia, cui præſtantior habetur, quò quiſque eſt fortunatior; imò cui proſperum ac felix ſcelus plerunque virtus vocatur, de quo rurſum eleganter Owenus;

Epigr. lib. ſing. §. 216.

Quòd malè conſultum cecidit feliciter, Ancus
Arguitur ſapiens, qui modo ſtultus erat;
Quod prudenter erat proviſum, ſi malè vortat,
Ipſe Cato populo judice ſtultus erit.

8. *In judiciis noſtris cavendum, ne rebus plus tribuamus quàm par eſt, neque quod probabilius eſt cæteris, pro abſolutè certo habeamus ipſi aut obtrudamus aliis.* Oportet enim, ut fides, quam rebus tribuimus, proportionata

tionata sit gradui certitudinis, quam unaquæque res obtinet atque adeo in eadem ratione minor, qua minor est ipsa rei probabilitas; quod vernaculè sic enunciamus; Man muß ein jedes in seinem Werth und Unwerth beruhen lassen.

9. *Quia tamen raro admodum omnimodam certitudinem assequi licet, necessitas & usus volunt, ut quod moraliter tantùm certum est, pro absolutè certo habeatur*. Utile proin esset si Magistratus auctoritate morali certitudini determinati limites constituerentur; putà si definiretur, num ad illam efficiendam sufficiant $\frac{99}{100}$, an requirantur $\frac{999}{1000}$ certitudinis; ne partium studio aliquid dare possit Judex, sed cynosuram habeat, quam in ferenda sententia constanter observet.

Plura ejusmodi Axiomata alia unusquisque quotidiano rerum usu edoctus proprio marte sibi cudere poterit, quorum omnium nos extra datam occasionem difficulter meminisse possemus.

CAPUT III.

De variis argumentorum generibus, & quomodo eorum pondera æstimentur ad supputandas rerum probabilitates.

Qui varia argumenta examinat, quibus opinio vel conjectura generatur, triplex in iis discrimen animadvertet: nam quædam eorum *necessariò existunt & contingenter indicant*: alia *contingenter existunt & necessariò indicant*: alia denique *contingenter existunt simul & indicant*. Discrimen declaro exemplis: Frater meus diu nihil ad me literarum dedit; dubito, an ejus segnities aut negotia in culpa sint; vereor etiam ne planè fato concesserit. Hic intermissæ scriptionis argumenta sunt tria: *Segnities*, *Mors* & *Negotia*; quorum primum existit necessariò, (necessitate hypothetica, quia fratrem scio ponoq; segnem esse) sed indicat contingenter; potuisset enim segnities hæc ipsum non cohibere à scribendo: secundum contingenter existit, (potest enim frater adhuc in vivis esse) at necessariò indicat, cùm mortuus

ſcribere non poſſit: tertium & contingenter exiſtit & contingenter indicat; poſſet enim ille habere & non habere negotia, & ſi quæ habet, poſſunt tanta non eſſe, quæ ipſum de ſcriptione detineant. Aliud exemplum: Pono aleatorem, cui ex ludi præſcripto præmium debeatur, ſi teſſeris duabus ſeptem puncta jecerit, voloque conjicere, quam talis vincendi ſpem habeat. Hic argumentum victoriæ eſt jactus ſeptenarii, qui illam indicat neceſſariò, (neceſſitate nimirum pacti inter colluſores initi) ſed tantùm exiſtit contingenter; cùm præter ſeptenarium & alii punctorum numeri cadere poſſint.

Præter hanc argumentorum diſtinctionem aliud quoque in iis diſcrimen obſervare licet, dum quædam eorum ſunt *pura*, alia *mixta*. *Pura* voco, quæ in quibusdam caſibus ita rem probant, ut in aliis nihil poſitivè probent: *Mixta*, quæ ita rem probant in caſibus nonnullis, ut in cæteris probent contrarium rei. Exemplum eſto: Si in turba tumultuantium quidam gladio fuerit confoſſus, & teſtimonio hominum fide dignorum eminus adſpectantium conſtet, huic nigram fuiſſe chlamydem qui facinus commiſit, reperiaturque inter tumultuantes Gracchus cum tribus aliis ejus coloris tunicâ indutus; erit hæc tunica argumentum aliquod commiſſæ à Graccho cædis, ſed mixtum; quoniam uno caſu ejus culpam, tribus caſibus ejus innocentiam probat, prout videl. vel ab ipſo vel ab uno reliquorum trium cædes patrata fuerit; nec enim ab iſtis patrari potuit, quin eo ipſo Gracchus ponatur innocens. Quòd ſi verò in ſubſecuto examine Gracchus palluerit, pallor hic faciei eſt argumentum purum: probat enim Gracchi culpam, ſi à læſa conſcientia proficiſcatur; ſed non viciſſim probat ejus innocentiam, ſi aliunde proveniat; poteſt enim fieri, ut alia de cauſa palleſcat Gracchus, & tamen ipſe ſit auctor cædis.

Ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, perſpicuum eſt, vim probandi, qua pollet quodlibet argumentum, pendere à multitudine caſuum, quibus illud exiſtere vel non exiſtere indicare vel non indicare, aut etiam contrarium rei indicare poteſt; adeoque gradum certitudinis ſeu probabilitatem, quam generat hoc argumentum, ex caſibus iſtis per Doctrinam primæ Partis non aliter elici poſſe quàm ſortes aleatorum in ludis aleæ inveſtigari ſolent. Ad quod oſtendendum ſumamus numerum caſuum, quibus contingere poteſt ut argumentum aliquod

liquod exiſtat, eſſe b; eorum, quibus fieri poteſt ut non exiſtat, c; amborum $a \infty b + c$; item numerum caſuum, quibus contingere poteſt ut indicet, β; ut non indicet, aut contrarium rei indicet, γ; amborum $\alpha \infty \beta + \gamma$. Pono autem, omnes caſus æquè poſſibiles eſſe, ſeu pari facilitate evenire poſſe; alias enim moderatio eſt adhibenda, & pro quovis caſu faciliori tot alii caſus numerandi ſunt, quoties is cæteris facilius evenit: ex. gr. pro caſu triplo faciliori numero tres caſus, qui pari cum cæteris facilitate contingere poſſint.

1. Itaque ſit primò argumentum *contingenter exiſtens & neceſſariò indicans*: erunt ex modo poſitis b caſus, quibus exiſtere adeoque & indicare rem (ſeu 1) poteſt; & c caſus, quibus poteſt non exiſtere, adeoque nec quicquam indicare; id quod per Coroll. 1. Prop. III. primæ Part. valet $\frac{b.^1 + c.^0}{a} \infty \frac{b}{a}$, ita ut tale argumentum probet $\frac{b}{a}$ rei ſeu certitudinis rei.

2. Sit deinde argumentum *neceſſariò exiſtens & contingenter indicans*: erunt ex hyp. β caſus, quibus fieri poteſt ut indicet rem, & γ caſus ut non indicet, ſeu ut contrarium indicet; quod vim argumenti ad rem probandam nunc efficit $\frac{\beta.^1 + \gamma.^0}{\alpha} \infty \frac{\beta}{\alpha}$: probat ergò hujusmodi argumentum $\frac{\beta}{\alpha}$ certitudinis rei, atque inſuper ſi ſit mixtum (quod eodem modo patet) $\frac{\gamma.^1 + \beta.^0}{\alpha} \infty \frac{\gamma}{\alpha}$ certitudinis contrarii.

3. Si quod argumentum *contingenter exiſtit & contingenter indicat*, pono ſtatim exiſtere, quo caſu per modo oſtenſa probare cenſetur $\frac{\beta}{\alpha}$ rei, & inſuper ſi ſit mixtum, $\frac{\gamma}{\alpha}$ contrarii: unde cùm ſint b caſus, quibus exiſtere; & c caſus, quibus non exiſtere, adeoque & nil probare poſſit; valebit hoc argumentum ad rem probandam $\frac{b.^{\beta:\alpha} + c.^0}{a} \infty \frac{b\beta}{a\alpha}$: &, ſi ſit mixtum, ad probandum contrarium $\frac{b.^{\gamma:\alpha} + c.^0}{a} \infty \frac{b\gamma}{a\alpha}$.

4. Porrò

4. Porrò si plura concurrant argumenta ad ejusdem rei probationem, vocenturque

numeri casuum, argumenti	*pr.*	*sec.*	*tert.*	*quart.*	*quint.*	&c.
omnium . . .	a	d	g	p	s	&c.
probantium . . .	b	e	h	q	t	&c.
non-probantium aut probant. contr. . . .	c	f	i	r	u	&c.

vis probandi ex omnium argumentorum concursu resultans sic æstimatur. Sint autem primò omnia argumenta *pura*; erit primi seorsim spectati pondus $\frac{b}{a} \infty \frac{a-c}{a}$ (vocando sic $\frac{\beta}{\alpha}$, si contingenter indicet; aut $\frac{b\beta}{a\alpha}$, si simul contingenter existat) ut vidimus. Accedat nunc alterum argumentum, quod e vel $d-f$ casibus probat rem seu 1, & f casibus nil probat, solumque adeò pondus primi argumenti, quod ostensum est esse $\frac{a-c}{a}$, efficax relinquit: valebit pondus ex utroq; argumento conflatum $\frac{\overline{d-f}\cdot 1 + f\cdot\overline{a-c:a}}{d} \infty \frac{ad-cf}{ad} \infty 1-\frac{cf}{ad}$ rei. Jungatur & tertium; erunt h seu $g-i$ casus, qui probant rem, & i casus, quibus nullum est argumentum, solaque duo priora vim suam probandi $\frac{ad-cf}{ad}$ retinent: unde vis omnium trium censetur $\frac{\overline{g-i}\cdot 1 + i\cdot\overline{ad-cf:ad}}{g} \infty \frac{adg-cfi}{adg} \infty 1-\frac{cfi}{adg}$. Et ita deinceps, si plura præstò sint argumenta. E quibus patet quòd omnia junctim sumta probabilitatem inducunt, quæ ab absoluta rei certitudine seu unitate deficiat parte unitatis, orta ex divisione producti casuum non probantium per productum casuum omnium in universis argumentis.

5. Sint deinde omnia argumenta *mixta*: Quoniam numerus casuum probantium primi argumenti est b, secundi e, tertii h, &c. & probantium contrarium c, f, i, &c. probabilitas rei ad probabilitatem contrarii, vi solius primi argumenti, se habet ut b ad c; & vi solius secundi, ut e ad f; & vi solius tertii, ut h ad i, &c. unde sat evidens est, quòd vis probandi totalis ex omnium argumentorum concursu resultans componatur ex viribus omnium argumentorum parti-

particularium, i. e. quòd probabilitas rei ad probabilitatem contrarii ſe habeat in ratione beh &c. ad cfi &c. adeò ut probabilitas abſoluta rei ſit $\frac{beh}{beh + cfi}$, & probabilitas abſoluta contrarii $\frac{cfi}{beh + cfi}$.

6. Sint rurſus quædam argumenta *pura* (velut tria priora) & quædam *mixta* (ut duo reliqua). Conſidero primò ſola pura, quæ per §. 4. probant $\frac{adg - cfi}{adg}$ certitudinis rei, defectu ad unitatem exiſtente $\frac{cfi}{adg}$; ſunt ergò velut $adg - cfi$ caſus, quibus tria hæc argumenta junctim ſumta probant rem ſeu 1; & cfi caſus, quibus nil probant, ſolisque proin argumentis mixtis locum probandi concedunt: probant autem hæc duo per præced. §. 5, $\frac{qt}{qt + ru}$ rei, & $\frac{ru}{qt + ru}$ contrarii. Quare probabilitas rei ex omnibus argumentis reſultans eſt $\frac{\overline{adg - cfi}.1 + cfi.\overline{qt : qt + ru}}{adg} \infty \frac{adgqt + adgru - cfiru}{adgqt + adgru} \infty 1 - \frac{cfiru}{adg.\overline{qt + ru}}$, quæ ab omnimoda certitudine ceu unitate deficit producto partis $\frac{cfi}{adg}$ (qua ab eadem deficit probabilitas rei per §. 4. ex ſolis argumentis puris reſultans) per $\frac{ru}{qt + ru}$ probabilitatem abſolutam contrarii per præced. §. 5. ex argumentis mixtis elicitam.

7. Quòd ſi præter argumenta quæ rei probandæ conducunt, alia ſe offerunt argumenta pura, quibus contrarium ſuadetur, utriuſque generis argumenta per præced. regulas ſeorſim ponderanda ſunt, ut inde conſtare poſſit ratio, quæ inter probabilitatem rei & probabilitatem contrarii intercedit. Ubi notandum, ſi argumenta, quæ in utramque partem afferuntur ſunt ſatis fortia, fieri poſſe, ut abſoluta probabilitas utriusque partis ſemiſſem certitudinis notabiliter ſuperet, h. e. ut utrumque contrariorum reddatur probabile, etſi relativè loquendo unum ſit minus probabile altero; ſic fieri poteſt, ut quidpiam habeat $\frac{2}{3}$ certitudinis, dum ejus contrarium poſſidet $\frac{3}{4}$; quo pacto utrumque contrariorum erit probabile, & tamen prius minus probabile ſuo contrario, idque in ratione $\frac{2}{3}$ ad $\frac{3}{4}$, ſive 8 ad 9.

Diſſimulare hic non poſſum, quòd in ſpeciali applicatione harum

rum regularum multa occurſura prævideo, quæ in cauſa eſſe queunt; ut turpiter ſæpe quis hallucinetur, niſi in diſcernendis argumentis cautè procedat: quandoque enim diſtincta videri poſſunt argumenta, quæ reapſe unum idemque argumentum conſtituunt; aut vice verſa unum videntur, quæ diſtincta ſunt; nonnunquam ponuntur in argumento talia, quæ argumentum contrarii planè evertunt; &c. In cujus rei illuſtrationem unum tantùm alterumve exemplum adduco: Pono in ſupra allato exemplo Gracchi, homines hos fide dignos, qui tumultuantes viderunt, in Auctore cædis rufos inſuper capillos obſervaſſe, talique capillitio Gracchum cum duobus aliis notari, ſed quorum neuter nigra toga ſit veſtitus. Hîc, ſi quis ex iſtis indiciis, quòd præter Gracchum tres ſint atro colore veſtiti, & præter eundem duo rufis capillis inſignes, colligere vellet probabilitatem culpæ ad probabilitatem innocentiæ in perſona Gracchi per §. 5. ſe habere in ratione compoſita ex ſubtripla & ſubdupla, h.e. in ratione ſubſextupla, illumque adeo veriſimilius multo innocentem eſſe, quàm reum facinoris, is utique ineptè colligeret; cùm hîc propriè non adſint duo argumenta, ſed unum tantùm idemque à duabus ſimul circumſtantiis coloris veſtium & capillorum petitum, quæ duæ circumſtantiæ cùm in ſola perſona Gracchi junctim conveniant, arguunt certò non alium quàm ipſum auctorem cædis eſſe potuiſſe. Aliud exemplum eſto: De Contractu quodam ſcripto dubium movetur, an dies inſtrumento appoſitus fraudulenter ſit anticipatus? Argumentum pro negativa hoc eſſe poteſt, quòd inſtrumentum ſignatum ſit manu Notarii, i.e. perſonæ publicæ & juratæ, quem non veriſimile eſt quicquam commiſiſſe fraudis, cùm id ſine ſummo honoris ac fortunæ ſuæ periculo facere non potuiſſet, ac propterea etiam inter 50 vix unus reperiatur, qui iſthuc nequitiæ procedere audeat. Argumenta vero pro affirmativa poſſunt eſſe, quòd Notarii hujus fama peſſimè audiat, quòd ex fraude maximum expectare potuit lucrum, & præſertim quòd talia atteſtetur, quæ nihil probabilitatis habent, veluti ſi ſcripſiſſet, quendam alteri mutuò locaſſe 10000 aureos, eo tempore, quo ex omnium æſtimatione vix centum in univerſis bonis habere poterat. Hîc ſi argumentum à charactere ejus qui ſubſcripſit petitum ſeorſim conſideres, cenſere poteris probabi-

babilitatem authentiæ instrumenti velut $\frac{49}{50}$ certitudinis valere. Sin argumenta in contrarium expendas, agnoscere teneris fieri vix posse, quin instrumento falsum insit, adeoque fraudem in illo commissam moralem planè certitudinem, h.e. velut $\frac{999}{1000}$ certitudinis habere. Inde verò concludi non debet, probabilitatem authentiæ ad probabilitatem fraudis per §. 7. esse in ratione $\frac{49}{50}$ ad $\frac{999}{1000}$, hoc est, in ratione penè æqualitatis: dum enim Notarium pono diffamatæ fidei, hoc ipso pono, eum non comprehendi in casu horum 49 proborum Notariorum, qui fraudes detestantur; sed esse ipsum illum quinquagesimum, qui sibi religioni non ducit, perfidè in officio suo versari: id quod vim omnem illius argumenti, quod alias authentiam instrumenti probare posset, prorsus tollit ac destruit.

CAPUT IV.

De duplici Modo investigandi numeros casuum. Quid sentiendum de illo, qui instituitur per experimenta. Problema singulare eam in rem propositum. &c.

Ostensum est in Capite præced. quomodo ex numeris casuum, quibus rerum quarumvis argumenta existere vel non existere, indicare vel non indicare, aut etiam contrarium indicare possunt, ipsorum vires probandi iisque proportionatæ rerum probabilitates calculo subduci & æstimari queant. Eò itaque deventum est, ut ad conjecturas de re qualibet ritè formandas aliud nil requiratur, quàm ut tum numeri horum casuum accuratè determinentur, tum & definiatur, quanto facilius alii aliis accidere possint. At hîc tandem nobis aqua hærere videtur, cùm vix in paucissimis præstare hoc liceat, nec alibi ferè succedat. quàm in aleæ ludis, quos primi inventores ad æquitatem ipsis conciliandam data opera sic instituerunt, ut certi notique essent numeri casuum, ad quos sequi debet lucrum aut damnum, & ut casus hi omnes pari facilitate obtingere possent. In cæteris enim plerisque vel à naturæ operatione vel ab hominum arbitrio pendentibus effectis id neutiquam locum habet. Ita ex. gr.

noti

noti ſunt numeri caſuum in teſſeris; in ſingulis enim tot manifeſtè ſunt quot hedræ, iique omnes æquè proclives; cùm propter ſimilitudinem hedrarum & conforme teſſeræ pondus nulla ſit ratio, cur una hedrarum pronior eſſet ad cadendum quàm altera, quemadmodum fieret, si hedræ diſſimilis forent figuræ, aut teſſera una in parte ex ponderoſiore materia conſtaret quàm in altera. Sic itidem noti ſunt numeri caſuum ad educendam ex urna ſchedulam albam nigramve, & notum eſt omnes æquè poſſibiles eſſe; quia nimirum determinati notique ſunt numeri ſchedarum utriusque generis, nullaque perſpicitur ratio, cur hæc vel illa potius exire debeat quàm quælibet alia. At quis cedo mortalium unquam definiet numerum ex. gr. morborum, veluti totidem caſuum, qui innumeras corporis humani partes quavis ætate invadere, mortemque nobis inferre valent; & quantò facilius hic quàm ille, peſtis quàm hydrops, hydrops quàm febris, hominem perimat, ut inde de futuro vitæ necisque ſtatu conjectura formari poſſit? Quis item recenſebit caſus innumeros mutationum, quibus aër quotidie obnoxius eſt, ut inde conjicere poſſit, quænam poſt menſem, nedum poſt annum, ejus futura ſit conſtitutio? Rurſus, quis mentis humanæ naturam, aut admirabilem corporis noſtri fabricam ſatis perſpectam habuerit, ut in ludis. qui ab illius acumine aut hujus agilitate in totum vel ex parte dependent, determinare audeat caſus, quibus hic vel ille ludentium victoria potiri vel excidere poſſit? Hæc enim & talia cùm dependeant à cauſis omnino latentibus, atque inſuper innumerabili complexionum varietate induſtriam noſtram æternum luſuris, inſanientis planè foret, quicquam hoc pacto cognoſcere velle.

Verum enimverò alia hîc nobis via ſuppetit, quâ quæſitum obtineamus; & quod à priori elicere non datur, ſaltem *à posteriori*, hoc eſt, ex eventu in ſimilibus exemplis multoties obſervato eruere licebit; quandoquidem præſumi debet, tot caſibus unumquodque poſthac contingere & non contingere poſſe, quoties id antehac in ſimili rerum ſtatu contigiſſe & non contigiſſe fuerit deprehenſum. Nam ſi ex. gr. facto olim experimento in tercentis hominibus ejusdem, cujus nunc Titius eſt, ætatis & complexionis, obſervaveris ducentos eorum ante exactum decennium mortem oppetiiſſe, reliquos ultra vitam

tam protraxisse, satis tuto colligere poteris, duplo plures casus esse, quibus & Titio intra decennium proximum naturæ debitum solvendum sit, quàm quibus terminum hunc transgredi possit. Ita si quis à plurimis retrò annis ad cœli tempestatem attenderit, notaveritque, quoties ea serena aut pluvia extiterit: aut si quis duobus ludentibus sæpissimè adstiterit, videritque quoties hic aut ille ludi victor evaserit, eo ipso rationem detexerit, quam probabiliter habent inter se numeri casuum, quibus iidem eventus præviis similibus circumstantiis & posthac contingere ac non contingere possunt.

Atque hic modus empiricus determinandi numeros casuum per experimenta neque novus est neque insolitus; nam & Celeb. Auctor Artis cogitandi magni acuminis & ingenii Vir Cap. 12. & seqq. postremæ Partis haud dissimilem præscribit, & omnes in quotidiana praxi eundem constanter observant. Deinde nec illud quenquam latere potest, quòd ad judicandum hoc modo de quopiam eventu non sufficiat sumsisse unum alterumque experimentum, sed quòd magna experimentorum requiratur copia; quando & stupidissimus quisque nescio quo naturæ instinctu per se & nulla prævia institutione (quod sanè mirabile est) compertum habet, quo plures ejusmodi captæ fuerint observationes, eò minus à scopo aberrandi periculum fore. Quanquam autem hoc naturaliter omnibus notum sit, demonstratio, qua id ex artis principiis evincitur, minimè vulgaris est, & proin nobis hìc loci tradenda incumbit: ubi tamen parum me præstiturum existimarem, si in hoc uno, quod nemo ignorat, demonstrando subsisterem. Ulterius aliquid hic contemplandum superest, quod nemini fortassis vel cogitando adhucdum incidit. Inquirendum nimirum restat, an aucto sic observationum numero ita continuò augeatur probabilitas assequendæ genuinæ rationis inter numeros casuum, quibus eventus aliquis contingere & quibus non contingere potest, ut probabilitas hæc tandem datum quemvis certitudinis gradum superet: an verò Problema, ut sic dicam, suam habeat Asymptoton, h. e. an detur quidam certitudinis gradus quem nunquam excedere liceat, utcunque multiplicentur observationes, putà, ut nunquam ultra semissem, aut $\frac{2}{3}$, aut $\frac{3}{4}$ certitudinis partes certi fieri possimus, nos veram casuum rationem detexisse. Ut exemplo constet quid velim, po-

no in urna quadam te inſcio reconditos eſſe ter mille calculos albos & bis mille nigros, teque eorum numerum experimentis exploraturum educere calculum unum poſt alterum (reponendo tamen ſingulis vicibus illum quem eduxiſti, priusquam ſequentem eligas, ne numerus calculorum in urna minuatur) & obſervare, quoties albus & quoties ater exeat. Quæritur, utrum toties hoc facere poſſis, ut decuplo, centuplo, millecuplo &c. probabilius fiat (h.e. ut moraliter tandem certum evadat) numeros vicium, quibus album & quibus nigrum eligis, eandem rationem ſeſquialteram, qua ipſi calculorum ceu caſuum numeri gaudent, inter ſe habituros, quàm aliam quamlibet rationem ab iſta diverſam? Nisi enim hoc fiat, fateor actum fore de noſtro conatu explorandi numeros caſuum per experimenta. At ſi id obtineat, acquiraturque tandem hoc pacto moralis certitudo (quemadmodum hoc etiam reapſe fieri ſequenti Capite oſtendam) æquè propemodum exploratos habebimus *à poſteriori* caſuum numeros, acſi nobis à priori cogniti eſſent; quod ſane in uſu vitæ civilis, ubi moraliter certum pro abſolute certo habetur, per Ax. 9. Cap. II. abunde ſufficit ad conjecturas noſtras in quavis materia contingente non minus ſcientificè dirigendas, atque in ludis aleæ: etenim ſi loco urnæ ſubſtituamus aërem, ex. gr. ſive corpus humanum, quæ fomitem variarum mutationum atque morborum intra ſe, velut urna calculos, continent, poterimus utique eodem modo per obſervationes determinare, quanto facilius in iſtis ſubjectis hic vel ille eventus accidere poſſit.

Ne autem hæc ſecus intelligantur quàm oportet, probè notandum eſt, quòd rationem inter numeros caſuum, quam experimentis determinare aggredimur, non præcisè & in indiviſibili acceptam velim (ſic enim contrarium prorſus eveniret, eoque minus probabile fieret, veram rationem inventam eſſe, quo plures caperentur obſervationes) verum rationem in aliqua latitudine ſumtam, i.e. binis limitibus concluſam, ſed qui tam arcti conſtitui poſſunt, quàm quis voluerit. Nimirum, ſi in exemplo calculorum modo allato duas rationes aſſumamus $\frac{301}{200}$ & $\frac{299}{200}$, vel $\frac{3001}{2000}$ & $\frac{2999}{2000}$, &c. quarum una proximè major, altera proximè minor eſt ſesquialtera, oſtendetur quòd data quavis probabilitate probabilius fieri poſſit, rationem per expe-

rimenta

rimenta crebro repetita inventam intra hos limites rationis ſesquialteræ, quàm extra caſuram eſſe.

Hoc igitur eſt illud Problema, quod evulgandum hoc loco propoſui, poſtquam jam per vicennium preſſi, & cujus tum novitas, tum ſumma utilitas cum pari conjuncta difficultate omnibus reliquis hujus doctrinæ capitibus pondus & pretium ſuperaddere poteſt. Ejus autem ſolutionem priuſquam tradam, paucis objectiones diluam, quas Viri quidam docti contra hæc placita moverunt.

1. Objiciunt primò, aliam eſſe rationem calculorum, aliam morborum aut mutationum aëris; illorum numerum determinatum eſſe, horum indeterminatum & vagum. Ad quod reſpondeo, utrumque reſpectu cognitionis noſtræ æquè poni incertum & indeterminatum; ſed quicquam in ſe & ſua natura tale eſſe, non magis à nobis poſſe concipi, quàm concipi poteſt, idem ſimul ab Auctore naturæ creatum eſſe & non creatum: quæcunque enim Deus fecit, eo ipſo dum fecit, etiam determinavit.

2. Objiciunt ſecundò, calculorum numerum finitum eſſe, morborum &c. infinitum. *Reſp.* ſtupendè vaſtum potius eſſe, quàm infinitum; ſed demus actu infinitum eſſe: notum eſt, quòd etiam inter duo infinita determinata poſſit intercedere ratio, eaque numeris finitis vel accuratè, vel ſaltem quàm proximè quis voluerit, explicabilis. Sic utique circumferentiæ circuli ad diametrum determinata eſt ratio, quæ licet accuratè non exprimatur niſi per numeros cyclicos Ludolphi in infinitum continuatos, ab Archimede tamen, Metio & ipſo Ludolpho limitibus ad uſum ſufficientiſſimè conſtrictis definitur: unde nil impedit, quo minus ratio inter duo infinita, ſed numeris finitis quàm proximè expreſſa, finitis quoque experimentis determinetur.

3. Ajunt tertiò, numerum morborum non manere conſtanter eundem, ſed quotidie novos pullulare. *Reſp.* quin tractu temporis morbi multiplicari queant, inficiari non poſſumus; & certum eſt, eum qui vellet ex obſervationibus hodiernis concludere ad tempora Patrum antediluvianorum, à veritate enormiter aberraturum eſſe. Inde verò nil aliud ſequitur, quàm quòd interdum novæ capiendæ ſunt

 obſer-

obſervationes; quemadmodum capiendæ forent cum calculis, ſi numerus eorum in urna mutari ſupponeretur.

CAPUT V.

Solutio Problematis præcedentis.

Ut prolixæ rem demonſtrationis quâ licet brevitate & perſpicuitate expediam, conabor omnia reducere ad abſtractam Matheſin, depromendo ex illa ſequentia Lemmata, quibus oſtenſis cætera in nuda applicatione conſiſtent.

Lemma 1. Poſita ſerie quotlibet numerorum 0, 1, 2, 3, 4, &c. à nulla ſeu cifra naturali ſe conſequentium ordine, quorum extremus & maximus dicatur $r+s$, intermediorum quiſpiam r, & qui huic ex utraque parte proximè latus cingunt, $r+1$ & $r-1$: ſi continuetur porrò hæc ſeries donec extimus terminus utcunque multiplex fiat numeri $r+s$, putà donec ſit $nr+ns$, atque in eadem ratione augeantur intermedius r, & ejus laterales $r+1$ & $r-1$; ſic ut eorum loco prodeant nr, $nr+n$ & $nr-n$, ipſaque ſeries initio poſita

$$0, 1, 2, 3, 4, \ldots\ldots r-1, r, r+1, \ldots\ldots\ldots r+s.$$

mutetur in hanc

$$0, 1, 2, 3, 4, \ldots\ldots nr-n \ldots nr \ldots\ldots nr+n \ldots\ldots\ldots nr+ns.$$

multiplicabuntur quidem hoc pacto termini ſeriei, tam illi qui medio nr & alterutri limitum $nr+n$ aut $nr-n$ interjacent, quàm illi qui inde à limitibus ad extimos uſque $nr+ns$ aut 0 porrò protenduntur: nunquam tamen (quantumvis magnus aſſumatur numerus n) numerus terminorum ultra limitem majorem $nr+n$ plusquam $s-1$; nec numerus terminorum ultra minorem $nr-n$ pluſquam $r-1$ vicibus ſuperabit numerum horum, qui intermedio nr & alterutro limitum $nr+n$ vel $nr-n$ ſunt concluſi. Nam facta ſubtractione patet, à limite majore ad terminum extremum $nr+ns$ eſſe intervallum terminorum $ns-n$; à limite minore ad alterum extremum 0 intervallum $nr-n$; & ab intermedio numero ad alterutrum limitem intervallum n terminorum. Eſt verò ſemper $ns-n.n :: s-1.1$; & $nr-n.n :: r-1.1$. Quare conſtat &c.

Lemm.

Lemm. 2. Omnis poteſtas integra alicujus binomii $r+s$ terminis exprimitur uno pluribus, quàm eſt unitatum numerus in poteſtatis indice. Nam Quadratum conſtat terminis tribus, Cubus 4, Biquadratum 5, & ita porrò, ut notum.

Lemm. 3. In qualibet poteſtate hujus binomii (ſaltem cujus index æqualis binomio $r+s \infty t$, aut ejus multiplex, putà $nr+ns \infty nt$) ſi terminum quempiam M nonnulli præcedant, alii ſequantur, & ſit numerus omnium præcedentium ad numerum omnium ſequentium reciprocè, ut s ad r, ſeu quod eodem redit, ſi in illo termino numeri dimenſionum literarum r & s directe ſint, ut ipſæ quantitates r & s, erit ille terminus omnium in eadem poteſtate maximus, illi verò propior ab utravis parte major remotiori ab eadem parte: ſed idem terminus M ad propiorem minorem habebit rationem, quàm (in pari terminorum intervallo) propior ad remotiorem.

Dem. 1. Nota res eſt inter Geometras, quòd poteſtas nt binomii $r+s$, hoc eſt, $\overline{r+s}^{nt}$ hâc ſerie exprimitur:

$$r^{nt}+\frac{nt}{1}r^{nt-1}s+\frac{nt.\overline{nt-1}}{1.2}r^{nt-2}ss+\frac{nt.\overline{nt-1}.\overline{nt-2}}{1.2.3}r^{nt-3}s^3+\&c.$$

uſque ad $+\frac{nt}{1}rs^{nt-1}+s^{nt}$; in cujus progreſſu pars una binomii r dimenſionibus ſuis gradatim minuitur, pars altera s augetur, exiſtentibus interea coëfficientibus ſecundi & penultimi termini $\frac{nt}{1}$, 3^ti^ & antepenultimi $\frac{nt.\overline{nt-1}}{1.2}$, 4^ti^ & proantepenultimi $\frac{nt.\overline{nt-1}.\overline{nt-2}}{1.2.3}$, & ſic deinceps. Et quia numerus omnium præter M terminorum per Lemm. 2. eſt $nt \infty nr+ns$, ex hypoth. autem numerus ipſum præcedentium ad numerum ſequentium ſe habet, ut s ad r, erit numerus eorum, qui terminum M præcedunt, ns; & qui ipſum ſequuntur, nr. Unde ex lege progreſſionis terminus M fiet

$$\frac{nt.\overline{nt-1}.\overline{nt-2}\ldots\overline{nt-ns+1}\,(nr+1)}{1.2.3.4\ldots\ldots ns}r^{nr}s^{ns},\text{ vel}$$

$$\frac{nt.\overline{nt-1}.\overline{nt-2}\ldots\overline{nt-nr+1}\,(ns+1)}{1.2.3.4\ldots\ldots nr}r^{nr}s^{ns};$$

& ſimiliter terminus huic proximus ad

sinistram:	*dextram:*
$\frac{nt.\overline{nt-1}.\overline{nt-2}\ldots\overline{nr+2}}{1.2.3.4\ldots\overline{ns-1}} r^{nr+1} s^{ns-1}$	$\frac{nt.\overline{nt-1}.\overline{nt-2}\ldots\overline{ns+2}}{1.2.3.4\ldots\overline{nr-1}} r^{nr-1} s^{ns+1}$;

nec non sequens versus *sinistram:* *dextram:*

$\frac{nt.\overline{nt-1}.\overline{nt-2}\ldots\overline{nr+3}}{1.2.3.4\ldots\overline{ns-2}} r^{nr+2} s^{ns-2}$	$\frac{nt.\overline{nt-1}.\overline{nt-2}\ldots\overline{ns+3}}{1.2.3.4\ldots\overline{nr-2}} r^{nr-2} s^{ns+2}$;

è quibus, præmissa ubique convenienti reductione tam coëfficientium quàm terminorum purorum per divisores communes, patebit, quòd terminus M ad proximum versus sinistram se habet, ut $\overline{nr+1}.s$ ad $ns.r$, hic ad sequentem, ut $\overline{nr+2}.s$ ad $\overline{ns-1}.r$ &c. nec non terminus M ad proximum versus dextram, ut $\overline{ns+1}.r$ ad $nr.s$; & hic ad sequentem, ut $\overline{ns+2}.r$ ad $\overline{nr-1}.s$. &c. Est verò $\overline{nr+1}.s$ $(nrs+s) > ns.r$ (nrs), & $\overline{nr+2}.s$ $(nrs+2s) > \overline{ns-1}.r$ $(nrs-r)$ &c. ut & $\overline{ns+1}.r$ $(nrs+r) > nr.s$ (nrs), & $\overline{ns+2}.r$ $(nrs+2r) > \overline{nr-1}.s$ $(nrs-s)$ &c. ut apparet. Ergò terminus M major proximo ab utravis parte, hic major remotiori ab eadem parte, &c. Q. E. D.

2. Ratio $\frac{nr+1}{ns}$ minor est ratione $\frac{nr+2}{ns-1}$, ut patet: ergò & addita communi ratione $\frac{s}{r}$, ratio $\frac{\overline{nr+1}.s}{ns.r} < \frac{\overline{nr+2}.s}{\overline{ns-1}.r}$. Similiter ratio $\frac{ns+1}{nr} < \frac{ns+2}{nr-1}$, ut liquet: igitur addita ratione communi $\frac{r}{s}$, ratio quoque $\frac{\overline{ns+1}.r}{nr.s} < \frac{\overline{ns+2}.r}{\overline{nr-1}.s}$. Sed ratio $\frac{\overline{nr+1}.s}{ns.r}$ est illa quam terminus M habet ad proximum versus sinistram; & $\frac{\overline{nr+2}.s}{\overline{ns-1}.r}$ illa, quam habet hic ad sequentem: item ratio $\frac{\overline{ns+1}.r}{nr.s}$ est ea, quam terminus M habet ad proximum versus dextram; & $\frac{\overline{ns+2}.r}{\overline{nr-1}.s}$, quam habet hic ad sequentem; uti modò ostensum est, & ad cæteros omnes ex æquo concludi potest. Quare maximus terminorum M ad propiorem ex utravis parte minorem rationem habet, quàm (in pari terminorum intervallo) propior ad remotiorem ex eadem parte. Q. E. D.

Lemm.

Lemm. 4. In poteſtate binomii, cujus index nt, tantus poteſt concipi numerus n, ut maximus terminorum M ad alios duos L & Λ, intervallo n terminorum ſiniſtrorſum & dextrorſum à ſe diſtantes, rationem acquirat qualibet data majorem.

Dem. Cùm enim in Lemm. præced. terminus M ſit inventus

$$\frac{nt.nt-1.nt-2 \ldots\ldots nr+1}{1.2.3.4 \ldots\ldots ns} r^{nr} s^{ns}, \text{ vel}$$

$$\frac{nt.nt-1.nt-2 \ldots\ldots ns+1}{1.2.3.4 \ldots\ldots nr} r^{nr} s^{ns},$$

erit ex lege progreſſionis (addito n ad ultimum factorem coëfficientis in numeratore, & ablato ab ultimo in denominatore; nec non alterius literarum r & s dimenſionibus eodem n auctis, alterius diminutis) terminus

L *ad ſiniſtram:*

$$\frac{nt.nt-1.nt-2 \ldots nr+n+1}{1.2.3.4 \ldots ns-n} r^{nr+n} s^{ns-n}$$

Λ *ad dextram.*

$$\frac{nt.nt-1.nt-2 \ldots ns+n+1}{1.2.3.4 \ldots nr-n} r^{nr-n} s^{ns+n};$$

unde facta convenienti reductione per diviſores communes, reſultat

$$\frac{M}{L} \infty \frac{nr+n.nr+n-1.nr+n-2 \ldots nr+1 \times s^{n}}{ns-n+1.ns-n+2.ns-n+3 \ldots ns \times r^{n}}$$

$$\frac{M}{\Lambda} \infty \frac{ns+n.ns+n-1.ns+n-2 \ldots ns+1 \times r^{n}}{nr-n+1.nr-n+2.nr-n+3 \ldots nr \times s^{n}},$$

ſive (dimenſionibus quantitatum r^n & s^n in ſingulos factores, ob æqualem amborum numerum, æqualiter diſtributis)

$$\frac{M}{L} \infty \frac{nrs+ns.nrs+ns-s.nrs+ns-2s \ldots nrs+s}{nrs-nr+r.nrs-nr+2r.nrs-nr+3r \ldots nrs}$$

$$\frac{M}{\Lambda} \infty \frac{nrs+nr.nrs+nr-r.nrs+nr-2r \ldots nrs+r}{nrs-ns+s.nrs-ns+2s.nrs-ns+3s \ldots nrs}:$$

ſed hæ rationes ſunt infinitè magnæ, cùm numerus n ponitur infinitus; tunc enim evaneſcunt numeri 1, 2, 3, &c. præ n, ipſæque nr 8 n 8 1, 2, 3, &c. & ns 8 n 8 1, 2, 3, &c. tantundem valent, ac nr 8 n & ns 8 n, ſic ut diviſione inſtituta per n, prodeat

$\frac{M}{L} \infty$

$\frac{M}{L} \infty \frac{rs+s.rs+s.rs+s\ldots\ldots rs}{rs-r.rs-r.rs-r\ldots\ldots rs}$ | $\frac{M}{\Lambda} \infty \frac{rs+r.rs+r.rs+r\ldots\ldots rs}{rs-s.rs-s.rs-s\ldots\ldots rs}$;

quæ quantitates componuntur, ut patet, ex tot rationibus $\frac{rs+s}{rs-r}$ aut $\frac{rs+r}{rs-s}$, quot ſunt factores: at horum numerus eſt n, h. e. infinitus; cùm inter primum $nr+n$, aut $ns+n$, & ultimum $nr+1$ aut $ns+1$ differentia ſit $n-1$. Idcircò rationes iſtæ ſunt infinituplicatæ rationum $\frac{rs+s}{rs-r}$ & $\frac{rs+r}{rs-s}$, ac proinde ſimpliciter infinitæ: qua de ſequela si dubites, concipe infinitos continuè proportionales in ratione $rs+s$ ad $rs-r$, vel $rs+r$ ad $rs-s$; erit primi ad tertium ratio duplicata, primi ad 4tum triplicata, ad 5tum quadruplicata, &c. ad ultimum infinituplicata rationis $\frac{rs+s}{rs-r}$ vel $\frac{rs+r}{rs-s}$: conſtat autem, rationem primi ad ultimum infinitè magnam eſſe, ob ultimum ∞ 0. (*Vid. Coroll. Poſit. noſtræ 6tæ de Seriebus Infinitis.*) Quare etiam conſtat, infinituplicatam rationis $\frac{rs+s}{rs-r}$ vel $\frac{rs+r}{rs-s}$ infinitam eſſe. Oſtenſum itaque eſt, quòd in poteſtate infinitè alta binomii terminus maximus M ad duos L & Λ rationem habeat omni aſſignabili ratione majorem. Q. E. D.

Lemm. 5. Poſitis, quæ in præced. tantus intelligi poteſt numerus n, ut ſumma omnium terminorum ab intermedio & maximo M ad ambos uſque L & Λ incluſivè ſumtorum, ad ſummam omnium reliquorum extra hos limites L & Λ utrinque protenſorum rationem habeat omni data ratione majorem.

Dem. Vocentur termini intra maximum M & limitem ſiniſtrum L, ſecundus à maximo F, tertius G, quartus H, &c. & extra limitem L, ſecundus ab ipſo P, tertius Q, quartus R, &c. Quoniam igitur ratio $\frac{M}{F} < \frac{L}{P}$ & $\frac{F}{G} < \frac{P}{Q}$, & $\frac{G}{H} < \frac{Q}{R}$ &c. per part. 2. Lem. 3. erit quoque viciſſim $\frac{M}{L} < \frac{F}{P} < \frac{G}{Q} < \frac{H}{R}$ &c. Quare cùm poſitio n numero infinito, ratio $\frac{M}{L}$ ſit infinitè magna, per

Lem.

Lem. 4. fortius etiam cæteræ rationes $\frac{F}{P}$, $\frac{G}{Q}$, $\frac{H}{R}$, &c. erunt infinitæ; eaque propter & $\frac{F+G+H+\&c.}{P+Q+R+\&c.}$ infinita, h. e. omnes ſimul termini intra maximum M & limitem L contenti infinities majores erunt totidem ſimul terminis extra L porrectis ipſi L proximis. Et quoniam numerus omnium terminorum extra limitem L numerum omnium intra eundem & maximum M non niſi $s-1$ (h. e. non niſi finitis) vicibus ſuperat, per 1. Lem. ipſique inſuper termini eo minores evadunt, quo ſunt à limite remotiores, per 1. part. 3. Lem. idcirco termini ſimul omnes intra M & L (etiam non computato M) omnes ſimul terminos extra L adhuc infinities ſuperabunt. Similiter autem oſtendetur ab altera parte, quòd omnes intra M & Λ concluſi termini omnes extra Λ porrectos (quorum numerus priorum numerum per Lem. 1. non niſi $r-1$ vicibus excedit) infinities ſuperant. Quare denique omnes termini inter utrumque limitem L & Λ comprehensi (demto licet maximo M) omnes omninò terminos extra poſitos itidem infinities ſuperabunt. Ergo multo magis unà cum maximo. Q. E. D.

Schol. Objici poſſet contra 4 & 5tum Lema, ab his qui ſpeculationibus infiniti non aſſueverunt, quòd etiamsi in caſu numeri n infiniti factores quantitatum, quæ rationes $\frac{M}{L}$ & $\frac{M}{\Lambda}$ exprimunt, $nr \mp n \mp 1, 2, 3,$ &c. & $ns \mp n \mp 1, 2, 3,$ &c. tantundem valent ac $nr \mp n$ & $ns \mp n$, evaneſcentibus ratione ſingulorum factorum numeris 1, 2, 3, &c. fieri tamen poſſit, ut omnes collecti vel in ſe ducti (propter infinitum factorum numerum) in infinitum excreſcant, adeoque rationem infinituplicatam rationis $\frac{rs+s}{rs-r}$ aut $\frac{rs+r}{rs-s}$ infinitè diminuant, h. e. finitam reddant. Cui ſcrupulo melius ſatisfacere non poſſum, quàm ſi nunc porro modum oſtendam aſſignandi, reapſe finitum numerum n, ſive finitam poteſtatem binomii, in qua ſumma terminorum intra limites L & Λ ad ſummam terminorum extra, rationem habeat data ratione quantumvis magna, quam litera c deſignò, majorem; utpote quo oſtenſo objectionem ultrò corruere neceſſe eſt.

Hunc in finem assumo rationem quamlibet majoris inæqualitatis, quæ tamen sit minor ratione $\frac{rs+s}{rs-r}$ (pro terminis ad partem sinistram) puta rationem $\frac{rs+s}{rs}$ seu $\frac{r+1}{r}$, eamque toties (m vicibus) multiplico, quoad æquet vel superet rationem $c.\overline{s-1}$ ad 1, hoc est, ut sit $\frac{\overline{r+1}^m}{r^m} \infty$ vel $> c.\overline{s-1}$. Quoties autem id fieri debeat, compendiosè investigatur per logarithmos; nam sumtis quantitatum logarithmis fit $mL\overline{r+1} - mLr \infty$ vel $> L\overline{c.\overline{s-1}}$, & divisione peracta statim habetur $m \underset{>}{\infty} \frac{L\overline{c.\overline{s-1}}}{L\overline{r+1}-Lr}$; quo invento sic pergo: In serie illa fractionum sive factorum, $\frac{nrs+ns}{nrs-nr+r} \cdot \frac{nrs+ns-s}{nrs-nr+2r} \cdot \frac{nrs+ns-2s}{nrs-nr+3r} \cdot\cdot\cdot\cdot\cdot \frac{nrs+s}{nrs}$, è quorum ductu per Lem. 4. resultat ratio $\frac{M}{L}$, observare licet, quòd singulæ fractiones sint minores quàm $\frac{rs+s}{rs-r}$, ita tamen ut ad hanc continuè propius accedant, quo major sumitur n: itaque quælibet earum aliquando fiet æqualis ipsi $\frac{rs+s}{rs} \infty \frac{r+1}{r}$; Quare videndum, quantus sit accipiendus valor n, ut fractio (cujus numerus ordinis est m) æquetur ipsi $\frac{r+1}{r}$. Est verò (ut ex progressionis lege perspicuum fit) fractio ordine m hæc: $\frac{nrs+ns-ms+s}{nrs-nr+mr}$, quæ adæquata fractioni $\frac{r+1}{r}$, dat $n \infty m + \frac{ms-s}{r+1}$, & inde $nt \infty mt + \frac{mst-st}{r+1}$. Dico, hunc esse indicem potestatis, ad quam si elevetur binomium $r+s$, futurum ut terminus maximus M superet limitem L plus quàm $c.\overline{s-1}$ vicibus. Nam quia fractio ordine m per hanc assumtionem numeri n fit $\frac{r+1}{r}$, per hypoth. & verò $\frac{r+1}{r}$ fractio secum ipsa m vicibus multiplicata, h.e. $\frac{\overline{r+1}^m}{r^m}$, per constr. æquet vel superet $c.\overline{s-1}$,

fit ut

fit ut hæc fractio in omnes præcedentes fractiones ducta multo magis excedat $c.\overline{s-1}$; cùm singulæ præcedentium majores sint quàm $\frac{r+1}{r}$. Ergo magis adhuc superabit $c.\overline{s-1}$, quando ducitur una cum præcedentibus in omnes etiam consequentes, utpote quarum singulæ saltem æqualitatis rationem excedunt. Sed productum omnium harum fractionum rationem exhibet termini M ad L; igitur omnino constat, terminum M superare limitem L plus quàm $c.\overline{s-1}$ vicibus. Jam autem $\frac{M}{L} < \frac{F}{P} < \frac{G}{Q} < \frac{H}{R}$ &c. ut ostensum. Hinc multo magis secundus à maximo M secundum à limite L plus quàm $c.\overline{s-1}$ vicibus superabit, & magis adhuc tertius tertium, &c. Itaque tandem omnes termini intra maximum M & limitem L superant totidem è maximis extra hunc limitem plus quàm $c.\overline{s-1}$ vicibus; adeoque superant totidem illorum $s-1$ vicibus sumtos plus quàm c vicibus. Ergo multo evidentius superant omnes extra limitem L, quorum non nisi $s-1$ vicibus plures sunt, plus quàm c vicibus.

Pro terminis dextimis pari modo procedo: Assumo rationem $\frac{s+1}{s} < \frac{rs+r}{rs-s}$, & facio $\frac{\overline{s+1}^m}{s^m} \substack{\infty \\ >} c.\overline{r-1}$, invenioq; $m \substack{\infty \\ >} \frac{Lc.\overline{r-1}}{Ls+1-Ls}$. Deinde, in serie fractionum $\frac{nrs+nr}{nrs-ns+s}$. $\frac{nrs+nr-r}{nrs-ns+2s}$. $\frac{nrs+nr-2r}{nrs-ns+3s} \ldots\ldots \frac{nrs+r}{nrs}$, quæ rationem $\frac{M}{\Lambda}$ innuit, pono fractionem, quæ ordine est m, nempe $\frac{nrs+nr-mr+r}{nrs-ns+ms} \infty \frac{s+1}{s}$, indeque elicio $n \infty m + \frac{mr-r}{s+1}$, ac proin $nt \infty mt + \frac{mrt-rt}{s+1}$. Quo facto similiter ostendetur, ut antea, quòd binomio $r+s$ ad hanc potestatem sublato, terminus ejus maximus M superabit limitem Λ plus quàm $c.\overline{r-1}$ vicibus & per consequens etiam, quòd omnes maximo M & limite Λ conclusi superabunt omnes extra hunc limitem, quorum non nisi $r-1$ vicibus plures sunr, plus quam c vicibus. Itaque finaliter tandem concludimus, quòd elevato binomio $r+s$ ad potestatem, cujus index æquetur majori harum duarum quantitatum $mt + \frac{mst-st}{r+1}$

$\frac{mst - st}{r + 1}$ & $mt + \frac{mrt - rt}{s + 1}$, omnes simul termini inter utrumque limitem L & Λ comprehensi multo pluribus quàm c vicibus superabunt omnes simul terminos extra limites ab utraque parte protensos. Reperta igitur est finita potestas, quæ optatam habeat proprietatem. Q. E. F.

Propos. Princip. Sequitur tandem Propositio ipsa, cujus gratia hæc omnia dicta sunt, sed cujus nunc demonstrationem sola Lemmatum præmissorum applicatio ad præsens institutum absolvet. Ut circumlocutionis tædium vitem, vocabo casus illos, quibus eventus quidam contingere potest, *fœcundos* seu *fertiles*; & *steriles* illos, quibus idem eventus potest non contingere: nec non experimenta *fœcunda* sive *fertilia* illa, quibus aliquis casuum fertilium evenire deprehenditur; & *infœcunda* sive *sterilia*, quibus sterilium aliquis contingere observatur. Sit igitur numerus casuum fertilium ad numerum sterilium vel præcisè vel proximè in ratione $\frac{r}{s}$, adeoque ad numerum omnium in ratione $\frac{r}{r+s}$ seu $\frac{r}{t}$, quam rationem terminent limites $\frac{r+1}{t}$ & $\frac{r-1}{t}$. Ostendendum est, tot posse capi experimenta, ut datis quotlibet (puta c) vicibus verisimilius evadat, numerum fertilium observationum intra hos limites quàm extra casurum esse, h. e. numerum fertilium ad numerum omnium observationum rationem habiturum nec majorem quàm $\frac{r+1}{t}$, nec minorem quàm $\frac{r-1}{t}$.

Dem. Ponatur numerus capiendarum observationum nt, & quæratur, quanta sit expectatio, seu quanta probabilitas, ut omnes existant fœcundæ, exceptis primo nulla, dein una, duabus, 3, 4 &c. sterilibus. Quandoquidem autem in qualibet observatione præsto sunt ex hyp. t casus, eorumque r fœcundi & s steriles, & singuli casus unius observationis cum singulis alterius combinari, combinatique rursus cum singulis tertiæ, 4^tæ &c. conjungi possunt, facile patet, huic negotio quadrare Regulam Annotationibus Prop. XIII.

XIII. primæ Part. in fine ſubnexam, & ejus Corollarium ſecundum, quod univerſalem formulam continet, cujus ope cognoſcitur, quòd expectatio ad nullam obſervationem ſterilem ſit $r^{nt} : t^{nt}$, ad unam $\frac{nt}{1} r^{nt-1} s : t^{nt}$, ad duas ſteriles $\frac{nt \,.\, \overline{nt-1}}{1 \,.\, 2} r^{nt-2} ss : t^{nt}$, ad tres $\frac{nt \,.\, \overline{nt-1} \,.\, \overline{nt-2}}{1 \,.\, 2 \,.\, 3} r^{nt-3} s^3 : t^{nt}$; & ſic deinceps; adeoque (rejecto communi nomine t^{nt}) quod gradus probabilitatum ſeu numeri caſuum, quibus contingere poteſt, ut omnia experimenta ſint fœcunda, vel omnia præter unum ſterile, vel omnia præter duo, 3, 4 &c. ſterilia, ordine exprimantur per r^{nt}, $\frac{nt}{1} r^{nt-1} s$, $\frac{nt \,.\, \overline{nt-1}}{1 \,.\, 2} r^{nt-2} ss$, $\frac{nt \,.\, \overline{nt-1} \,.\, \overline{nt-2}}{1 \,.\, 2 \,.\, 3} r^{nt-3} s^3$, &c. ipſiſſimos nempe terminos poteſtatis nt binomii $r + s$, in Lemmatis modo noſtris excuſſæ: unde jam cætera omnia oppido manifeſta ſunt. Patet enim ex progreſſionis natura, quòd numerus caſuum, qui cum ns ſterilibus experimentis nr fœcunda adducunt, ſit ipſe terminus maximus poteſtatis M, utpote quem ns termini præcedunt, & nr ſequuntur, per Lem. 3. item, quòd numeri illorum caſuum, quibus aut $nr + n$ aut $nr - n$ experimentis fœcundis cæterisque ſterilibus eſſe contingit, exhibeantur per terminos poteſtatis L & Λ, quippe intervallo n terminorum à maximo M utrinque diſtantes; & per conſequens etiam, quòd ſumma caſuum, quibus non pluribus experimentis quàm $nr + n$, nec paucioribus quàm $nr - n$ fœcundis eſſe contingit, exprimatur per ſummam terminorum poteſtatis intra limites L & Λ comprehenſorum; ſumma reliquorum caſuum, quibus aut plura aut pauciora experimenta fœcunda redduntur, per cæterorum terminorum limites hos L & Λ excedentium ſummam expreſſa. Quare cùm tanta ſumi poſſit poteſtas binomii, ut ſumma terminorum utroque limite L & Λ incluſorum pluribus quàm c vicibus ſuperet ſummam cæterorum limites hos excedentium, per Lem. 4. & 5. ſequitur etiam, capi poſſe tot obſervationes, ut ſumma caſuum, quibus numero fertilium obſervationum ad numerum omnium rationem habere contingit, non excedentem limites $\frac{nr + n}{nt}$ & $\frac{nr - n}{nt}$,

$\frac{nr-n}{nt}$, seu $\frac{r+1}{t}$ & $\frac{r-1}{t}$, pluribus quàm c vicibus superet summam casuum reliquorum; h. e. ut pluribus quàm c vicibus probabilius reddatur, rationem numeri observationum fertilium ad numerum omnium intra hos limites $\frac{r+1}{t}$ & $\frac{r-1}{t}$, quàm extra casuram esse. Quod demonstrandum erat.

In speciali autem horum applicatione ad numeros satis per se patet, quòd quo majores in eadem ratione assumuntur numeri r, s & t, eo arctius quoque constringi possunt limites $\frac{r+1}{t}$ & $\frac{r-1}{t}$ rationis $\frac{r}{s}$. Idcirco si ratio inter numeros casuum $\frac{r}{s}$, per experimenta determinanda, sit ex. gr. sesquialtera, pro r & s non pono 3 & 2, sed 30 & 20, vel 300 & 200 &c. sufficiat posuisse $r \infty 30$, $s \infty 20$, & $t \infty r+s \infty 50$, ut limites fiant $\frac{r+1}{t} \infty \frac{31}{50}$, & $\frac{r-1}{t} \infty \frac{29}{50}$; & statuatur insuper $c \infty 1000$: sic fiet ex Scholii præscripto, pro terminis ad

sinistram:

$$m > \frac{\overline{Lc.\overline{s-1}}}{L\overline{r+1}-Lr} \infty \frac{4.2787536}{142405} < 301$$

$$nt \infty mt + \frac{mst-st}{r+1} < 24728$$

dextram:

$$m > \frac{\overline{Lc.\overline{r-1}}}{L\overline{s+1}-Ls} \infty \frac{4.4623980}{211893} < 211.$$


$$nt \infty mt + \frac{mrt-rt}{s+1} \infty 25550.$$

Unde per ibi demonstrata infertur, quòd institutis 25550 experimentis multo plus millies verisimilius sit, rationem quam numerus fertilium observationum obtinebit ad numerum omnium, intra hos limites $\frac{31}{50}$ & $\frac{29}{50}$ casuram, quàm extra. Atque eodem pacto, posita $c \infty 10000$, aut $c \infty 100000$ &c. cognoscetur, idem plus decies millies probabilius fore, si fiant experimenta 31258; & plus quàm centies millies,

millies, ſi capiantur 36966, &c. & ſic porrò in infinitum, additis nempe continuo ad 25550 aliis 5708 experimentis. Unde tandem hoc ſingulare ſequi videtur, quòd si eventuum omnium obſervationes per totam æternitatem continuarentur, (probabilitate ultimo in perfectam certitudinem abeunte) omnia in mundo certis rationibus & conſtanti viciſſitudinis lege contingere deprehenderentur; adeo ut etiam in maximè caſualibus atque fortuitis quandam quaſi neceſſitatem, &, ut ſic dicam, fatalitatem agnoſcere teneamur; quam neſcio annon ipſe jam Plato intendere voluerit, ſuo de univerſali rerum apocataſtaſi dogmate, ſecundum quod omnia poſt innumerabilium ſeculorum decurſum in priſtinum reverſura ſtatum prædixit.



TRACTATUS
DE
SERIEBUS INFINITIS
Earumque
Summa Finita,
ET
Uſu in Quadraturis Spatiorum
& Rectificationibus Curvarum.



PRAEFATIO.



Um non ita pridem in Serierum Infinitarum ſpeculationem incidiſſem, prima, cujus ſumma poſt Geometricam Progreſſionem ab aliis jam tractatam mihi ſeſe offerebat, erat ſeries fractionum, quarum denominatores Geometrica, numeratores Arithmetica progreſſione creſcunt: quod cum Fratri indicaſſem, non tantum mox idem adinvenit ille, ſed & præterea novæ cujusdam fractionum ſeriei, cujus denominatores Trigonalium, ut vocantur, numerorum dupli erant, ſummam perveſtigavit; quam vero & ipſe, cum ſignificaſſet, poſtridie detexi, propoſitis ei viciſſim aliis nonnullis, quæ interea, ut clavus clavum trudere ſolet, occaſione hac repereram. Quibus inventis certatim alter alterum ſic exercuimus, ut paucorum dierum ſpatio non tantum ſerierum illarum, quas Celeb. Leibnitius in Actis Erud. Lipſ. Anno 1682. M. Febr. & 1683. M. Octob. recenſet, nosque paulo antea mirati fuimus, ſummas dare poſſemus, ſed & plura alia eaque non contemnenda ex gemino duntaxat fundamento invenerimus, quorum unum conſiſtit in reſolutione ſeriei in alias infinitas ſeries, alterum in ſubductione ſeriei uno alterove termino mutilatæ à ſeipſa integra. Horum vero præcipua (cum eorum nihil apud hos quos legi hactenus, publicatum viderim) enucleanda

anda proponam, præmiſſis nonnullis, quæ paſſim apud aliòs quoque vulgatæ proſtant, Propoſitionibus, ne illas aliunde petere opus eſſet. Cæterum quantæ ſit neceſſitatis pariter & utilitatis hæc ſerierum contemplatio, ei ſane ignotum eſſe non poterit, qui perſpectum habuerit, ejusmodi ſeries ſacram quaſi eſſe anchoram, ad quam in maxime arduis & deſperatæ ſolutionis Problematibus, ubi omnes alias humani ingenii vires naufragium paſſæ, velut ultimi remedii loco confugiendum eſt.

Axiomata ſeu Poſtulata.

1. OMne quantum eſt diviſibile in partes ſe minores.

2. Omni quantitate finita poteſt accipi major.

3. Si quantitas quæpiam multata parte ſui aliqua ſubtrahitur à ſeipſa integra, relinquitur illa pars.

PROPOSITIONES:

I. *Quod data quavis quantitate minus eſt, illud eſt non-quantum ſeu nihil.*

Dem. Nam ſi quantum eſſet, dividi poſſet in partes ſe minores, per Axiom. 1. non igitur eſſet data quavis quantitate minus, contra hyp.

II. *Quod data quavis quantitate majus eſt, infinitum eſt.*

Nam ſi finitum eſſet, illo poſſet accipi quantitas major, per Ax. 2. non igitur quavis data quantitate foret majus, contra hyp.

III. *Omnis Progreſſio Geometrica continuari poteſt per terminos infinitos.*

Semper enim fieri poteſt: Ut primus terminus ad ſecundum, ſic poſtremus ad ſequentem, & ſequens ad alium & alium ſine fine in infinitum; quorum quidem terminorum nullus æquari poteſt vel nihilo vel infinito, cum ſecus ad illum præcedens eam rationem habere non poſſet, quam habet primus ad ſecundum, contr. defin. progr.

IV. *Si ſit Progreſſio Geometrica quæcunque* A, B, C, D, E; *& alia Arithmetica totidem terminorum* A, B, F, G, H, *incipiens ab iisdem terminis* A *&* B,

& B, erunt reliquorum singuli in Geometrica singulis ordine sibi respondentibus in Arithmetica majores, tertius tertio, quartus quarto, ultimus ultimo, adeoque omnes omnibus.

Quia enim $A . B :: B . C :: C . D :: D . E$. erit per 25. 5. Eucl. tum $A + C > 2B \infty$ (ex nat. Progr. Arith.) $A + F$; unde $C > F$: tum $A + D > B + C > B + F \infty A + G$; unde $D > G$: tum $A + E > B + D > B + G \infty A + H$; unde $E > H$. Quæ erant demonstr.

V. *In progressione Geometrica crescente* A, B, C, D, E *perveniri tandem potest ad terminum* E *quovis dato* Z *majorem.*

Incipiat ab iisdem terminis Progressio Arithm. A, B, F, G, H, continuata quousque ultimus H superet Z (id enim fieri posse claret,) tum vero continuetur Geometrica per terminos totidem, eritque per præced. postremus $E > H > Z$. Q. E. D.

Coroll. Hinc in Progr. Geom. crescente infinitorum terminorum postremus terminus est ∞, per Prop. II. (∞ est Nota Infiniti.)

VI. *In Progress. Geometr. decrescente* A, B, C, D, E *pervenitur tandem ad terminum* E *quovis dato* Z *minorem.*

Constituatur Progressio ascendens Z, Y, X, V, T, in ratione B ad A, quousque ultimus terminus T superet A, (quod fieri posse per præced. constat;) tum continuetur altera descendendo per totidem terminos A, B, C, D, E; eritque ultimus $E <$ dato Z. Quia enim Progressiones A, B, C, D, E, & T, V, X, Y, Z, per eandem rationem A ad B progrediuntur, & terminos numero æquales habent, erit ex æquo $A . E :: T . Z$. sed $A < T$, per constr. Ergo & $E < Z$. Q. E. D.

Coroll. Hinc in Progr. Geomet. decrescente in infinitum continuata ultimus terminus est o, per Prop. I.

VII. *In omni Progr. Geom.* A, B, C, D, E, *primus terminus est ad secundum, sicut summa omnium excepto ultimo ad summam omnium excepto primo.* (A . B :: A+B+C+D. B+C+D+E.)

Quia enim $A . B :: B . C :: C . D :: D . E$. erit per 12. 5. Eucl. $A . B :: A + B + C + D . B + C + D + E$. Q. E. D.

VIII. *Progressionis Geom. cujuscunque* A, B, C, D, E, *summam* S *invenire.*

Per præc. est $A . B :: S - E . S - A$; quare convertendo $A . A = B :: S - E . A = E$; unde $S - E \infty \frac{A \text{ in } A = E}{A = B}$, & $S \infty \frac{A \text{ in } A = E}{A = B} + E$. (= denotat differen-

differentiam duarum quantitatum, quibus interferitur, cum non definitur, penes utram fit excessus.)

Coroll. Si Progressio Geometr. descendendo continuetur in infinitum, adeoque ultimus terminus per Coroll. VI. evanescat, erit summa omnium $\frac{Aq}{A-B}$: unde liquet, quo pacto infiniti etiam termini finitam summam constituere possunt.

IX. *Si Series infinita continuè proportionalium* A, B, C, D, E, *&c. decrescat in ratione* A *ad* B, *erunt summæ omnium terminorum, omnium demto primo, omnium demtis duobus primis, &c. etiam continuè proportionales, & quidem in eadem ratione* A *ad* B.

Quoniam $A . B :: B . C :: C . D$, erit tum $Aq . Bq :: Bq . Cq$: tum etiam $A . B :: A-B . B-C :: B-C . C-D$, quare dividendo rationes æquales per æquales, $\frac{Aq}{A-B} . \frac{Bq}{B-C} :: \frac{Bq}{B-C} . \frac{Cq}{C-D}$, hoc est per Cor. præced. Summa omnium ad omnes sequentes primum, ut hi ad omnes sequentes secundum. Q. E. D. Et proinde per 19. 5. Eucl. summa omnium ad omnes sequentes primum, ut primus ad secundum. Q. E. D.

X. *Seriei infinitæ fractionum*, $\frac{a}{b}$, $\frac{a+c}{b+d}$, $\frac{a+2c}{b+2d}$, $\frac{a+3c}{b+3d}$, *&c quarum numeratores & denominatores crescunt Progressione Arithmet. ultimus terminus est fractio* $\frac{c}{d}$, *cujus numerator & denominator sunt communes progressionum differentiæ.*

Ad hoc analyticè investigandum consideretur quæsitus terminus ut cognitus, & vocetur t; numerus vero termini ut quæsitus, & dicatur n; eritque ex generatione progressionis terminus optatus $t \propto \frac{a+nc-c}{b+nd-d}$, ideoque $n \propto 1 + \frac{bt-a}{c-dt}$, quod æquari debet infinito: & quia numerator hujus fractionis est finitus (nam infinitus esse non potest, aliàs t deberet esse $\propto \infty$; ideoque esset d, ipsaque adeo fractio negativa quantitas, quod absurdum,) oportet ut denominator sit æqualis nihilo, ac proinde $c \propto dt$, & $t \propto \frac{c}{d}$. Q. E. D.

Brevius ita: Ex seriei genesi patet, terminum infinitesimum esse $\frac{a+\infty c}{b+\infty d} \propto \frac{\infty c}{\infty d} \propto \frac{c}{d}$. Q. E. D.

Coroll. Summa omnium terminorum, sive ultimus primo major

ſit minorve, neceſſario infinita eſt; infiniti enim termini minori horum duorum æquales infinitam dant ſummam: Unde à fortiori, &c.

XI. *Fractionis ad aliam ratio compoſita eſt ex ratione directa numeratorum & reciproca denominatorum.*

Nam $\frac{A}{B} . \frac{C}{D} :: \frac{AD}{BD} . \frac{BC}{BD} :: AD . BC :: A . C + D . B$. Q. E. D.

XII. *In ſerie fractionum, quarum numeratores creſcunt Progreſſione Arith. denominatores Geometrica, aut vice verſa, ut* $\frac{A}{F} . \frac{A+C}{G} . \frac{A+2C}{H} . \frac{A+3C}{I}$, aut $\frac{F}{A} . \frac{G}{A+C} . \frac{H}{A+2C} . \frac{I}{A+3C}$: *Si* N *nomen ordinis ultimi termini ad unitatem majorem rationem habeat, quam* G *ad* G − F, *erit ille terminus ibi ſequenti major, hîc minor.*

1. *Hyp.* Quia $N . 1 . > G . G-F$, erit convertendo $N . N-1 < G . F$, & $CN . CN-C < G . F$. Ergo $CN-C : in\, G > CN\, in\, F$, ergo fortius (ob $AG > AF$) $A+NC-C : in\, G > A+CN : in\, F$, hoc eſt, Numerator termini N in $G >$ Numeratore termini ſequentis in F: Sed ita ſe habet terminus N ad terminum ſequentem, per præced. Quare terminus N major ſequenti, & ita deinceps ab illo omnes. Q. E. D.

2. *Hyp.* Inverſis invertendis eodem modo demonſtratur.

XIII. *Si infinitæ ſint fractiones* $\frac{A}{B} . \frac{C}{D} . \frac{E}{F} . \frac{G}{H} . \frac{I}{L} . \frac{M}{N} . \frac{O}{P}$. *&c. quarum numeratores creſcant progr. Arithm. & denominatores Geom. erit ultimus terminus* o; *ſin illi creſcant Geometr. hi Arithm. erit ultimus* ∞.

1. *Hyp.* Si primus terminus ſecundo non ſit major, continuari ſaltem poterit Progreſſio, quouſque præcedens ſuperet ſequentem, per præced. Eſto $\frac{G}{H} > \frac{I}{L}$, & ſint infiniti continuè proportionales G, I, Q, R, &c. unde propter $H, L, N, P \div\!\!\div$ erunt & ipſæ fractiones $\frac{G}{H} . \frac{I}{L} . \frac{Q}{N} . \frac{R}{P}$ &c. $\div\!\!\div$ quæ ob $\frac{G}{H} > \frac{I}{L}$. in nihilum tandem abeunt per Cor. VI. Quare cum $Q > M$, $R > O$, &c. per IV. multo magis $\frac{G}{H} . \frac{I}{L} . \frac{M}{N} . \frac{O}{P}$, &c. in nihilum abibunt. Q. E. D.

2. *Hyp.* Niſi primus ſecundo minor ſit, continuetur progreſſio, quouſque præcedens ſequenti minor fiat, per præced. Eſto $\frac{G}{H} < \frac{I}{L}$,

& ſint

& ſint infiniti H, L, S, T, &c. $\div$ unde propter G, I, M, O, &c. $\div$, & ipſæ fractiones $\frac{G}{H}, \frac{I}{L}, \frac{M}{S}, \frac{O}{T}$, &c. proportionales erunt, quæ ob $\frac{G}{H} < \frac{I}{L}$ in infinitum deſinunt per Cor. V. Quare cùm $S > N$, $T > P$, &c. per IV. multo magis $\frac{G}{H}, \frac{I}{L}, \frac{M}{N}, \frac{O}{P}$, &c. in infinitum excreſcent. Q. E. D.

XIV. *Invenire ſummam ſeriei infinitæ fractionum, quarum denominatores creſcunt progreſſione Geometrica quacunque, numeratores verò progrediuntur vel juxta numeros naturales* 1, 2, 3, 4, *&c. vel trigonales* 1, 3, 6, 10, *&c. vel pyramidales* 1, 4, 10, 20, *&c. aut juxta quadratos* 1, 4, 9, 16, *&c. aut cubos* 1, 8, 27, 64, *&c. eorumve æquemultiplices.*

1. *Si Numeratores progrediuntur juxta numeros naturales:*

Summa invenitur, reſolvendo ſeriem propoſitam A in alias infinitas ſeries B, C, D, E, &c. quæ ſingulæ geometricè progrediuntur, quarumque ſummæ (ſi primam hîc excipias) novam Geometricam progreſſionem F conſtituunt per IX. cujus quidem, uti cæterarum, ſumma per Coroll. VIII. reperitur. En operationem:

$$A \infty \frac{a}{b} + \frac{a+c}{bd} + \frac{a+2c}{bdd} + \frac{a+3c}{bd^3} \text{ \&c.} \infty B + C + D + E + \text{\&c.}$$

$$B \infty \frac{a}{b} + \frac{a}{bd} + \frac{a}{bdd} + \frac{a}{bd^3} \text{ \&c.} \infty \frac{ad}{bd-b}$$

$$C \infty . + \frac{c}{bd} + \frac{c}{bdd} + \frac{c}{bd^3} \text{ \&c.} \infty \frac{c}{bd-b}$$

$$D \infty \dots + \frac{c}{bdd} + \frac{c}{bd^3} \text{ \&c.} \infty \frac{c}{bdd-bd}$$

$$E \infty \dots\dots + \frac{c}{bd^3} \text{ \&c.} \infty \frac{c}{bd^3-bdd}$$

$$\text{\&c.} \infty \dots\dots\dots \text{ \&c.} \infty \text{ \&c.}$$

$F \infty \frac{cd}{b \text{ in } Q: d-1}$ cui additus primus terminus $\frac{ad}{bd-b}$ producit totius propoſitæ ſeriei A

$$\frac{ad}{b \text{ in } d-1} + \frac{cd}{b \text{ in } Q: d-1} \infty \text{ ſummam.}$$

2. *Si Numeratores ſunt juxta Trigonales:*

Series propoſita G reſolvenda eſt in aliam H, cujus numeratores ſint juxta præcedentem hypotheſin, hoc modo:

G ∞

$$G \infty \frac{c}{b} + \frac{3c}{bd} + \frac{6c}{bdd} + \frac{10c}{bd3} \text{ \&c.}$$

$$\begin{array}{r} \frac{c}{b} + \frac{c}{ba} + \frac{c}{bdd} + \frac{c}{bd3} \text{ \&c. } \infty \frac{cd}{bd-b} \\ + \frac{2c}{bd} + \frac{2c}{bdd} + \frac{2c}{bd3} \text{ \&c. } \infty \frac{2c}{bd-b} \\ + \frac{3c}{bdd} + \frac{3c}{bd3} \text{ \&c. } \infty \frac{3c}{bdd-bd} \\ + \frac{4c}{bd3} \text{ \&c. } \infty \frac{4c}{bd3-bdd} \\ \text{\&c. } \infty \text{ \&c.} \end{array}$$

$H \infty \frac{cd3}{b \text{ in } C : d-1}$ quandoquidem hæc ſeries ad præced. $\frac{c}{bd} + \frac{2c}{bdd} + \frac{3c}{bd3}$ &c. $\infty \frac{cd}{b \text{ in } Q : d-1}$ ſe habeat ut dd ad $d-1$.

3. *Si Numeratores ſunt juxta Pyramidales :*

Series reſolvitur in aliam, cujus numeratores progrediuntur juxta Trigonales, quæque ad præcedentem ſeriem ſe habet, ut d ad $d-1$; unde ſumma ejus invenitur $\infty \frac{cd4}{b \text{ in } QQ : d-1}$. Generaliter, ſi propoſitæ ſeriei numeratores ſint juxta figuratos cujuslibet gradus, ejus ſumma ſe habebit ad ſummam ſimilis ſeriei gradus præcedentis, ut d ad $d-1$: unde reliquarum omnium ſummam invenire proclive admodum eſt.

4. *Si Numeratores ſunt juxta Quadratos :*

Series *L* reſolvitur in aliam *M*, cujus numeratores ſunt Arithmeticè progreſſionales, adeoque juxta primam hypotheſin:

$$L \infty \frac{c}{b} + \frac{4c}{bd} + \frac{9c}{bdd} + \frac{16c}{bd3} \text{ \&c.}$$

$$\begin{array}{r} \frac{c}{b} + \frac{c}{bd} + \frac{c}{bdd} + \frac{c}{bd3} \text{ \&c. } \infty \frac{cd}{b:d-b} \\ + \frac{3c}{bd} + \frac{3c}{bdd} + \frac{3c}{bd3} \text{ \&c. } \infty \frac{3c}{bd-b} \\ + \frac{5c}{bdd} + \frac{5c}{bd3} \text{ \&c. } \infty \frac{5c}{bdd-bd} \\ + \frac{7c}{bd3} \text{ \&c. } \infty \frac{7c}{bd3-bdd} \\ \text{\&c. } \infty \text{ \&c.} \end{array}$$

$M \infty \frac{cdd}{b \text{ in } Q:d-1} + \frac{2cd}{b \text{ in } C:d-1} \infty \frac{cd3 + cdd}{b \text{ in } C : d-1}$.

5. *Si Numeratores ſunt juxta Cubos :*

Series reſolvitur in aliam, cujus numeratores ſunt Trigonalium ſextupli unitate aucti; unde ejus ſumma juxta ſecundam hypotheſin

ſin invenitur $\frac{cdd}{b \text{ in } Q:d-1} + \frac{6cd3}{b \text{ in } QQ:d-1} \infty \frac{cd4 + 4cd3 + cdd}{b \text{ in } QQ:d-1}$, Exempli loco ſint ſeries ſequentes, Numeratorum

Naturalium	$\frac{1}{2} + \frac{2}{4} + \frac{3}{8} + \frac{4}{16} + \frac{5}{32}$ &c. ∞ 2
Trigonalium	$\frac{1}{2} + \frac{3}{4} + \frac{6}{8} + \frac{10}{16} + \frac{15}{32}$ &c. ∞ 4
Pyramidalium	$\frac{1}{2} + \frac{4}{4} + \frac{10}{8} + \frac{20}{16} + \frac{35}{32}$ &c. ∞ 8
Quadratorum	$\frac{1}{2} + \frac{4}{4} + \frac{9}{8} + \frac{16}{16} + \frac{25}{32}$ &c. ∞ 6
Cuborum . .	$\frac{1}{2} + \frac{8}{4} + \frac{27}{8} + \frac{64}{16} + \frac{125}{32}$ &c. ∞ 26

Coroll. Patet, in omnibus hujusmodi ſeriebus poſtremos terminos in nihilum deſinere, & evaneſcere debere (quod ipſum jam præced. Propoſ. de earum una ex abundanti oſtendimus;) cùm alias illarum ſummæ finitæ eſſe non poſſent.

XV. *Invenire ſummam ſeriei infinitæ fractionum* R, *quarum numeratores conſtituunt ſeriem æqualium, denominatores vero Trigonalium, eorumve æque-multiplicium.*

Si à ſerie harmonicè proportionalium *N*, eademmet multata primo termino *P* ſubtrahatur, exoritur nova ſeries *Q*, cujus denominatores Trigonalium dupli ſunt, cujusque adeo ſumma æqualis erit ipſi primo termino ſeriei Harmonicæ *N*, per Ax. 3.

Operatio talis: A ſerie N $\infty \frac{a}{c} + \frac{a}{2c} + \frac{a}{3c} + \frac{a}{4c} + \frac{a}{5c}$ &c.

ſubtracta ſeries	P $\infty \frac{a}{2c} + \frac{a}{3c} + \frac{a}{4c} + \frac{a}{5c} + \frac{a}{6c}$ &c. ∞ N $- \frac{a}{c}$
relinquit ſeriem	Q $\infty \frac{a}{2c} + \frac{a}{6c} + \frac{a}{12c} + \frac{a}{20c} + \frac{a}{30c}$ &c. $\infty \frac{a}{c}$
cujus duplum	R $\infty \frac{a}{c} + \frac{a}{3c} + \frac{a}{6c} + \frac{a}{10c} + \frac{a}{15c}$ &c. $\infty \frac{2a}{c}$

ſeries ſcil. fractionum propoſita, quarum denominatores ſunt numeri Trigonales, eorumve æque-multiplices.

Obſervandum tamen, non ſine cautela hac utendum eſſe methodo: Nam ſi à ſequente ſerie *S* eadem demto primo termino *T* ſubtrahatur, prodibit ſeries *Q*, quæ antea; nec tamen inde ſequitur, ſummam ſeriei *Q*, æqualem eſſe primo termino ſeriei *S* $\infty \frac{2a}{c}$. Cujus rei ratio eſt, quòd, ſi à ſerie *S* ſubtrahitur ſeries terminorum

minorum totidem T, in qua singuli termini postremum præcedentes singulos primum consequentes in altera destruunt, residuum, hoc est resultans series Q, evidenter debet adæquari primo termino seriei S minus ultimo ipsius T; adeoque ipsi primo seriei S absolutè æqualis esse nequit, nisi tum cùm ultimus ipsius T in nihilum desinit, uti quidem desinere perspicuum est in serie P vel N: at non evanescit pariter in serie T vel S, verum est $\infty \frac{a}{c}$, per X. Quin itaque potius summa seriei $Q \infty \frac{2a}{c} - \frac{a}{c} \infty \frac{a}{c}$, ut suprà.

$$S \infty \frac{2a}{c} + \frac{3a}{2c} + \frac{4a}{3c} + \frac{5a}{4c} + \frac{6a}{5c} \text{ \&c.}$$
$$T \infty \frac{3a}{2c} + \frac{4a}{3c} + \frac{5a}{4c} + \frac{6a}{5c} + \frac{7a}{6c} \text{ \&c.}$$
$$Q \infty \frac{a}{2c} + \frac{a}{6c} + \frac{a}{12c} + \frac{a}{20c} + \frac{a}{30c} \text{ \&c.} \infty \frac{2a}{c} - \frac{a}{c} \infty \frac{a}{c}.$$

XVI. *Summa seriei infinitæ harmonicè progressionalium*, $\frac{1}{1} + \frac{1}{2} + \frac{1}{3} + \frac{1}{4} + \frac{1}{5}$ *&c. est infinita.*

Id primus deprehendit Frater: inventa namque per præced. summa seriei $\frac{1}{2} + \frac{1}{6} + \frac{1}{12} + \frac{1}{20} + \frac{1}{30}$, &c. visurus porrò, quid emergeret ex ista serie, $\frac{1}{2} + \frac{2}{6} + \frac{3}{12} + \frac{4}{20} + \frac{5}{30}$, &c. si resolveretur methodo Prop. XIV. collegit propositionis veritatem ex absurditate manifesta, quæ sequeretur, si summa seriei harmonicæ finita statueretur. Animadvertit enim,

Seriem A, $\frac{1}{2} + \frac{1}{3} + \frac{1}{4} + \frac{1}{5} + \frac{1}{6} + \frac{1}{7}$, &c. ∞ (fractionibus singulis in alias, quarum numeratores sunt 1, 2, 3, 4, &c. transmutatis) seriei B, $\frac{1}{2} + \frac{2}{6} + \frac{3}{12} + \frac{4}{20} + \frac{5}{30} + \frac{6}{42}$, &c. ∞ C + D + E + F, &c.

C. $\frac{1}{2} + \frac{1}{6} + \frac{1}{12} + \frac{1}{20} + \frac{1}{30} + \frac{1}{42}$, &c. ∞ per præc. $\frac{1}{1}$
D. . $+ \frac{1}{6} + \frac{1}{12} + \frac{1}{20} + \frac{1}{30} + \frac{1}{42}$, &c. ∞ C $- \frac{1}{2} \infty \frac{1}{2}$
E. . . $+ \frac{1}{12} + \frac{1}{20} + \frac{1}{30} + \frac{1}{42}$, &c. ∞ D $- \frac{1}{6} \infty \frac{1}{3}$
F. . . . . . $+ \frac{1}{20} + \frac{1}{30} + \frac{1}{42}$, &c. ∞ E $- \frac{1}{12} \infty \frac{1}{4}$
&c. ∞ &c.

$\Big\} \infty$ *G*; unde sequitur, seriem *G* ∞ *A*, totum parti, si summa finita esset.

Ego

Ego postmodum, cum indicasset, idem ostensivè hunc in modum: Summa seriei infinitæ harmonicæ $\frac{1}{1} + \frac{1}{2} + \frac{1}{3} + \frac{1}{4}$, &c. superat datum quemvis numerum. Ergo infinita est, per II. Esto datus numerus N quantumcunque magnus: Abscinde à principio seriei aliquot terminos, quorum summa æquet vel superet unam unitatem numeri N, & à serie reliqua iterum aliquos abscinde, quorum summa aliam unitatem numeri N superet, idque si fieri possit repete toties, quot in numero N sunt unitates; sic termini abscissi omnes superabunt totum numerum, multo magis igitur tota series eundem superabit. Si neges, abscissis aliquot reliquos unitatem superare posse, esto primus reliquorum, qui post abscissionem ultimam remanserunt, $\frac{1}{a}$, & sequentes $\frac{1}{a+1}, \frac{1}{a+2}, \frac{1}{a+3}$, &c. Constituatur ad duos primos terminos $\frac{1}{a}$ & $\frac{1}{a+1}$ Progressio Geometrica, cujus ideo singuli post secundum termini singulis respondentibus in Progressione Harmonica minores sunt ob denominatores majores, per IV. & continuetur hæc usque ad $\frac{1}{aa}$ (quod quidem fiet in terminis numero finitis propter a numerum finitum) eritque hæc series Geometrica finita ∞ 1, per VIII. Harmonica itaque terminorum totidem superabit unitatem. Q. E. D.

Coroll. 1. In proposita serie initio sumto à quolibet termino, erunt ab illo deinceps omnes, usque ad illum, cujus locus designatur per quadratum numeri ordinis primi termini, simul sumti unitate majores: sic termini à 2do ad 4^{tum} usque unitatem superant, hinc à 5to ad 25^{tum}, hinc à 26 ad 676 (*Q:* 26) hinc à 677 ad 458329 (*Q:* 677) &c. Nam in Geometrica progressione termini his limitibus intercepti unitatem æquant; ergo in Harmonica superant, ubi & plures intercipiuntur & majores; majores quidem uti vidimus; plures, quia denominatores terminorum, cùm sint minores quàm in Geometrica per IV. tardiùs illos limites assequuntur.

2. Patet, omnem aliam seriem harmonicam infinitam, summam quoque exhibere infinitam; ut ex. gr. si loco $\frac{1}{1} + \frac{1}{2} + \frac{1}{3} + \frac{1}{4}$ &c. proponatur $\frac{1}{1000} + \frac{1}{2000} + \frac{1}{3000} + \frac{1}{4000}$ &c. ubi singuli termini singulorum

gulorum ſibi reſpondentium in altera, adeoque & omnes omnium, ſunt ſubmillecupli: nam infiniti pars milleſima & ipſa infinita eſt.

3. Summa ſeriei infinitæ, cujus poſtremus terminus evaneſcit, quandoque finita eſt, quandoque infinita.

4. Sequitur etiam, ſi modo in Geometriam ſaltum facere permiſſum eſt, ſpatium Curva Hyperbolica & Aſymptotis comprehenſum infinitum eſſe: Secta intelligatur Aſymptotos linea à centro *A* in partes æquales infinitas in punctis *B*, *C*, *D*, *E*, &c. è quibus ad curvam educantur rectæ totidem alteri Aſymptotôn parallelæ *BM*, *CN*, *DO*, *EP*, &c. & compleantur parallelogramma *AM*, *BN*, *CO*, *DP*, &c. quæ ob baſium æqualitatem inter ſe erunt, ut altitudines, ſeu ut rectæ *BM*, *CN*, *DO*, *EP*, &c. hoc eſt, ut $\frac{1}{1}, \frac{1}{2}, \frac{1}{3}, \frac{1}{4}$, &c. ex natura Hyperbolæ; cum igitur ſumma $\frac{1}{1}+\frac{1}{2}+\frac{1}{3}+\frac{1}{4}$ &c. infinita oſtenſa ſit, erit & ſumma Parallelogrammorum *AM*, *BN*, *CO*, *DP*, &c. infinita, multoque magis ſpatium Hyperbolicum, quod Parallelogrammis illis circumſcriptum eſt.

XVII. *Invenire ſummam ſerierum Leibnitzianarum*, D. H. I. *aliarumque quarum denominatores ſunt numeri Quadrati aut Trigonales, minuti aliis Quadratis vel Trigonalibus.*

Cel. Leibnitius occaſione mirabilis ſuæ Quadraturæ Circuli in principio Actorum Lipſ. publicatæ, mentionem injicit ſummæ quarundam ſerierum infinitarum, quarum denominatores conſtituunt ſeriem quadratorum unitate minutorum, diſſimulato quo eam repererat artificio. En breviter totum myſterium:

A ſerie . . . . $A \infty \frac{1}{1}+\frac{1}{2}+\frac{1}{3}+\frac{1}{4}+\frac{1}{5}$ &c. ſubtrahatur ipſamet
demtis duobus
primis terminis, $B \infty \frac{1}{3}+\frac{1}{4}+\frac{1}{5}+\frac{1}{6}+\frac{1}{7}$ &c. $\infty A-\frac{1}{1}-\frac{1}{2}$

relinquitur $C \infty \frac{2}{3}+\frac{2}{8}+\frac{2}{15}+\frac{2}{24}+\frac{2}{35}$ &c. $\infty A-B \infty \frac{1}{1}+\frac{1}{2} \infty \frac{3}{2}$
& propterea $D \infty \frac{1}{3}+\frac{1}{8}+\frac{1}{15}+\frac{1}{24}+\frac{1}{35}$ &c. $\infty \frac{1}{2}C \infty \frac{3}{4}$

A ſerie . . . $E \infty \frac{1}{1}+\frac{1}{3}+\frac{1}{5}+\frac{1}{7}+\frac{1}{9}$ &c. ſubtrahatur eadem
demto primo
termino, ... $F \infty \frac{1}{3}+\frac{1}{5}+\frac{1}{7}+\frac{1}{9}+\frac{1}{11}$ &c. $\infty E-1$

relin-

relinquitur $G \infty \frac{2}{3}+\frac{2}{15}+\frac{2}{35}+\frac{2}{63}+\frac{2}{99}$ &c. $\infty\ E-F \infty 1$

& propterea . . $H \infty \frac{1}{3}+\frac{1}{15}+\frac{1}{35}+\frac{1}{63}+\frac{1}{99}$ &c. $\infty\ \frac{1}{2}G \infty \frac{1}{2}$,

& proinde etiam $I \infty \frac{1}{8}+\frac{1}{24}+\frac{1}{48}+\frac{1}{80}+\frac{1}{120}$ &c. $\infty\ D-H \infty \frac{3}{4}-\frac{1}{2} \infty \frac{1}{4}$

Quod ipsum quoque sic ostenditur:

A serie . . . $L \infty \frac{1}{2}+\frac{1}{4}+\frac{1}{6}+\frac{1}{8}+\frac{1}{10}$ &c. subtrahatur eadem demto primo termino, . . . $M \infty \frac{1}{4}+\frac{1}{6}+\frac{1}{8}+\frac{1}{10}+\frac{1}{12}$ &c. $\infty\ L-\frac{1}{2}$

relinquitur $N \infty \frac{2}{8}+\frac{2}{24}+\frac{2}{48}+\frac{2}{80}+\frac{2}{120}$ &c. $\infty\ L-M \infty \frac{1}{2}$

& proinde . . . $I \infty \frac{1}{8}+\frac{1}{24}+\frac{1}{48}+\frac{1}{80}+\frac{1}{120}$ &c. $\infty \frac{1}{2}N \infty \frac{1}{4}$, ut antea.

Memorabile autem prorsus est, quòd summa seriei D, $\frac{1}{3}+\frac{1}{8}+\frac{1}{15}+\frac{1}{24}+\frac{1}{35}+\frac{1}{48}+\frac{1}{63}$ &c. (cujus denominatores sunt numeri quadrati 4, 9, 16, 25, 36, &c. unitate minuti) invenitur. $\frac{3}{4}$, quin & excerptis per saltum alternis terminis, summa seriei H, $\frac{1}{3}+\frac{1}{15}+\frac{1}{35}+\frac{1}{63}$ &c. $\infty \frac{1}{2}$; at si ex hâc iterum simplici saltu terminos loco pari positos excerpas, ut relinquatur $\frac{1}{3}+\frac{1}{35}+\frac{1}{99}$ &c. ejus seriei infinitæ summa est vera magnitudo circuli nullo numero exprimibilis, sumto vid. quadrato diametri $\infty \frac{1}{2}$.

Cæterum generaliter invenire possumus summam cujuslibet seriei, cujus numeratores constituunt seriem æqualium, & denominatores seriem quadratorum minutorum communi aliquo quadrato Q. aut etiam seriem Trigonalium minutorum communi aliquo numero Trigonali T: si observemus, ejusmodi series nasci per subductionem seriei harmonicæ truncatæ ab initio tot terminis (quot indicat ibi duplum radicis quadratæ communis quadrati Q, hîc duplum unitate auctum radicis trigonalis numeri trigonalis T) à seipsa integra:

Ex.gr. ad inveniendam summam seriei D, $\frac{1}{7}+\frac{1}{16}+\frac{1}{27}+\frac{1}{40}+\frac{1}{55}$ &c. cujus denominatores sunt quadrati, 16, 25, 36, 49, 64, 81, &c. minuti communi Quadrato Q. . . 9, 9, 9, 9, 9, 9. (cujus Radix Q. 3, & duplum 6.) 7, 16, 27, 40, 55, 72, &c.

A ſerie . . . . $A \infty \frac{1}{1} + \frac{1}{2} + \frac{1}{3} + \frac{1}{4} + \frac{1}{5} + \frac{1}{6}$ &c. ſubtrahatur eadem multata ſex

primis terminis . . $B \infty \frac{1}{7} + \frac{1}{8} + \frac{1}{9} + \frac{1}{10} + \frac{1}{11} + \frac{1}{12}$ &c.

relinquitur . . . $C \infty \frac{6}{7} + \frac{6}{16} + \frac{6}{27} + \frac{6}{40} + \frac{6}{55} + \frac{6}{72}$ &c. $\infty A - B \infty$
$\frac{1}{1} + \frac{1}{2} + \frac{1}{3} + \frac{1}{4} + \frac{1}{5} + \frac{1}{6} \infty 2\frac{9}{20}$

adeoque . . . . $D \infty \frac{1}{7} + \frac{1}{16} + \frac{1}{27} + \frac{1}{40} + \frac{1}{55} + \frac{1}{72}$ &c. $\infty \frac{1}{6} C \infty \frac{49}{120}$.

Rurſus pro invenienda ſumma ſeriei $E, \frac{1}{4} + \frac{1}{9} + \frac{1}{15} + \frac{1}{22} + \frac{1}{30} + \frac{1}{39}$ &c.

cujus denominatores ſunt Trigonales 10, 15, 21, 28, 36, 45, &c.
minuti communi Trigonali T . . . . 6, 6, 6, 6, 6, 6, &c.
(cujus Radix Trigon. 3. & duplum unitate auctum 7) 4, 9, 15, 22, 30, 39, &c.

A ſerie . . . $A \infty \frac{1}{1} + \frac{1}{2} + \frac{1}{3} + \frac{1}{4} + \frac{1}{5} + \frac{1}{6} + \frac{1}{7}$ &c. ſubtrahatur eadem truncata ſeptem primis terminis

$F \infty \frac{1}{8} + \frac{1}{9} + \frac{1}{10} + \frac{1}{11} + \frac{1}{12} + \frac{1}{13} + \frac{1}{14}$ &c.

relinquitur $G \infty \frac{7}{8} + \frac{7}{18} + \frac{7}{30} + \frac{7}{44} + \frac{7}{60} + \frac{7}{78} + \frac{7}{98}$ &c. $\infty A - F \infty$
$\frac{1}{1} + \frac{1}{2} + \frac{1}{3} + \frac{1}{4} + \frac{1}{5} + \frac{1}{6} + \frac{1}{7} \infty \frac{363}{140}$

adeoque . . $E \infty \frac{1}{4} + \frac{1}{9} + \frac{1}{15} + \frac{1}{22} + \frac{1}{30} + \frac{1}{39} + \frac{1}{49}$ &c. $\infty \frac{2}{7} G \infty \frac{363}{490}$

Atque ita per hanc Propoſitionem inveniri poſſunt ſummæ ſerierum, cum denominatores ſunt vel numeri Trigonales minuti alio Trigonali, vel Quadrati minuti alio Quadrato; ut & per XV. quando ſunt puri Trigonales, ut in ſerie $\frac{1}{1} + \frac{1}{3} + \frac{1}{6} + \frac{1}{10} + \frac{1}{15}$ &c. at, quod notatu dignum, quando ſunt puri Quadrati, ut in ſerie $\frac{1}{1} + \frac{1}{4} + \frac{1}{9} + \frac{1}{16} + \frac{1}{25}$ &c. difficilior eſt, quàm quis expectaverit, ſummæ perveſtigatio, quam tamen finitam eſſe, ex altera, qua manifeſto minor eſt, colligimus: Si quis inveniat nobisque communicet, quod induſtriam noſtram eluſit hactenus, magnas de nobis gratias feret.

Hoc ſaltem monere adhuc liceat, quod ſpatium Hyperboloide Cubicali (cujus natura exprimitur per æquationem $xxy \infty aab$, hoc eſt, in qua Quadrata abſciſſarum ex Aſymptotis ſunt in applicatarum ratione

ratione reciproca,) & Asymptotis suis comprehensum, eodem modo ex finita hujus seriei summa finitum esse demonstrari possit, quo simile spatium in ipsa Hyperbola ex infinita seriei Harmonicæ summa infinitum ostensum est.

XVIII. *Invenire summam seriei infinitæ reciprocæ numerorum Trigonalium, Pyramidalium, Trianguli-Pyramidalium, Pyramidi-Pyramidalium, & figuratorum altioris cujusvis gradus in infinitum: atque infinitarum summarum summam.*

1. Quemadmodum si à serie fractionum harmonicè progressionalium, hoc est, serie reciproca numerorum naturalium A, eadem multata primo termino subtrahatur, nascitur series fractionum, quarum numeratores sunt *unitates*, denominatores *trigonalium dupli*; ut patet ex demonstr. XV. Ita si à serie reciproca trigonalium B, eadem truncata primo termino subducatur, exoritur series fractionum, quarum numeratores progrediuntur juxta numeros naturales 2. 3. 4. 5. &c. sed quæ reducuntur ad fractiones, quarum omnium numeratores sunt *binarii*, denominatores vero *pyramidalium tripli*; unde ipsa series ad seriem reciprocam pyramidalium C, ut $\frac{2}{3}$ ad 1. Pariter si à serie hac reciproca pyramidalium, ipsamet mutilata primo termino subducatur, relinquitur series fractionum, quarum numeratores progrediuntur juxta numeros trigonales 3. 6. 10. 15. &c. sed quæ reduci possunt ad alias, quarum numeratores omnes sunt *ternarii*, denominatores vero *trianguli-pyramidalium quadrupli*, unde ipsa series ad seriem reciprocam trianguli-pyramidalium D, ut $\frac{3}{4}$ ad 1: Et sic deinceps in infinitum. Quocirca cum singulæ hæ per subductionem genitæ series, quarum numeratores sunt unitatum, denominatores figuratorum multipli, per Ax. 3. æquipolleant unitati, ipsæ figuratorum series reciprocæ ordine dabunt summas, ut sequitur:

A. Natur. $\frac{1}{1}+\frac{1}{2}+\frac{1}{3}+\frac{1}{4}+\frac{1}{5}+\frac{1}{6}$ &c. $\infty\ \frac{1}{0}\ \infty\ 1\frac{1}{0}$, per XVI.

B. Trigon. $\frac{1}{1}+\frac{1}{3}+\frac{1}{6}+\frac{1}{10}+\frac{1}{15}+\frac{1}{21}$ &c. $\infty\ \frac{2}{1}\ \infty\ 1\frac{1}{1}$, per XV.

C. Pyramid. $\frac{1}{1}+\frac{1}{4}+\frac{1}{10}+\frac{1}{20}+\frac{1}{35}+\frac{1}{56}$ &c. $\infty\ \frac{3}{2}\ \infty\ 1\frac{1}{2}$.

D. Triang. Pyr. $\frac{1}{1}+\frac{1}{5}+\frac{1}{15}+\frac{1}{35}+\frac{1}{70}+\frac{1}{126}$ &c. $\infty\ \frac{4}{3}\ \infty\ 1\frac{1}{3}$.

E. Pyr. Pyr. $\frac{1}{1}+\frac{1}{6}+\frac{1}{21}+\frac{1}{56}+\frac{1}{126}+\frac{1}{252}$ &c. $\infty\ \frac{5}{4}\ \infty\ 1\frac{1}{4}$.

2. Sum-

2. Summæ hæ à secunda serie ordine collectæ sunt $1\frac{1}{1}$, $1\frac{1}{2}$, $1\frac{1}{3}$, $1\frac{1}{4}$, &c. unde summa summarum est $1\frac{1}{1} + 1\frac{1}{2} + 1\frac{1}{3} + 1\frac{1}{4} +$ &c. quæ infinita est: quin & demtis singularum serierum primis terminis seu unitatibus, summa fit $\frac{1}{1} + \frac{1}{2} + \frac{1}{3} + \frac{1}{4} +$ &c. quæ itidem infinita existit, per XVI. at demtis insuper secundis terminis $\frac{1}{3} + \frac{1}{4} + \frac{1}{5} + \frac{1}{6}$ &c. summa evadit finita & æqualis $1 + \frac{1}{2} \infty \frac{3}{2}$ per Axiom. 3.

XIX. *Invenire summam seriei finitæ reciprocæ Trigonalium, Pyramidalium, Trianguli-Pyramidalium, Pyram. Pyramidalium, & figuratorum altioris cujusvis gradus in infinitum.*

Posito in qualibet serie numero terminorum n, postrèmi termini in seriebus directis numerorum naturalium, trigon. pyramid. (per ea quæ demonstrabuntur alibi) sunt ordine hi, qui sequuntur: (denotantibus hìc & ubique punctulis continuam multiplicationem quantitatum, quibus interseruntur.)

$$n, \frac{n \cdot \overline{n+1}}{1 \cdot 2}, \frac{n \cdot \overline{n+1} \cdot \overline{n+2}}{1 \cdot 2 \cdot 3}, \frac{n \cdot \overline{n+1} \cdot \overline{n+2} \cdot \overline{n+3}}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4}, \text{&c.}$$

& qui hos immediatè excipiunt, sunt isti:

$$n+1, \frac{\overline{n+1} \cdot \overline{n+2}}{1 \cdot 2}, \frac{\overline{n+1} \cdot \overline{n+2} \cdot \overline{n+3}}{1 \cdot 2 \cdot 3}, \frac{\overline{n+1} \cdot \overline{n+2} \cdot \overline{n+3} \cdot \overline{n+4}}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4} \text{&c.}$$

ac propterea erunt ultimi termini in eorundem seriebus reciprocis isti:

$$\frac{1}{n}, \frac{1 \cdot 2}{n \cdot \overline{n+1}}, \frac{1 \cdot 2 \cdot 3}{n \cdot \overline{n+1} \cdot \overline{n+2}}, \frac{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4}{n \cdot \overline{n+1} \cdot \overline{n+2} \cdot \overline{n+3}}, \text{&c.}$$

& qui hos immediatè sequuntur,

$$\frac{1}{n+1}, \frac{1 \cdot 2}{\overline{n+1} \cdot \overline{n+2}}, \frac{1 \cdot 2 \cdot 3}{\overline{n+1} \cdot \overline{n+2} \cdot \overline{n+3}}, \frac{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4}{\overline{n+1} \cdot \overline{n+2} \cdot \overline{n+3} \cdot \overline{n+4}}, \text{&c.}$$

Jam si à qualibet serie reciproca eadem ipsa truncata ab initio & aucta in fine uno termino methodo Prop. XV. subtrahatur, subducto sigillatim secundo termino à primo, tertio à secundo, sequente ultimum ab ultimo, nascitur series terminorum totidem, quæ per ea quæ in præced. Propos. dicta sunt, seriei reciprocæ figuratorum gradus sequentis aut subdupla est, aut subsesquialtera, aut subsesquitertia, &c. atque insuper per observata Propos. XV. æqualis primo termino minus sequente ultimum ejus seriei, per cujus subductionem nata fuit: unde ipsa summa seriei finitæ reciprocæ figuratorum quorumcunque obtinetur facile, ut sequitur: B, Tri-

B. Trigon. $\frac{1}{1}+\frac{1}{3}+\frac{1}{6}+\frac{1}{10}$ &c. usque ad $\frac{1.2}{n.\overline{n+1}} \infty \frac{2}{1}-\frac{2}{1}$ in $\frac{1}{n+1} \infty \frac{2}{1}-\frac{2}{n+1}$

C. Pyram. $\frac{1}{1}+\frac{1}{4}+\frac{1}{10}+\frac{1}{20}$ &c. -- $\frac{1.2.3}{n.\overline{n+1}.\overline{n+2}} \infty \frac{3}{2}-\frac{3}{2}$ in $\frac{1.2.}{\overline{n+1}.\overline{n+2}} \infty \frac{3}{2}-\frac{1.3}{\overline{n+1}.\overline{n+2}}$

D. △. Pyr. $\frac{1}{1}+\frac{1}{5}+\frac{1}{15}+\frac{1}{35}$ &c. $\frac{1.2.3.4}{n.\overline{n+1}.\overline{n+2}.\overline{n+3}} \infty \frac{4}{3}-\frac{4}{3}$ in $\frac{1.2.3}{\overline{n+1}.\overline{n+2}.\overline{n+3}} \infty \frac{4}{3}-\frac{1.2.4}{\overline{n+1}.\overline{n+2}.\overline{n+3}}$

E. Py. Pyr. $\frac{1}{1}+\frac{1}{6}+\frac{1}{21}+\frac{1}{56}$ &c. $\frac{1.2.3.4.5}{n.\overline{n+1}.---\overline{n+4}} \infty \frac{5}{4}-\frac{5}{4}$ in $\frac{1.2.3.4}{\overline{n+1}.---\overline{n+4}} \infty \frac{5}{4}-\frac{1.2.3.5}{\overline{n+1}.---\overline{n+4}}$

XX. *Invenire summam seriei infinitæ reciprocæ Trigonalium, Pyramidalium, Triang. Pyramidalium, &c. multatæ terminis initialibus quotlibet: & infinitarum summarum summam.*

1. Summa seriei infinitæ integræ Trigonalium, Pyramidalium, Triang. Pyramidalium, &c. est $\frac{2}{1}, \frac{3}{2}, \frac{4}{3}, \frac{5}{4}$, &c. per XVIII. si ex unaquaque serie ab initio abscindantur n termini, summa abscissorum est $\frac{2}{1}-\frac{2}{n+1}$, $\frac{3}{2}-\frac{1.3}{\overline{n+1}.\overline{n+2}}$, $\frac{4}{3}-\frac{1.2.4}{\overline{n+1}.\overline{n+2}.\overline{n+3}}$, $\frac{5}{4}-\frac{1.2.3.5}{\overline{n+1}.\overline{n+2}.\overline{n+3}.\overline{n+4}}$, &c. per XIX. subtracta ergo hac à summa omnium, erit summa reliquorum $\frac{2}{n+1}$, $\frac{1.3}{\overline{n+1}.\overline{n+2}}$, $\frac{1.2.4}{\overline{n+1}.\overline{n+2}.\overline{n+3}}$, $\frac{1.2.3.5}{\overline{n+1}.\overline{n+2}.\overline{n+3}.\overline{n+4}}$, &c.

2. Summa serierum omnium mutilatarum seu nullo seu uno termino est infinita, duobus terminis est $\frac{3}{2}$ per XVIII. Hinc si detruncamas tertios terminos (qui constituunt seriem trigonalium B truncatam duobus terminis, cujus summa per eandem est $\frac{2}{3}$) erit reliquorum omnium summa $\frac{3}{2}-\frac{2}{3} \infty \frac{5}{6} \infty \frac{5}{2.3}$. Hinc denuo si quartos terminos auferas (qui formant seriem pyramidalium C itidem truncatam duobus terminis, summamque proin per præced. efficiunt $\frac{2}{8}$)

relinquetur cæterorum omnium ſumma $\frac{5}{6} - \frac{2}{8} \infty \frac{7}{12} \infty \frac{7}{3 \cdot 4}$. Hinc iterum ſi quintos terminos reſeces, exibit cæterorum ſumma $\frac{9}{4 \cdot 5}$; ſi ſextos, $\frac{11}{5 \cdot 6}$; ſeptimos, $\frac{13}{6 \cdot 7}$; &c. adeoque univerſaliter ſi ex unaquaque ſerie tollantur n termini, erit mutilatarum ita ſerierum omnium ſumma reliqua $\frac{2n-1}{n-1 \cdot n}$.

Coroll. Series $\frac{2}{n+1} + \frac{1 \cdot 3}{n+1 \cdot n+2} + \frac{1 \cdot 2 \cdot 4}{n+1 \cdot n+2 \cdot n+3} + \frac{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 5}{n+1 \cdot n+2 \cdot n+3 \cdot n+4} +$ &c. ſive, $\frac{2}{1}$ in $\frac{1}{n+1} + \frac{3}{2}$ in $\frac{1 \cdot 2}{n+1 \cdot n+2} + \frac{4}{3}$ in $\frac{1 \cdot 2 \cdot 3}{n+1 \cdot n+2 \cdot n+3} + \frac{5}{4}$ in $\frac{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4}{n+1 \cdot \text{——} \cdot n+4} +$ &c. $\infty \frac{2n-1}{n-1 \cdot n}$: ſingula enim ſeriei hujus membra ſingulas figuratarum ſerierum mutilatarum ſummas exprimunt, per 1. part. hujus; adeoque & omnia omnium.

XXI. *Seriei hujus*, $\frac{1a}{1 \cdot 2} + \frac{2a}{1 \cdot 2 \cdot 3} + \frac{3a}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4} + \frac{4a}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4 \cdot 5} +$ &c: *hoc eſt*, $\frac{a}{2} + \frac{a}{1 \cdot 3} + \frac{a}{1 \cdot 2 \cdot 4} + \frac{a}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 5} +$ &c: *ſummam invenire.*

Series hæc naſcitur ſubductione ſequentis ſeriei, $\frac{a}{1} + \frac{a}{1 \cdot 2} + \frac{a}{1 \cdot 2 \cdot 3} + \frac{a}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4} +$ &c: multatæ primo termino à ſeipſa integra, methodo Prop. XV. quare ejus ſumma $\infty\ a$, primo ſc. termino hujus, per Axioma 3.

Coroll. Hinc $\frac{1}{1 \cdot 2} + \frac{4}{1 \cdot 2 \cdot 3} + \frac{9}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4} + \frac{16}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4 \cdot 5} +$ &c. (∞ F + G + H + I + &c.) $\infty \frac{1}{1} + \frac{1}{1 \cdot 2} + \frac{1}{1 \cdot 2 \cdot 3} + \frac{1}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4} +$ &c.

Nam F. $\frac{1}{1 \cdot 2} + \frac{2}{1 \cdot 2 \cdot 3} + \frac{3}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4} + \frac{4}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4 \cdot 5} +$ &c. $\infty \frac{1}{1}$ per XXI.

G. - - $+ \frac{2}{1 \cdot 2 \cdot 3} + \frac{3}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4} + \frac{4}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4 \cdot 5} +$ &c. ∞ F $- \frac{1}{1 \cdot 2} \infty \frac{1}{1 \cdot 2}$

H. - - - - - $+ \frac{3}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4} + \frac{4}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4 \cdot 5} +$ &c. ∞ G $- \frac{2}{1 \cdot 2 \cdot 3} \infty \frac{1}{1 \cdot 2 \cdot 3}$

I. - - - - - - - - - $+ \frac{4}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4 \cdot 5} +$ &c. ∞ H $- \frac{3}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4} \infty \frac{1}{1 \cdot 2 \cdot 3 \cdot 4}$

XXII.

XXII. *Invenire summas serierum K, L, M, N, quarum numeratores sunt Arithmeticè progressionales, denominatores Trigonalium integrorum aut Quadratorum unitate minutorum quadrata.*

$$K \propto \frac{3}{\Box 1} + \frac{5}{\Box 3} + \frac{7}{\Box 6} + \frac{9}{\Box 10} + \frac{11}{\Box 15} + \frac{13}{\Box 21} + \&c.$$

$$L \propto \frac{2}{\Box 3} + \frac{3}{\Box 8} + \frac{4}{\Box 15} + \frac{5}{\Box 24} + \frac{6}{\Box 35} + \frac{7}{\Box 48} + \&c.$$

$$M \propto \frac{1}{\Box 3} + \frac{2}{\Box 15} + \frac{3}{\Box 35} + \frac{4}{\Box 63} + \frac{5}{\Box 99} + \frac{6}{\Box 143} + \&c.$$

$$N \propto \frac{3}{\Box 8} + \frac{5}{\Box 24} + \frac{7}{\Box 48} + \frac{9}{\Box 80} + \frac{11}{\Box 120} + \frac{13}{\Box 168} + \&c.$$

Per subductionem seriei $\frac{1}{\Box 1} + \frac{1}{\Box 2} + \frac{1}{\Box 3} + \frac{1}{\Box 4} + \frac{1}{\Box 5} + \frac{1}{\Box 6} + \&c.$ mutilatæ primo termino à seipsa integra nascitur series aliqua, cujus termini sunt subquadrupli terminorum respondentium seriei K; unde per Ax. 3. series K $\propto 4$ in $\frac{1}{\Box 1} \propto 4$.

Per subductionem vero ejusdem seriei mutilatæ duobus primis terminis à seipsa integra oritur series, quæ quadrupla est seriei L; unde per id. Ax. series L $\propto \frac{1}{4}$ *in*: $\frac{1}{\Box 1} + \frac{1}{\Box 2} \propto \frac{5}{16}$.

Denique per subductionem seriei $\frac{1}{\Box 1} + \frac{1}{\Box 3} + \frac{1}{\Box 5} + \frac{1}{\Box 7} + \frac{1}{\Box 9} +$ &c. multatæ primo termino à seipsa integra emergit alia, quæ octupla est seriei M, quare per 3. Ax. series M $\propto \frac{1}{8}$ *in* $\frac{1}{\Box 1} \propto \frac{1}{8}$: & propterea duplum seriei M, hoc est, omnes termini locorum imparium seriei L $\propto \frac{1}{4}$; adeoque reliqui termini ejusdem seriei, hoc est, ipsa series N $\propto \frac{5}{16} - \frac{1}{4} \propto \frac{1}{16}$.

XXIII. *Invenire summas serierum Q & R, item V & X, &c. quarum denominatores sunt termini integri progressionis quadruplæ, noncuplæ, &c. numeratores vero termini progressionis duplæ, triplæ, &c. unitate tum minuti, tum aucti.*

Operatio talis:

$$\left.\begin{array}{l} O \propto \frac{1}{1} + \frac{1}{2} + \frac{1}{4} + \frac{1}{8} + \frac{1}{16} + \&c. \propto 2 \\ P \propto \frac{1}{1} + \frac{1}{4} + \frac{1}{16} + \frac{1}{64} + \frac{1}{256} + \&c. \propto \frac{4}{3} \end{array}\right\} \text{per Cor. VIII.}$$

$$Q \infty \frac{1-1\infty 0}{1} + \frac{2-1\infty 1}{4} + \frac{4-1\infty 3}{16} + \frac{8-1\infty 7}{64} + \frac{16-1\infty 15}{256} + \&c. \infty O - P \infty 2 - \tfrac{4}{3} \infty \tfrac{2}{3}$$

$$R \infty \frac{1+1\infty 2}{1} + \frac{2+1\infty 3}{4} + \frac{4+1\infty 5}{16} + \frac{8+1\infty 9}{64} + \frac{16+1\infty 17}{256} + \&c. \infty O + P \infty 2 + \tfrac{4}{3} \infty \tfrac{10}{3}$$

$$\left.\begin{array}{l} S \infty \frac{1}{1} + \frac{1}{3} + \frac{1}{9} + \frac{1}{27} + \frac{1}{81} + \&c. \infty \frac{3}{2} \\ T \infty \frac{1}{1} + \frac{1}{9} + \frac{1}{81} + \frac{1}{729} + \frac{1}{6561} + \&c. \infty \frac{9}{8} \end{array}\right\} \text{per Corol. VIII.}$$

$$V \infty \frac{1-1\infty 0}{1} + \frac{3-1\infty 2}{9} + \frac{9-1\infty 8}{81} + \frac{27-1\infty 26}{729} + \frac{81-1\infty 80}{6561} + \&c. \infty S - T \infty \tfrac{3}{2} - \tfrac{9}{8} \infty \tfrac{3}{8}$$

$$X \infty \frac{1+1\infty 2}{1} + \frac{3+1\infty 4}{9} + \frac{9+1\infty 10}{81} + \frac{27+1\infty 28}{729} + \frac{81+1\infty 82}{6561} + \&c. \infty S + T \infty \tfrac{3}{2} + \tfrac{9}{8} \infty \tfrac{21}{8}$$

Idem inveniri poteſt, reſolvendo ſeries propoſitas Q, R; V & X methodo Prop. XIV. Exempli loco eſto ſeries

$$Q \infty \tfrac{1}{4} + \tfrac{3}{16} + \tfrac{7}{64} + \tfrac{15}{256} + \&c. \infty Y + Z + \Pi + \Sigma + \&c.$$

$$\left.\begin{array}{l} Y \infty \frac{1}{4} + \frac{1}{16} + \frac{1}{64} + \frac{1}{256} + \&c. \infty \text{ per Coroll. VIII. } \frac{1}{3} \\ Z \infty \text{- -} + \frac{2}{16} + \frac{2}{64} + \frac{2}{256} + \&c. \infty 2Y - \frac{2}{4} \infty \frac{2}{3} - \frac{2}{4} \infty \frac{1}{6} \\ \Pi \infty \text{- - -} + \frac{4}{64} + \frac{4}{256} + \&c. \infty 2Z - \frac{4}{16} \infty \frac{2}{6} - \frac{4}{16} \infty \frac{1}{12} \\ \Sigma \infty \text{- - - - -} + \frac{8}{256} + \&c. \infty 2\Pi - \frac{8}{64} \infty \frac{2}{12} - \frac{8}{64} \infty \frac{1}{24} \\ \&c. \infty \text{- - - - - - - - -} \&c. \text{- - - - - - - -} \infty \&c. \end{array}\right\} \tfrac{2}{3} \text{ per Coroll. VIII.}$$

XXIV. *In ſerie quavis infinita, cujus numeratores omnes ſunt æquales, denominatores vel numeri naturales, vel eorundem quadrata, cubi, aut alia quæcunque poteſtas, ſumma terminorum omnium in locis imparibus eſt ad ſummam omnium in paribus, ut ſimilis poteſtas binarii unitate mutata ad unitatem.*

Putà in numeris naturalibus, ut 1 ad 1; in quadratis ut 3 ad 1; in cubis ut 7 ad 1; in biquadratis ut 15 ad 1; &c.

Modus inveſtigandi talis:

In Numeris Naturalibus:

Series iſta $\frac{1}{1} + \frac{1}{2} + \frac{1}{3} + \frac{1}{4} + \frac{1}{5} + \frac{1}{6} + \frac{1}{7} + \frac{1}{8} + \&c.$ æquatur ſuis partibus, videl. ſeriebus A + B + C + D + &c.

$$\left.\begin{array}{l} A \infty \frac{1}{1} + \frac{1}{2} + \frac{1}{4} + \frac{1}{8} + \&c. \infty \frac{2}{1} \\ B \infty \frac{1}{3} + \frac{1}{6} + \frac{1}{12} + \frac{1}{24} + \&c. \infty \frac{2}{3} \\ C \infty \frac{1}{5} + \frac{1}{10} + \frac{1}{20} + \frac{1}{40} + \&c. \infty \frac{2}{5} \\ D \infty \frac{1}{7} + \frac{1}{14} + \frac{1}{28} + \frac{1}{56} + \&c. \infty \frac{2}{7} \end{array}\right\} \text{per Cor. VIII.}$$

Eſt ergo $\frac{2}{1} + \frac{2}{3} + \frac{2}{5} + \frac{2}{7} + \&c.$ æqualis, ideoque $\frac{1}{1} + \frac{1}{3} + \frac{1}{5} + \frac{1}{7} + \&c.$ dimidia ſeriei propoſitæ $\frac{1}{1} + \frac{1}{2} + \frac{1}{3} + \frac{1}{4} +$

$\frac{1}{4}+$ &c. hoc eſt, ſumma terminorum in locis imparibus dimidia ſeriei totius, & proinde æqualis ſummæ reliquorum $\frac{1}{2}+\frac{1}{4}+\frac{1}{6}+\frac{1}{8}+$ &c.

Patet hinc rurſum veritas Prop. XVI. cum enim $\frac{1}{1}>\frac{1}{2}$, $\frac{1}{3}>\frac{1}{4}$, $\frac{1}{5}>\frac{1}{6}$, &c. erit $\frac{1}{1}+\frac{1}{3}+\frac{1}{5}+\frac{1}{7}+$ &c. $>\frac{1}{2}+\frac{1}{4}+\frac{1}{6}+\frac{1}{8}+$ &c. cui tamen æqualis modo oſtenſa eſt; quæ utique conciliari nequeunt, niſi ſumma utriusque ſeriei ſtatuatur infinita, hoc eſt, tanta ut quæ inter illas intercedit differentia, rationem æqualitatis deſtruere non poſſit.

In Numeris Quadratis:

Series $\frac{1}{1}+\frac{1}{4}+\frac{1}{9}+\frac{1}{16}+\frac{1}{25}+\frac{1}{36}+\frac{1}{49}+\frac{1}{64}+$ &c. ∞ E + F + G + H + &c.

$$\left.\begin{aligned} E &\infty \frac{1}{1}+\frac{1}{4}+\frac{1}{16}+\frac{1}{64}+\text{\&c.}\ \infty\ \frac{4}{3.1} \\ F &\infty \frac{1}{9}+\frac{1}{36}+\frac{1}{144}+\frac{1}{576}+\text{\&c.}\ \infty\ \frac{4}{3.9} \\ G &\infty \frac{1}{25}+\frac{1}{100}+\frac{1}{400}+\frac{1}{1600}+\text{\&c.}\ \infty\ \frac{4}{3.25} \\ H &\infty \frac{1}{49}+\frac{1}{196}+\frac{1}{784}+\frac{1}{3136}+\text{\&c.}\ \infty\ \frac{4}{3.49} \end{aligned}\right\}\ \text{per Cor. VIII.}$$

Eſt ergo $\frac{4}{3.1}+\frac{4}{3.9}+\frac{4}{3.25}+\frac{4}{3.49}+$ &c. $\infty\ \frac{1}{1}+\frac{1}{4}+\frac{1}{9}+\frac{1}{16}+\frac{1}{25}+$ &c. adeoque prioris ſubſeſquitertia, hoc eſt, $\frac{1}{1}+\frac{1}{9}+\frac{1}{25}+\frac{1}{49}+$ &c. æqualis $\frac{3}{4}$ poſterioris, hoc eſt, termini omnes locorum imparium in ſerie propoſita conſtituunt tres quartas partes totius ſeriei, & reliqui unam: quare ſumma terminorum illorum ad ſummam horum, ut 3 ad 1.

Eadem inveſtigandi methodus obſervetur in reliquis poteſtatibus.

Aliter & univerſaliter ita:

$$x\ \infty\ \frac{1}{1^m}+\frac{1}{2^m}+\frac{1}{3^m}+\frac{1}{4^m}+\frac{1}{5^m}+\frac{1}{6^m}\ \text{\&c.}$$

$$y\ \infty\ \frac{1}{1^m}\qquad+\frac{1}{3^m}\qquad+\frac{1}{5^m}\qquad\text{\&c.}$$

$$x - y \infty + \frac{1}{2^m}\left(\frac{1}{2^m 1^m}\right) + \frac{1}{4^m}\left(\frac{1}{2^m 2^m}\right) + \frac{1}{6^m}\left(\frac{1}{2^m 3^m}\right) \&c.$$

$$2^m x - 2^m y \infty + \frac{1}{1^m} \qquad + \frac{1}{2^m} \qquad + \frac{1}{3^m} \&c. \infty x$$

unde $2^m x - x \infty 2^m y$, & $y \infty x - \frac{x}{2^m}$, & $x - y \infty \frac{x}{2^m}$, ergo y.

$x - y :: x - \frac{x}{2^m} . \frac{x}{2^m} :: 1 - \frac{1}{2^m} . \frac{1}{2^m} :: 2^m - 1 . 1.$

Schol. Liquet hinc, quod ſummæ duarum ſerierum (etiamſi incognitæ) poſſint ad ſe invicem habere rationem cognitam. vid. Prop. XVII. ſub fin. Extendit ſe autem demonſtratio ad poteſtatum radices ſive ad poteſtates fractas non minus ac integras: ſic ex. gr. colligimus, in ſerie $\frac{1}{\sqrt{1}} + \frac{1}{\sqrt{8}} + \frac{1}{\sqrt{27}} + \frac{1}{\sqrt{64}} + \frac{1}{\sqrt{125}} +$ &c. (ubi denominatores ſunt cuborum radices quadratæ) omnes terminos locorum imparium ad omnes parium eſſe, ut $\sqrt{8} - 1$ ad 1. Mirabile verò eſt, quod in ſerie $\frac{1}{\sqrt{1}} + \frac{1}{\sqrt{2}} + \frac{1}{\sqrt{3}} + \frac{1}{\sqrt{4}} +$ &c. (cujus ſumma infinita eſt, ceu major ſerie $\frac{1}{1} + \frac{1}{2} + \frac{1}{3} + \frac{1}{4} +$ &c. ob denominatores minores) termini locorum imparium ad terminos parium juxta regulam inveniuntur habere rationem $\sqrt{2} - 1$ ad 1. minoris ſc. ad majus; cùm tamen illi cum his ſigillatim collati iisdem manifeſto ſint majores: cujus ἐναντιοφανείας rationem, etſi ex infiniti natura finito intellectui comprehendi non poſſe videatur, nos tamen ſatis perſpectam habemus. Idem vero de ſimilibus ſeriebus aliis, quæ infinitam ſummam habent, intelligendum.

XXV. *Series Theſis X,* $\frac{a}{b} - \frac{a+c}{b+d} + \frac{a+2c}{b+2d} - \frac{a+3c}{b+3d}$; *& alia Harmonica terminorum totidem & denominatorum eorundem,* $\frac{f}{b} - \frac{f}{b+d} + \frac{f}{b+2d} - \frac{f}{b+3d}$; *ſignis + & — alternatim ſe excipientibus, ſumtoque* $f \infty a - \frac{bc}{d}$, *æquales ſummas habent.*

Etenim

Etenim ſubtrahendo terminos locorum parium à terminis imparium, provenit eadem utrobique ſeries, $\frac{ad-bc}{bb+bd}+\frac{ad-bc}{bb+5bd+6dd}$, ſive $\frac{df}{bb+bd}+\frac{df}{bb+5bd+6dd}$, &c.

Eſto ex.gr.ſeries th.X. $\frac{3}{1}-\frac{5}{2}+\frac{7}{3}-\frac{9}{4}+\frac{11}{5}-\frac{13}{6}$, poſitoq; $f \infty 3-2 \infty 1$,

ſeries harmonica, $\frac{1}{1}-\frac{1}{2}+\frac{1}{3}-\frac{1}{4}+\frac{1}{5}-\frac{1}{6}$, erit

ſumma utriusque $\frac{1}{2}+\frac{1}{12}+\frac{1}{30}$, per ſaltum excerpta ex ſerie Q. th. XV.

XXVI. *Seriei infinitæ fractionum* K (*quarum denominatores creſcunt progreſſione Geometrica, hoc eſt, ſequentes præcedentium ſunt æque-multiplices exactè, numeratores verò præcedentium æque-multiplices aucti vel minuti communi quodam numero, ſummam ultimumve terminum reperire.*

($\pm$ denotat vel ubique $+$ vel ubique $-$)

$$K \infty \frac{a}{c}+\frac{ab \pm d}{cm}+\frac{abb \pm bd \pm d}{cmm}+\frac{ab^3 \pm bbd \pm bd \pm d}{cm^3}+\frac{ab^4 \pm b^3d \pm bbd \pm bd \pm d}{cm^4}+\&c.$$

1. Summa ſeriei invenitur, reſolvendo illam methodo Prop. XIV. in ſeries fractionum purè proportionalium L + M + N + O + P + &c.

$$L \infty \frac{a}{c}+\frac{ab}{cm}+\frac{abb}{cmm}+\frac{ab^3}{cm^3}+\frac{ab^4}{cm^4}+\&c. \infty + \frac{am}{m-b : \text{in } c}$$
$$M \infty \cdot\cdot \pm \frac{d}{cm} \pm \frac{bd}{cmm} \pm \frac{bbd}{cm^3} \pm \frac{b^3d}{cm^4} \pm \&c. \infty \pm \frac{d}{m-b : \text{in } c}$$
$$N \infty \cdot\cdot\cdot \pm \frac{d}{cmm} \pm \frac{bd}{cm^3} \pm \frac{bbd}{cm^4} \pm \&c. \infty \pm \frac{d}{m-b : \text{in } mc}$$
$$O \infty \cdot\cdot\cdot\cdot\cdot\cdot\cdot \pm \frac{d}{cm^3} \pm \frac{bd}{cm^4} \pm \&c. \infty \pm \frac{d}{m-b : \text{in } mmc}$$
$$P \infty \cdot\cdot\cdot\cdot\cdot\cdot\cdot\cdot\cdot\cdot \pm \frac{d}{cm^4} \pm \&c. \infty \pm \frac{d}{m-b : \text{in } m^3c}$$
$$\&c. \infty \cdot\cdot\cdot\cdot\cdot\cdot\cdot\cdot\cdot\cdot\cdot\cdot\cdot \pm \&c. \infty \pm \&c.$$

per Cor. VIII.

Summæ ſerierùm M, N, O, P, &c. novam progreſſionem Geometricam conſtituunt, cujus ſumma per Coroll. VIII. eſt $\frac{md}{m-1 : \text{in } m-b : \text{in } c}$, quæ ſummæ ſeriei L $\frac{am}{m-b : \text{in } c}$ addita vel ſubtracta efficit $\frac{amm - am \pm md}{m-1 : m-b : \text{in } c}$ ſummam omnium ſerierum L, M, N, &c. hoc eſt, ipſius ſeriei propoſitæ K.

2. Obſer-

2. Observandum, si $m > b$, summam esse finitam, adeoque ultimum seriei terminum evanescere, vid. Cor. XIV.

Sin $m < b$, & summa infinita est, & ultimus quoque terminus est infinitus; tum enim singulæ progressiones Geometricæ L, M, N, &c. sunt crescentes: confer Prop. V.

At existente $m \infty b$, summa quidem infinita est, sed postremus terminus finitus: tum enim surrogato m in locum b, secundus terminus fit $\frac{am \pm d}{cm}$, hoc est, $\frac{a}{c} \pm \frac{d}{cm}$: tertius $\frac{amm \pm md \pm d}{cmm}$, hoc est, $\frac{a}{c} \pm \frac{d}{cm} \pm \frac{d}{cmm}$: quartus $\frac{am^3 \pm mmd \pm md \pm d}{cm^3}$, hoc est, $\frac{a}{c} \pm \frac{d}{cm} \pm \frac{d}{cmm} \pm \frac{d}{cm^3}$: atque ita postremus $\frac{a}{c} \pm \frac{d}{cm} \pm \frac{d}{cmm} \pm \frac{d}{cm^3} \pm \frac{d}{cm^4} \pm$ &c. in infinitum; unde patet, terminum infinitesimum resolvi in $\frac{a}{c} \pm$ serie infinitorum Geometricè progressionalium in ratione m ad 1, quorum summa per Cor. VIII. est $\frac{d}{m-1:\text{in}\,c}$, quæ ipsi $\frac{a}{c}$ addita vel subtracta efficit terminum infinitesimum $\frac{am-a \pm d}{m-1:\text{in}\,c}$, cujus numerator differentiam numeratorum primi & secundi termini, uti & denominator denominatorum eorundem differentiam exprimit: quare cùm ex Prop. X. manifestum sit, terminum ultimum hujus progressionis

$$Q \infty \frac{a}{c},\ \frac{am \pm d}{cm},\ \frac{2am-a \pm 2d}{2cm-c},\ \frac{3am-2a \pm 3d}{3cm-2c},\ \frac{4am-3a \pm 4d}{4cm-3c},\ \text{\&c.}$$

$$\text{sive}\quad \frac{a}{c},\ \frac{a}{c} \pm \frac{d}{cm},\ \frac{a}{c} \pm \frac{2d}{2cm-c},\ \frac{a}{c} \pm \frac{3d}{3mc-2c},\ \frac{a}{c} \pm \frac{4d}{4cm-3c},\ \text{\&c.}$$

itidem esse $\frac{am-a \pm d}{m-1:\text{in}\,c}$ sive $\frac{a}{c} \pm \frac{d}{m-1:\text{in}\,c}$; sequitur in utraque progressione K & Q, primis duobus terminis existentibus iisdem ultimos quoque esse pares, quamvis incrementa vel decrementa prioris magis subitanea sint, quandoquidem ejus termini non nisi per saltum ex posteriore sunt excerpti: Invenio enim, quod memorabile est, tertium terminum seriei K convenire cum termino $m + 2$, quartum cum $mm + m + 2$, quintum cum $m^3 + mm + m + 2$, sextum cum $m^4 + m^3 + mm + m + 2$ seriei Q, & sic deinceps; uti patere poterit ex subjunctis seriebus, ubi a valet 2, c 3, b vel m 3, & d 1.

K ∞

$K \infty \frac{2}{3}, \frac{7}{9}, \frac{22}{27}, \frac{67}{81}, \frac{202}{243}$, &c. ultimus $\frac{5}{6}$.

$Q \infty \frac{2}{3}, \frac{7}{5}, \frac{12}{15}, \frac{17}{21}, \frac{22}{27}, \frac{27}{33}, \frac{32}{35}, \frac{37}{45}, \frac{42}{51}, \frac{47}{57}, \frac{52}{63}, \frac{57}{65}, \frac{62}{75}, \frac{67}{81}$, &c. ultimus $\frac{5}{6}$.

Intellige vero, quæ dicta sunt de summa ultimoque termino seriei K, si numeratores præcedentium sunt æque-multiplices aucti communi numero d; vel diminuti quidem eodem numero, at insuper $ab > a + d$. Nam si sit $ab \infty a + d$, æquivalebunt singuli numeratores ipsi a, summaque seriei fiet finita, nempe $\frac{am}{m-1 : \ln c}$, & ultimus terminus evanescet, sive m existat $<$ vel ∞ ipsi b.

XXVII. *Si dati cujuslibet numeri radix quadrata ducatur in ipsum numerum, & producti radix quadrata denuo ducatur in eundem, & producti hujus radix iterum iterumque; idque fiat continuo in infinitum: erit radix producti ultimi æqualis ipsi dato numero:* (putà, si datus numerus vocetur a, erit $\sqrt{a\sqrt{a\sqrt{a\sqrt{a\sqrt{a}}}}}$ &c. $\infty\, a$.)

Ponatur enim $x \infty \sqrt{: a\sqrt{: a\sqrt{: a\sqrt{: a}}}}$ &c. erit $xx \infty a\sqrt{: a\sqrt{: a\sqrt{: a}}}$ &c. & $\frac{xx}{a} \infty \sqrt{: a\sqrt{:\sqrt{: a}}}$ &c. $\infty\, x$: proinde $xx \infty ax$, & $x \infty a$. Q. E. D.

XXVIII. *Si dati numeri cujuslibet radix quadrata addatur ipsi dato numero, & aggregati radix quadrata denuo addatur eidem, & aggregati hujus radix iterum iterumque; idque fiat continuo in infinitum: radix aggregati ultimi radicem dati numeri quarta parte unitatis aucti dimidia unitate superabit.* (putà $\sqrt{: a + \sqrt{: a + \sqrt{: a + \sqrt{: a +}}}}$ &c. $\infty \frac{1}{2} + \sqrt{\frac{1}{4} + a}$.)

Posito enim $x \infty \sqrt{: a + \sqrt{: a + \sqrt{: a +}}}$ &c. erit $xx \infty a + \sqrt{: a + \sqrt{: a +}}$ &c. & $xx - a \infty \sqrt{: a + \sqrt{: a + \sqrt{: a +}}}$ &c. $\infty\, x$: proinde $xx \infty x + a$, & $x \infty \frac{1}{2} + \sqrt{\frac{1}{4} + a}$. Q. E. D.

XXIX. *Datis duobus numeris quibusvis, si radix quadrata unius ducatur in alterum, & producti radix quadrata in primum, & hujus producti radix in alterum; atque ita semper productorum radices ducantur alternatim in datorum alterum; idque continuetur in infinitum: erit radix producti ultimi æqualis alterutri duorum mediorum proportionalium inter duos datos numeros* (putà si dati numeri dicantur a & b, erit $\sqrt{: a\sqrt{: b\sqrt{: a\sqrt{: b\sqrt{: a\sqrt{: b}}}}}}$. &c. $\infty \sqrt{C.\ aab}$.)

Esto namque $x \infty \sqrt{:}\, a \sqrt{:}\, b \sqrt{:}\, a \sqrt{:}\, b.$ &c. erit $xx \infty a \sqrt{:}\, b \sqrt{:}\, a \sqrt{:}\, b$ &c. & $\frac{xx}{a} \infty \sqrt{:}\, b \sqrt{:}\, a \sqrt{:}\, b.$ &c. & $\frac{x4}{aa} \infty b \sqrt{:}\, a \sqrt{:}\, b.$ &c. & $\frac{x4}{aab} \infty \sqrt{:}\, a \sqrt{:}\, b.$ &c. ∞x: proinde $x4 \infty aabx$, & $x3 \infty aab$, & $x \infty \sqrt{C.}\, aab$. Q. E. D.

XXX. *Datis duobus numeris quibusvis, si radix cubica producti ex utroque ducatur in eorum primum, & producti radix quadrata ducatur in productum ex utroque, & hujus producti radix cubica denuo in eorum primum; & sic alternatim radices cubicæ & quadratæ ducantur in eorum primum & productum ex utroque, erit radix producti ultimi æqualis primo vel secundo quatuor mediorum proportionalium inter duos datos* (putà $\sqrt{:}\, a \sqrt{C:}\, ab \sqrt{:}\, a \sqrt{C:}\, ab$, &c. $\infty \sqrt{S.}\, a4b$, & $\sqrt{C:}\, ab \sqrt{:}\, a \sqrt{C:}\, ab \sqrt{:}\, a$ &c. $\infty \sqrt{S.}\, a3bb$.)

XXXI. *Datis duobus numeris quibusvis, si radix quadrata secundi ducatur in primum, & producti radix quadrata iterum in primum, producti vero hujus radix in secundum, & hujus producti radix denuò in primum, & sic alternatim productorum radices multiplicentur, bis in primum, semel in secundum, erit radix producti ultimi ∞ primo, secundo vel quarto sex proportionalium inter duos datos* (putà $\sqrt{:}\, a \sqrt{:}\, a \sqrt{:}\, b \sqrt{:}\, a \sqrt{:}\, a \sqrt{:}\, b$ &c. $\infty \sqrt{BS.}\, a6b$, & $\sqrt{:}\, a \sqrt{:}\, b \sqrt{:}\, a \sqrt{:}\, a \sqrt{:}\, b \sqrt{:}\, a \sqrt{:}\, a$ &c. $\infty \sqrt{BS.}\, a5bb$, & $\sqrt{:}\, b \sqrt{:}\, a \sqrt{:}\, a \sqrt{:}\, b \sqrt{:}\, a \sqrt{:}\, a$ &c. $\infty \sqrt{BS.}\, a3b4$.)

XXXII. *Datis duobus numeris quibusvis* p *&* q, *si tertius quicunque ductus in* q, *addatur ipsi* pp, *& ex radice summæ subtrahatur* p, *& residui radix in* q *ducta addatur ipsi* pp, *& ex radice summæ denuò subtrahatur* p, *& sic deinceps in infinitum, erit radix ultimi residui*, putà $\sqrt{:} - p + \sqrt{:}\, pp + q \sqrt{:} - p + \sqrt{:}\, pp + q \sqrt{:} - p +$ &c. *radix æquationis cubicæ* $x3 \infty - 2px + q$.

XXXIII. *Iisdem positis, quæ in præcedente, si subtractio ipsius* p *vertatur in additionem, erit radix aggregati ultimi*, putà $\sqrt{:} + p + \sqrt{:}\, pp + q \sqrt{:} + p + \sqrt{:}\, pp + q \sqrt{:}$ &c. *radix æquationis* $x3 \infty + 2px + q$.

XXXIV. *Datis duobus numeris* p *&* q, *si tertius in* q *ductus subtrahatur à* pp, *& radix reliqui ad* p *addatur dematurve & summæ reliquique radix in* q *ducta subducatur à* pp, *& radix reliqui*, &c. *erunt radices summæ residuique ultimi*, putà $\sqrt{:}\, p$ 8 $\sqrt{:}\, pp - q \sqrt{:}\, p$ 8 $\sqrt{:}\, pp - q \sqrt{:}$ &c. *radices æquationis* $x3 \infty + 2px - q$.

XXXV.

XXXV. *Non secus datis tribus numeris* p, q, r, *erit* $\sqrt{:}-p+\sqrt{:}pp+r+q\sqrt{:}-p+\sqrt{:}pp+r+q$ &c. *radix æquationis biquadraticæ* $x^4 \infty -2pxx+qx+r$.

Omnes hæ Propp. ad eundem modum demonſtrantur, quo Propp. XXVII. XXVIII. & XXIX. quorſum itaque κοκκύζειν!

Schol. Patet hinc aditus ad inventionem 2. med. proport. & in genere radicum Problematum ſolidorum & hyperſolidorum per ſolas rectas lineas & circulos, quam præſtantiſſimi omnium ſeculorum Geometræ à bis mille retro annis anxiè ſed fruſtrà quæſivere. Hanc ego, quoad fieri potuit, per ſeriem conſtructionis in infinitum continuandæ, primus omnium exhibui in Actis Lipſ. menſ. Septemb. 1689. cum nemo ſimile quicquam ſcripto publicaſſet, fortè nec animo concepiſſet uſpiam.

De Uſu Serierum Infinitarum in Quadraturis Spatiorum & Rectificationibus Curvarum.

Poſtquam prima parte laboris noſtri defuncti ſumus, variarumque quoad fieri potuit, ſerierum ſummas exhibuimus, ſupereſt, ut ad alteram inſtituti partem tranſeamus, oſtendendo modum eas applicandi ad dimenſiones quantitatum Geometricarum, præſertim illarum, quas tranſcendentes *nuncupant, licet ſeriebus, quæ hic uſui venient, raro contingat eſſe ex numero earum, quas proximè contemplati ſumus, quarumque ſummas in poteſtate habemus. Obſervarunt enim Geometræ, plurimas dari quantitates, cujusmodi ſunt pleræque Lineæ Curvæ, & pleraque ab iis comprehenſa ſpatia, quæ nullis numeris vel rationalibus vel ſurdis quantumvis compoſitis exprimi, h. e. quarum relationes ad alias datas ſub nulla æquatione algebraica definiti gradus cogi poſſent, ſed quæ omnes æquationum gradus quaſi tranſcenderent; ac idcirco attentandum duxerunt, num quas uno aliquo numero effari non poterant, per ſeriem ſaltem infinitorum, maximè rationalium, exprimere liceret, quibus ita continuò ad quæſitum accederetur, ut error tandem data quavis quantitate minor fieret, totaque ſeries exactum quæſiti valorem exhiberet. Inventum, quod, quantum conſtat, vergente demum hoc ſeculo à* Mercatore, Grego-

Gregorio, Newtono, Leibnitio, *in lucem productum fuit. Quid primi tres de his memoriæ prodiderint, etiamnum ignoramus. Summus Geometra Leibnitius, qui rem haud dubiè longissimè provexit, inter alias series, quas nobis in Actis Lipſ. impertivit, unam initio Actorum 1682. pro Circuli magnitudine dedit ſed methodum, qua illuc pervenit, nusquam expoſuit. Quantum conjicio, non differt illa à noſtra; nam & in easdem cum ipſo ſeries incidimus & ipſius ſubinde calculo differentiali uſi ſumus, uti poſthac patebit. Principia hujus calculi exponere nimis longum & alienum foret. Ea Vir perillustris D. Marchio* Hoſpitalius *in Libro de Analyſi infinitè parvorum nuperrimè edito perſpicuè tradit, ad quem proin Lectorem* φιλομαθῆ *remittimus.*

Definitio:

MIxtam Seriem voco, cujus termini multiplicatione ſunt conflati ex terminis ejusdem ordinis aliarum ſerierum. Ita ſi ſint ſeries a, b, c, d, e, &c. & f, g, h, i, k, &c. mixta ex utraque erit af, bg, ch, di, ek, &c.

XXXVI.

Fractionem $\frac{l}{m-n}$ *convertere in ſeriem infinitam quantitatum geometricè proportionalium.*

Fit hoc per diviſionem continuam numeratoris per denominatorem, hoc pacto: m in l habeo $\frac{l}{m}$, quod multiplicatum per diviſorem $m-n$, & ſubtractum ex dividendo l relinquit $\frac{ln}{m}$; hoc rurſus diviſum per m facit $\frac{ln}{mm}$, quod ductum in $m-n$ & ſubtractum ex dividendi reliquo efficit reſiduum $\frac{lnn}{mm}$; hoc denuò diviſum per m, facit $\frac{lnn}{m^3}$, quo ducto in $m-n$ & ſubtracto remanet $\frac{ln^3}{m^3}$, atque ita deinceps ſine fine in infinitum: ſemper enim aliquid dividendum ſupereſt, cum unius membri dividendus à diviſore bimembri nunquam ſine reſiduo exhauriri poſſit. At hoc reſiduum, continuata operatione poſitoque $m > n$, perpetuo decreſcit, & tandem data quavis quantitate minus fit, ut patet. Eſt ergo fractio propoſita

$\frac{l}{m-n}$

$\frac{l}{m-n} \infty \frac{l}{m} + \frac{ln}{mm} + \frac{lnn}{m3} + \frac{ln3}{m4} + \frac{ln4}{m5}$ &c. quæ ſeries eſt quantitatum geometricè progredientium in ratione m ad n; quandoquidem quilibet ejus terminus ex conſtructione in n ductus & per m diviſus proximè ſequentem exhibet.

Idem brevius ſic evincitur: Summa Progreſſionis Geometricæ $\frac{l}{m} + \frac{ln}{mm} + \frac{lnn}{m3} + \frac{ln3}{m4} + \frac{ln4}{m5}$ &c. eſt $\frac{l}{m-n}$, per Corollar. VIII. Ergo reciprocè valorem fractionis $\frac{l}{m-n}$ per talem ſeriem exprimere licet.

XXXVII. *Fractionem* $\frac{1}{m+n}$ *reſolvere in ſeriem infinitam geometricè proportionalium.*

Facta diviſione continua numeratoris per denominatorem, eadem reſultat ſeries, quæ anteà, niſi quod termini ejus alternatim fiant poſitivi & negativi. Eſt igitur quantitas $\frac{l}{m+n} \infty$ $\frac{l}{m} - \frac{ln}{mm} + \frac{lnn}{m3} - \frac{ln3}{m4} + \frac{ln4}{m5}$ &c. ſaltem ſi ponatur $m > n$: tum enim quod poſt ſingulas diviſiones reliquum manet, continuo minuitur, donec continuata in infinitum operatione prorſus evaneſcat.

Idem quoque ſic eluceſcit: Quoniam in ſerie quantitatum $\frac{l}{m}, \frac{ln}{mm}, \frac{lnn}{m3}, \frac{ln3}{m4}, \frac{ln4}{m5}$ &c. ex hyp. primus terminus eſt ad ſecundum, ut tertius ad quartum, & quintus ad ſextum &c. nec non ſecundus ad tertium, ut quartus ad quintum, & ſextus ad ſeptimum &c. erit etiam ex æquo, primus ad tertium, ut tertius ad quintum, & quintus ad ſeptimum &c. quod docet, primum, tertium, quintum, ſeptimum &c. terminos exemptis reliquis etiam geometricè proportionales eſſe, quorum adeo ſumma per Corollar. VIII. invenitur $\frac{lm}{mm-nn}$. Eodem pacto oſtenditur, ſecundum, quartum, ſextum &c. terminos ſeriem geometricè proportionalium efficere, cujus ſumma $\frac{ln}{mm-nn}$. Igitur differentia harum

duarum ſerierum, ſeu $\frac{l}{m} - \frac{ln}{mm} + \frac{lnn}{m3} - \frac{ln^3}{m4} + \frac{ln^4}{m5}$ &c. ∞ $\frac{lm - ln}{mm - nn}$ ∞ $\frac{l}{m+n}$, ac propterea quantitas $\frac{l}{m+n}$ in iſtam ſeriem viciſſim converti poteſt.

Coroll. 1. In omni Progreſſione Geometrica deſcendente (primo termino exiſtente determinato, ſignisque + & — alternatim ſe excipientibus) ſumma ſeriei limites habet, quos nequit attingere, nedum egredi, qualiscunque ſtatuatur ratio progreſſionis. Cum enim per hyp. $n > 0$, & $< m$, erit $\frac{l}{m+n} < \frac{l}{m+0} = \frac{l}{m}$; & $> \frac{l}{m+m} = \frac{l}{2m}$, hoc eſt, valor ſeriei perpetuo minor eſt ipſo primo termino, & major ejus ſemiſſe.

Coroll. 2. Si tamen m ∞ n, fiet $\frac{l}{m+n}$ ∞ $\frac{l}{2m}$, & ſeries $\frac{l}{m} - \frac{ln}{mm} + \frac{lnn}{m3} - \frac{ln3}{m4}$ &c. ∞ $\frac{l}{m} - \frac{l}{m} + \frac{l}{m} - \frac{l}{m}$ &c. unde paradoxum fluit non inelegans, quod $\frac{l}{m} - \frac{l}{m} + \frac{l}{m} - \frac{l}{m}$ &c. ∞ $\frac{l}{2m}$. Etenim ſi ultimus ſeriei terminus ſigno — affectus concipiatur, termini omnes ſe mutuò deſtruere apparebunt, & ſi ſigno +, æquari videbnntur ipſi $\frac{l}{m}$, non $\frac{l}{2m}$. Ratio autem paradoxi eſt, quod continuata diviſione ipſius l per $m+m$, reſiduum diviſionis non minuitur, ſed perpetuo ipſi l æquale manet; unde quotiens diviſionis propriè non eſt ſola ſeries $\frac{l}{m} - \frac{l}{m} + \frac{l}{m} - \frac{l}{m}$ &c. ſed $\frac{l}{m} - \frac{l}{m} + \frac{l}{m} - \frac{l}{m}$ &c. + vel $- \frac{l}{2m}$, faciendo ſcil. fractionem ex reſiduo & diviſore, illamque ſigno + vel — afficiendo, prout ultimus ſeriei terminus viciſſim — vel + habere fingitur.

XXXVIII. *Fractionem* $\frac{1}{\square : m - n}$ *transmutare in ſeriem infinitam.*

Quoniam quantitas $\frac{l}{m-n}$ ∞ $\frac{l}{m} + \frac{ln}{mm} + \frac{lnn}{m3} + \frac{ln3}{m4}$ &c. per XXXVI. facta utrinque multiplicatione per $\frac{1}{m-n}$, habebitur $\frac{l}{\square : m-n}$ ∞

ſeriei

feriei A, cujus termini finguli de novo in totidem alias feries B, C, D, E, F, &c. per eandem XXXVI. Prop. convertantur. Quo facto ferierum iftarum termini homologi in unam fummam

$$\frac{l}{\Box : m - n} \infty A \left\{ \begin{array}{llllllll} \frac{l}{mm - mn} \infty & \frac{l}{mm} + & \frac{ln}{m^3} + & \frac{lnn}{m^4} + & \frac{ln^3}{m^5} + & \frac{ln^4}{m^6} & \&c. \infty B \\ \frac{ln}{m^3 - mmn} \infty & . & + \frac{ln}{m^3} + & \frac{lnn}{m^4} + & \frac{ln^3}{m^5} + & \frac{ln^4}{m^6} & \&c. \infty C \\ \frac{lnn}{m^4 - m^3 n} \infty & . & . & + \frac{lnn}{m^4} + & \frac{ln^3}{m^5} + & \frac{ln^4}{m^6} & \&c. \infty D \\ \frac{ln^3}{m^5 - m^4 n} \infty & . & . & . & . + \frac{ln^3}{m^5} + & \frac{ln^4}{m^6} & \&c. \infty E \\ \frac{ln^4}{m^6 - m^5 n} \infty & . & . & . & . & . + \frac{ln^4}{m^6} & \&c. \infty F \\ \&c. \infty & . & . & . & . & . & \&c. \infty \&c. \end{array} \right.$$

$$Z \infty \frac{l}{mm} + \frac{2ln}{m^3} + \frac{3lnn}{m^4} + \frac{4ln^3}{m^5} + \frac{5ln^4}{m^6} \&c. \infty \frac{l}{\Box : m - n}$$

conflati novam feriem Z conftituent, æqualem propterea quantitati propofitæ $\frac{l}{\Box . m - n}$, mixtamque ex ferie numerorum naturalium 1. 2. 3. 4. &c. & quantitatum geometricé progreffionalium $\frac{l}{mm}$, $\frac{ln}{m^3}$. $\frac{lnn}{m^4}$, $\frac{ln^3}{m^5}$ &c.

Eadem feries Z elici quoque poteft divifione continua numeratoris l per denominatorem $mm - 2mn + nn$, dicendo: mm in l, habeo $\frac{l}{mm}$, quod ductum in diviforem & fubtractum ex dividendo relinquit $+ \frac{2ln}{m} - \frac{lnn}{mm}$; tum porrò mm in $+ \frac{2ln}{m}$, reperio $+ \frac{2ln}{m^3}$, quod multiplicatum & fubtractum, ut decet, refiduum efficit $+ \frac{3lnn}{mm} - \frac{2ln^3}{m^3}$, atque ita ulterius pergendo in infinitum: quo pacto obfervabitur, poft fingulas operationes duo membra reliqua manere, fed illa ufque & ufque minora, tandemque data quavis quantitate propius ad nihilum vergentia.

Idem etiam oftenditur ex lege reciprocorum, refolvendo feriem Z methodo Prop. XIV. in infinitas feries geometricas B, C, D, E, F &c. harum enim fummæ cum novam progreffionem A conftituant,

tuant, quæ ipſa ſummam efficit $\frac{l}{mm-2mn+nn}$, ſequitur reciprocè, & hanc quantitatem $\frac{l}{\square:m-n}$ per ſeriem Z legitimè efferri poſſe.

XXXIX. *Fractionem* $\frac{1}{\square:m+n}$ *convertere in ſeriem.*

Si operatio inſtituatur methodo Propoſ. præced. eadem, quæ ibi, obtinebitur ſeries, niſi quod termini locorum parium acquirant ſignum $-$, ſic ut habeatur: $\frac{l}{\square:m+n} \infty \frac{l}{mm} - \frac{2ln}{m^3} + \frac{3lnn}{m^4} - \frac{4ln^3}{m^5} + \frac{5ln^4}{m^6} - \frac{6ln^5}{m^7}$ &c.

XL. *Fractionem* $\frac{1}{C:m-n}$, *aut* $\frac{1}{C:m+n}$, *exprimere per ſeriem.*

Ex analogia operationum præcedentium liquet modus hoc efficiendi; quorſum igitur plura? En operationem:

$\frac{l}{\square:m-n} \infty \frac{l}{mm} + \frac{2ln}{m^3} + \frac{3lnn}{m^4} + \frac{4ln^3}{m^5} + \frac{5ln^4}{m^6}$ &c. per XXXVIII, factaque hinc inde multiplicatione per $\frac{1}{m-n}$,

$$\frac{l}{C:m-n} \infty \left\{ \begin{array}{lllllll} \frac{l}{m^3-mmn} \infty \frac{l}{m^3} & + \frac{ln}{m^4} & + \frac{lnn}{m^5} & + \frac{ln^3}{m^6} & + \frac{ln^4}{m^7} & \text{\&c.} \\ \frac{2ln}{m^4-m^3n} \infty \;. & + \frac{2ln}{m^4} & + \frac{2lnn}{m^5} & + \frac{2ln^3}{m^6} & + \frac{2ln^4}{m6} & \text{\&c.} \\ \frac{3lnn}{m^5-m^4n} \infty \;: & . & + \frac{3lnn}{m^5} & + \frac{3ln^3}{m^6} & + \frac{3ln^4}{m^7} & \text{\&c.} \\ \frac{4ln^3}{m^6-m^5n} \infty \;. & . & . & + \frac{4ln^3}{m^6} & + \frac{4ln^4}{m^7} & \text{\&c.} \\ \text{\&c.} \infty \;. & . & . & . & . & \text{\&c.} \end{array} \right\} \text{per Prop. XXXVI.}$$

$$\frac{l}{m^3} + \frac{3ln}{m^4} + \frac{6lnn}{m^5} + \frac{10ln^3}{m^6} + \frac{15ln^4}{m^7} \text{ \&c.} \infty \frac{l}{C:m-n}.$$

Eodem pacto habetur $\frac{l}{C:m+n} \infty \frac{l}{m^3} - \frac{3ln}{m^4} + \frac{6lnn}{m^5} - \frac{10ln^3}{m^6} + \frac{15ln^4}{m^7}$ &c.

Conflantur autem termini harum ſerierum ex ductu terminorum progreſſionis geometricæ in numeros trigonales 1. 3. 6. 10. 15. &c.

Si quis idem per diviſionem continuam conſequi deſideret, is obſer-

observabit, post singulas operationes tria superesse membra, sed ea subinde minora, ultimoque prorsus evanescentia.

Idem etiam regrediendo à serie inventâ patebit, si illa methodo Prop. XIV. in alias resolvatur, &c.

Schol. Haud dissimili operatione reperitur $\frac{l}{\overline{QQ:m\,8\,n}} \infty \frac{l}{m4}\ 8\ \frac{4ln}{m5} + \frac{10lnn}{m6}\ 8\ \frac{20ln3}{m7}$ &c. ut & $\frac{l}{\overline{Ss:m\,8\,n}} \infty \frac{l}{m5}\ 8\ \frac{5ln}{m6} + \frac{15lnn}{m7}\ 8\ \frac{35ln3}{m8}$ &c. seriebus mixtis ex geometrica & serie pyramidalium, trianguli-pyramidalium, & ita consequenter in omnibus altioribus, servatâ semper eadem analogiæ ratione, ut non opus sit his diutius immorari.

XLI. *Si proponatur series differentialium, quæ mixta sit ex serie geometrica quantitatum indeterminatarum, & alia quavis serie quantitatum constantium seu coëfficientium, integralia eorum absoluta seriem constituent mixtam ex eadem serie coëfficientium, simili geometrica indeterminatarum, & alia quadam harmonica.*

Patet ex princ. calc. diff. vel summatorii, juxta quæ quantitatis differentialis $nx^m dx$ integrale absolutum reperitur $\frac{n.x^{m+1}}{m+1}$; hinc enim si coëfficientes n sint progressionis cujusvis, & exponentes m progressionis arithmeticæ, h. e. ipsa x^m progr. geometricæ, erunt quoque $m+1$ arithm. adeoque x^{m+1} geometr. & $\frac{1}{m+1}$ harmonicæ progressionis. Ut si proponatur series differentialium $axdx$, bx^3dx, cx^5dx, fx^7dx &c. mixta ex serie quavis a, b, c, f &c. & geometrica xdx, x^3dx, x^5dx, x^7dx &c. erunt eorum integralia $\frac{axx}{2}, \frac{bx4}{4}, \frac{cx6}{6}, \frac{fx8}{8}$ &c. mixta ex eadem serie a, b, c, f &c. geometrica simili $xx, x4, x6, x8$ &c. & harmonica $\frac{1}{2}, \frac{1}{4}, \frac{1}{6}, \frac{1}{8}$ &c.

XLII. *Exhibere aream Hyperbolæ inter Asymptotas per seriem infinitam.* Fig. 1.

Mod. 1. *Per Arithm. Infin. Wall.* Esto Hyperbola PCQ, cujus centrum A, asymptotæ AD, AS, applicatæ BC, IO (ιo), quærendumque sit spatium CBIO (CBιo). Sumto autem AB ∞ 100

BD, BC $\infty\, b$, BI ($B\iota$) $\infty\, x$, quæ non ſit $>$ AB vel BD, h. e. unitate. Dividatur BI ($B\iota$) in partes aliquot æquales BE, EF, FG, GR, RI ($B\varepsilon, \varepsilon\phi, \phi\gamma, \gamma\varrho, \varrho\iota$) quarum numerus ſit n, & ſingulæ dicantur d, ſic ut nd ſit $\infty\, x \,\infty$ BI ($B\iota$). Tum circumſcribantur (inſcribantur) hyperbolæ parallelogramma BK, EL, FM, GN, RO ($B\varkappa, \varepsilon\lambda, \phi\mu, \gamma\nu, \varrho o$) ductis applicatis EK, FL, GM, RN, IO ($\varepsilon\varkappa, \phi\lambda, \gamma\mu, \varrho\nu, \iota o$) quæ ex natura hyperb. ordine reperiuntur $\infty\, \frac{b}{1 \pm d}, \frac{b}{1 \pm 2d}, \frac{b}{1 \pm 3d}, \frac{b}{1 \pm 4d}$ &c. uſque ad ultimam $\frac{b}{1 \pm nd}$. Singulis igitur in d ductis, habentur areæ parallelogrammorum, quæ porro in ſeries convertendæ ſunt per XXXVI. & XXXVII, ut ſequitur:

$$\text{BK}(B\varkappa)\ \infty\ \frac{bd}{1 \pm d}\ \infty\ bd \pm bdd + bd^3 \pm bd^4 + bd^5 \pm bd^6 \text{ \&c.}$$

$$\text{EL}(\varepsilon\lambda)\ \infty\ \frac{bd}{1 \pm 2d}\ \infty\ bd \pm 2bdd + 4bd^3 \pm 8bd^4 + 16bd^5 \pm 32bd^6 \text{ \&c.}$$

$$\text{FM}(\phi\mu)\ \infty\ \frac{bd}{1 \pm 3d}\ \infty\ bd \pm 3bdd + 9bd^3 \pm 27bd^4 + 81bd^5 \pm 243bd^6 \text{ \&c.}$$

$$\text{GN}(\gamma\nu)\ \infty\ \frac{bd}{1 \pm 4d}\ \infty\ bd \pm 4bdd + 16bd^3 \pm 64bd^4 + 256bd^5 \pm 1024bd^6 \text{ \&c.}$$

$$\text{Ult. RO}(\varrho o)\ \infty\ \frac{bd}{1 \pm nd}\ \infty\ bd \pm nbdd + nnbd^3 \pm n^3bd^4 + n^4bd^5 \pm n^5bd^6 \text{ \&c.}$$

Harum ſerierum primi termini æquantur, ſecundi progrediuntur ut numeri naturales, tertii ut eorundem quadrata, quarti ut cubi, &c. hinc poſito numero ſerierum ſeu parallelogrammorum n infinito (quo quidem caſu ſumma parall-orum ſeu inſcript. ſeu circumſcriptorum ab ipſo curvilineo CBIO vel $CB\iota o$ non differt) ſumma terminorum primæ ſeriei perpendicularis erit æqualis, terminorum ſecundæ dimidia, tertiæ ſubtripla &c. ſummæ totidem, hoc eſt, n terminorum ultimo æqualium, per ea, quæ docet Walliſius in Arithm. Infinit. noſque demonſtrabimus alibi: ac propterea ſumma omnium ſerierum perpendicularium, i. e. omnium parallelogrammorum, ſeu area ſpatii hyperbolici CBIO ($CB\iota o$) hac ſerie exprimetur:

$$\frac{nbd}{1} \pm \frac{nnbdd}{2} + \frac{n^3bd^3}{3} \pm \frac{n^4bd^4}{4} + \frac{n^5bd^5}{5} \pm \frac{n^6bd^6}{6} \text{ \&c.}$$

ſive, loco nd ſubſtituendo x,

bx

$\frac{bx}{1} \mp \frac{bxx}{2} + \frac{bx3}{3} \mp \frac{bx4}{4} + \frac{bx5}{5} \mp \frac{bx6}{6}$ &c.

Mod. 2. *Per Calc. diff. Leibn.* Positis, ut prius, AB ∞ 1 ∞ BD, BC ∞ b, & BI (Bι) ∞ x, ejusque elemento RI (ρι) ∞ dx, erit ex natura hyperbolæ IO (ιο) $\infty \frac{b}{1 \mp x}$, & elementum spatii hyperbolici RO (ρο) $\infty \frac{bdx}{1 \mp x} \infty$ seriei geometricæ $bdx \mp bxdx + bxx\,dx \mp bx^3 dx + bx^4 dx$ &c. per XXXVI. & XXXVII; adeoque summa elementorum $S\frac{bdx}{1 \mp x}$, sive spatium CBIO (CBιο) ∞ $bx \mp \frac{bxx}{2} + \frac{bx3}{3} \mp \frac{bx4}{4} + \frac{bx5}{5}$ &c. eadem series, quæ suprà, mixta sc. ex geometrica & harmonica, per præced. Hæc igitur si summari posset, daretur Hyperbolæ quadratura.

Coroll. 1. Si BI ∞ Bι, dabitur tum summa tum differentia spatiorum CBIO & CBιο per seriem ex geom. & harm. mixtam: cum enim sit ostensum

$$\text{CBIO} \infty bx + \frac{bxx}{2} + \frac{bx3}{3} + \frac{bx4}{4} + \frac{bx5}{5} + \frac{bx6}{6} \text{ \&c.}$$
$$\text{CB}\iota o \infty bx - \frac{bxx}{2} + \frac{bx3}{3} - \frac{bx4}{4} + \frac{bx5}{5} - \frac{bx6}{6} \text{ \&c.}$$

fiet facta serierum additione & subtractione,

$$\text{CBIO} + \text{CB}\iota o \infty \frac{2bx}{1} + \frac{2bx3}{3} + \frac{2bx5}{5} \text{ \&c.}$$
$$\text{CBIO} - \text{CB}\iota o \infty \frac{2bxx}{2} + \frac{2bx4}{4} + \frac{2bx6}{6} \text{ \&c.}$$

Coroll. 2. Posita BI, x ∞ BA, 1, fit spatium interminatum hyperbolicum PCBAS $\infty \frac{b}{1} + \frac{b}{2} + \frac{b}{3} + \frac{b}{4} + \frac{b}{5} + \frac{b}{6}$ &c. simplici seriei harmonicæ, quæ cum infinita sit per XVI, arguit & aream hujus spatii talem esse. Conf. Cor. 4. ejusd. Prop.

Cor. 3. Sin & Bι, x, ∞ BD, 1 ∞ BC, b, resultat pro spatio CBDQ series harmonica $\frac{1}{1} - \frac{1}{2} + \frac{1}{3} - \frac{1}{4} + \frac{1}{5} - \frac{1}{6}$ &c. hoc est, subducendo unumquemque terminum signo — affectum à præcedenti, series $\frac{1}{2} + \frac{1}{12} + \frac{1}{30} + \frac{1}{56}$ &c. cujus termini per saltum excerpti sunt ex serie reciproca trigonalium Q Prop. XV, $\frac{1}{2} + \frac{1}{6} + \frac{1}{12} + \frac{1}{20} + \frac{1}{30}$ &c.

Quòd si statuatur □ AB, BC vel BD quadruplo minus, np. $\frac{1}{4}$, exhibebitur etiam spatium CBDQ per seriem prioris subquadruplam $\frac{1}{8}+\frac{1}{48}+\frac{1}{120}$ &c. quæ per saltum formatur ex serie I Propos. XVII. Conf. Act. Lips. 1682. p. 46.

XLIII. *Invenire aream spatii ABEFS (BDφ) comprehensi Asymptota hyperbolæ AD, & Curva BEF (εφ), quæ talis, ut ▭ sub ejus applicata IE (ιε) & recta constante AB, BC vel BD (quæ sit 1) æquetur spatio hyperbolico CBIO (CBιο).* Fig. 2.

Quoniam, posita BI ∞ x, spatium hyperbolicum CBIO ∞ $x+\frac{xx}{2}+\frac{x3}{3}+\frac{x4}{4}+\frac{x5}{5}$ &c. per præced. eadem quoque series denotabit (ob AB vel BC ∞ 1) longitudinem applicatæ IE, quæ propterea ducta in IR seu dx producit $xdx+\frac{xxdx}{2}+\frac{x3dx}{3}+\frac{x4dx}{4}+\frac{x5dx}{5}$ &c. ∞ RE, elem. spatii BIE. Hujus seriei terminos summando fit spatium BIE ∞ $\frac{xx}{2}+\frac{x3}{6}+\frac{x4}{12}+\frac{x5}{20}+\frac{x6}{30}$ &c. seriei mixtæ ex geometrica & reciproca trigonalium, quæ posito insuper BI, x ∞ BA, 1, mutatur in simplicem trigonalium reciprocam $\frac{1}{2}+\frac{1}{6}+\frac{1}{12}+\frac{1}{20}+\frac{1}{30}$ &c. cujus summa ∞ 1, per XV. Est igitur totum spatium ABEFS absolutè quadrabile, æquale quippe □^to AB. Nota hîc exemplum Curvæ mechanicæ, ubi quadratura specialis succedit absque generali; simplicis enim seriei summam dedimus, mixtæ non item.

Eadem ratione ostendetur ex altero latere spatium Bιε ∞ $\frac{xx}{2}-\frac{x3}{6}+\frac{x4}{12}-\frac{x5}{20}$ &c. totumque spatium BDφ ∞ $\frac{1}{2}-\frac{1}{6}+\frac{1}{12}-\frac{1}{20}$ &c.

Coroll. Completis rectangulis CD & BQ, ajo fore curvilineum mechanicum BDφ ∞ duplo curvilineo hyperbolico CQL, differentiam curvilineorum ABEFS & BDφ ∞ duplo spatio CQH, & summam eorundem ∞ 2 CBDQ; quæ sic palàm fiunt: Si à serie $\frac{1}{1}-\frac{1}{2}+\frac{1}{3}-\frac{1}{4}+\frac{1}{5}-\frac{1}{6}$ &c. subducatur $\frac{1}{2}-\frac{1}{3}+\frac{1}{4}-\frac{1}{5}+\frac{1}{6}-\frac{1}{7}$ &c. auferendo sigillatim primum terminum à primo, secundum à secundo, tertium à tertio, &c. relinquetur $\frac{1}{2}-\frac{1}{6}+\frac{1}{12}-$

$\frac{1}{12}-\frac{1}{20}+\frac{1}{30}-\frac{1}{42}$ &c. ∞ ſpatio BDφ, ut oſtenſum. Si vero eadem ſeries ex altera ſic tollatur, ut primus ejus terminus dematur ex ſecundo alterius, ſecundus ex tertio, tertius ex quarto &c. orietur $\frac{1}{1}-\frac{2}{2}+\frac{2}{3}-\frac{2}{4}+\frac{2}{5}-\frac{2}{6}$ &c. ∞ $\frac{2}{1}-\frac{2}{2}+\frac{2}{3}-\frac{2}{4}$ &c. -1∞ (per præced.) duplo ſpat. hyperb. CBDQ $-$ BH ∞ 2 CBDQ $-$ 2 DL ∞ 2 CLQ. Ergo BDφ ∞ 2 CLQ. Igitur cum oſtenſum etiam ſit ABEFS ∞ 1 ∞ BH ∞ 2 DL ∞ 2 LH, erit ABEFS $-$ BDφ ∞ 2 LH $-$ 2 CLQ ∞ 2 CQH; nec non ABEFS $+$ BDφ ∞ 2 DL $+$ 2 CLQ ∞ 2 CBDQ. Quæ erant demonſtr.

XLIV. *Invenire aream ſpatii ABKGMT (BDNγK) comprehenſi aſymptota hyperbolæ AD, & Curva KGM (KγN), quæ talis, ut* ▭ *BIG (B$\iota\gamma$) ſub ejus applicata IG ($\iota\gamma$) & indeterminata BI (Bι), æquetur ſpatio hyperbolico CBIO (CBιo).* Fig. 2.

Quia poſitis omnibus, ut prius, ſpatium hyperb. CBIO ∞ $x+\frac{xx}{2}+\frac{x^3}{3}+\frac{x^4}{4}+\frac{x^5}{5}$ &c. per XLII, erit per hyp. facta diviſione per BI ſeu x, recta IG ∞ $1+\frac{x}{2}+\frac{xx}{3}+\frac{x^3}{4}+\frac{x^4}{5}$ &c. adeoque RG elem. ſpat. BIGK ∞ $dx+\frac{xdx}{2}+\frac{xxdx}{3}+\frac{x^3dx}{4}$ &c. omniaq; RG ſeu ſpatium BIGK ∞ $\frac{x}{1}+\frac{xx}{4}+\frac{x^3}{9}+\frac{x^4}{16}+\frac{x^5}{25}$ &c. & poſita $x\infty 1$, ſpatium totale ABKGMT ∞ $\frac{1}{1}+\frac{1}{4}+\frac{1}{9}+\frac{1}{16}+\frac{1}{25}$ &c. ſeriei reciprocæ quadratorum, cujus ſummam etiamnum deſideramus. Conf. Prop. XVII. ſub fin.

Haud diſſimili modo reperitur ex altera parte ſpatium B$\iota\gamma$K ∞ $\frac{x}{1}-\frac{xx}{4}+\frac{x^3}{9}-\frac{x^4}{16}+\frac{x^5}{25}$ &c. ſumtaque x ∞ 1, totale ſpatium BDNγK & $\frac{1}{1}-\frac{1}{4}+\frac{1}{9}-\frac{1}{16}+\frac{1}{25}$ &c.

Coroll. Spatium ABKGMT duplum eſt ſpatii BDNγK; cum enim ſumma utriusque ſit $\frac{2}{1}+\frac{2}{9}+\frac{2}{25}$ &c. & differentia $\frac{2}{4}+\frac{2}{16}+\frac{2}{36}$ &c. erit utique ſumma ad differentiam, ut $\frac{1}{1}+\frac{1}{9}+\frac{1}{25}$ &c. ad $\frac{1}{4}+\frac{1}{16}+\frac{1}{36}$ &c. h. e. ut 3 ad 1, per XXIV; unde ſpatium unum alterius duplum eſſe neceſſe eſt, ut maximè neutrius abſolutam magnitudinem exploratam habeamus. Vid. Schol. ibid.

XLV. *Exhibere Quadraturam Circuli aut Rectificationem Lineæ Circularis per seriem.* Fig. 3.

In peripheria semicirculi BCD, sumto indefinitè puncto H, demittatur ex illo in radium AB perpendicularis HE; & sit AB $\infty 1$, & BE ∞x, adeoque ex nat. circ. EH $\infty \sqrt{2x - xx}$: quo posito, cum ob simil. Triangul. characteristici LGH & Triangul. HEA, HE sit ad HA, sicut LG vel EF elem. abscissæ BE, ad LH elem. arcus circ. BH, reperitur LH $\infty \frac{dx}{\sqrt{2x - xx}}$, factaque multiplicatione per $\frac{1}{2}$, semissem radii AH, sector HAL seu elem. sectoris HAB $\infty \frac{dx}{2\sqrt{2x - xx}}$. Hæc igitur quantitas, cum absolutè summari nequeat, in seriem convertenda est, sed prius tollenda irrationalitas, quod eo ferè modo fit, quo in Problematis Diophanteis uti vulgo sueverunt. In hunc finem pono $\sqrt{2x - xx}$ $\infty \frac{x}{t}$, seu $2x - xx \infty \frac{xx}{tt}$, ubi quia divisio fieri potest per x, ipsaque non nisi unius dimensionis in æquatione relinquitur, ejus valor in rationalibus prodibit, unde & dx, & per hypoth. $\sqrt{2x - xx}$ seu $\frac{x}{t}$, ipsaque adeo fractio $\frac{dx}{2\sqrt{2x - xx}}$, rationales fient; nempe $x \infty \frac{2tt}{1 + tt}$, $dx \infty \frac{4t\,dt}{\square : 1 + tt}$, $\sqrt{2x - xx} \infty \frac{x}{t} \infty \frac{2t}{1 + tt}$, & deniq; $\frac{dx}{2\sqrt{2x - xx}}$ $\infty \frac{dt}{1 + tt}$; hinc fractio in seriem geometricam per XXXVII conversa exhibet $dt - tt\,dt + t^4\,dt - t^6\,dt + t^8\,dt$ &c. Summa igitur elementorum HAL, seu totus sector HAB $\infty t - \frac{t^3}{3} + \frac{t^5}{5} - \frac{t^7}{7} + \frac{t^9}{9}$ &c. eoque per semissem radii $\frac{1}{2}$ diviso, arcus BH ∞ $\frac{2t}{1} - \frac{2t^3}{3} + \frac{2t^5}{5} - \frac{2t^7}{7} + \frac{2t^9}{9} - \frac{2t^{11}}{11}$ &c. quæ series mixtæ sunt ex geometrica & harmonica, per XLI, à quarum proin summatione decantatum illud de Circuli Tetragonismo Problema dependet. Nota, ductis ex B & H tangentibus circuli BI, HI, sibi mutuo occurrentibus in I, junctaque HD, quæ radium AC secet in K, fore BI vel IH ∞ AK, utramlibet autem ∞t. Nam 2. ang. BAI ∞ BAH ∞ AHD + ADH ∞ 2 ADH. Ergo BAI ∞ ADH;

A D H; cumque & A B I & D A K anguli, nec non latera A B & A D æquentur, erit quoque B I ∞ A K. Deinde cum sit per hypoth. 1 ad t, ut $\sqrt{2x - xx}$ ad x; itemque, ob sim. △ D A K & D E H, A D seu 1 ad A K, sicut D E ad E H, hoc est, ex nat. circul. H E ad E B, seu $\sqrt{2x - xx}$ ad x; erit utique $1 . t :: 1 .$ A K, ac proinde A K seu B I $\infty\, t$.

Coroll. 1. Sumta $t \infty 1$, quo casu & B E, x seu $\frac{2tt}{1+tt}$, æquatur B A, 1, fiet quadrans B A C ∞ simplici seriei harmonicæ $1 - \frac{1}{3} + \frac{1}{5} - \frac{1}{7} + \frac{1}{9} - \frac{1}{11}$ &c. ∞ (subducto reapse unoquoque termino signo — affecto à præcedente) $\frac{2}{3} + \frac{2}{35} + \frac{2}{99}$ &c. Hinc quia quadratum radii est ad quadrantem circuli, sicut quadratum diametri ad totum circulum, sequitur si quadratum diametri, h. e. quadratum circulo circumscriptum sit 1, ac proin eidem inscriptum $\frac{1}{2}$, totius circuli aream per modo memoratam seriem expressum iri; adeoque si quadratum circulo inscriptum sit $\frac{1}{4}$, circuli aream fore $\frac{1}{3} + \frac{1}{35} + \frac{1}{99}$ &c. cujus seriei termini per saltum excerpti sunt ex serie H Prop. XVII. Conf. Act. Lips. 1682. p. 45.

Coroll. 2. Posita Tangente B I $\infty\, t$, erit arcus, cujus tangens est, $\infty\, \frac{t}{1} - \frac{t^3}{3} + \frac{t^5}{5} - \frac{t^7}{7}$ &c. utpote semissis arcus B H. Confer Act. Lips. 1691. pag. 179.

XLVI. *Exhibere generaliter Sectorem cujusvis Sectionis Conicæ ex centro per seriem.* Fig. 4. & 5.

Esto Coni Sectio quæcunque, Hyperbola sive Ellipsis, B C D, cujus centrum A, vertex B, semi-latus transversum A B $\infty\, a$, semi-axis conjugatus A L ∞ 1, adeoque semi-latus rectum $\infty\, \frac{1}{a}$, & ratio laterum, ut aa ad 1. Ponanturque porrò, abscissa indeterminata B G $\infty\, x$, A G $\infty\, z \infty\, a \between x$ ($\between$ significat + in Hyperbol. & — in Ellips. uti $\between$ vicissim — in Hyp. & + in Ell.) ejusque elementum F G vel C H $\infty\, dx \infty \between dz$, ordinata G D $\infty\, y$, ejus elementum D H $\infty\, dy$, & jungens D cum centro recta A D $\infty\, u \infty \sqrt{zz \between yy}$. Ducta etiam intelligatur H C I parallela axi, secansque

que curvam in C & rectam A D in I, atque ex C demissa concipiatur in A D perpendicularis C E. Quibus positis, erit primo ex nat. Curv. $aa. 1 :: \pm zz \pm aa\ (2ax \pm xx). yy$; unde fit $aayy \infty \pm zz \pm aa\ (2ax \pm xx)$, & differentiando $aaydy \infty \pm zdz$, & denique $dy \infty \frac{\pm zdz}{aay} \infty \frac{zdx}{aay}$. Deinde quoniam, ob sim. $\triangle$ DGA & DHI, DG, y est ad GA, z, sicut DH, dy, ad HI, invenitur HI $\infty \frac{zdy}{y}$, ac proinde CI (HI $\pm$ HC) $\infty \frac{zdy}{y} - dz \infty \frac{zdy - ydz}{y}$. Quare denuò propter $\triangle$ sim. AGD & IEC, ut AD, u, ad DG, y, sic IC, $\frac{zdy - ydz}{y}$, ad CE; unde reperitur CE $\infty \frac{zdy - ydz}{u}$, quæ ducta in semissem AD, seu $\frac{1}{2}u$, dat aream trianguli elementaris ACD $\infty \frac{zdy - ydz}{2} \infty$ (posito loco dy valore ejus) $\frac{\pm zzdz}{2aay} - \frac{ydz}{2} \infty \frac{\pm zzdz - aayydz}{2aay} \infty$ (substituendo $\pm zz \pm aa$ loco $aayy$) $\frac{\pm zzdz \pm zzdz \pm aadz}{2aay} \infty \frac{\pm adz}{2ay} \infty \frac{adx}{2ay} \infty$ (loco ay surrogando $\sqrt{2ax \pm xx}$) $\frac{adx}{2\sqrt{2ax \pm xx}}$, de qua in seriem convertenda & summanda agitur. Primò autem irrationalitas ex illa tollenda, mediante alia indeterminata, quæ loco x surrogari debet, ut in præc. Pono itaque $\sqrt{2ax \pm xx} \infty \frac{x}{t}$, unde fluit $x \infty \frac{2att}{1 \pm tt}$, & $dx \infty \frac{4atdt}{\square : 1 \pm tt}$, & $\sqrt{2ax \pm xx} \infty \frac{x}{t} \infty \frac{2at}{1 \pm tt}$, & denique $\frac{adx}{2\sqrt{2ax \pm xx}} \infty \frac{adt}{1 \pm tt} \infty$ seriei geom. $adt \pm attdt + at^4dt \pm at^6dt + at^8dt$ &c. per XXXVI & XXXVII. Summa igitur omnium sectorum elementarium A C D, i. e. area totius Sectoris A B C D $\infty at \pm \frac{at^3}{3} + \frac{at^5}{5} \pm \frac{at^7}{7} + \frac{at^9}{9}$ &c. $\Box$ scil. comprehenso sub a semi-latere transverso & recta, cujus longitudo est $t \pm \frac{t^3}{3} + \frac{t^5}{5} \pm \frac{t^7}{7} + \frac{t^9}{9}$ &c. Unde patet, quo pacto generaliter quadraturæ sectionum Conicarum ad summas serierum ex geomet. & harmon. mixtarum reducantur.

Nota,

Nota, ductis per verticem B & punctum Curvæ D tangentibus BM, DT, sibi mutuo occurrentibus in M, dico fore BM ∞ t. Quoniam enim AG. AB :: AB. AT, per 37. lib. 1. Apoll. ac idcircò convertendo AB. TB :: AG, z. GB, x; nec non (ob sim. △ TBM & CHD) TB. BM :: CH, dx. HD, dy :: (ex æquat. Curvæ different.) aay. z; erit ex æquo perturbatè AB, a. BM :: aay. x; unde obtinetur BM $\infty \frac{x}{ay} \infty \frac{x}{\sqrt{2ax - xx}}$; adeoque $\sqrt{2ax - xx}$. x :: 1. BM: verum per constructionem $\sqrt{2ax - xx}$. x :: 1. t. Ergò omnino BM ∞ t. Conf. Act. Lips. 1691. p. 179.

XLVII. *Dato Numero invenire Logarithmum per seriem.* Fig. 6.

Intelligatur super axe SAσ Curva quædam CB$\varkappa$, ejus naturæ, ut abscissæ AR, AS (Aϱ, Aσ) crescant arithmeticè, dum applicatæ RE, SC ($\varrho\epsilon$, $\sigma\varkappa$) crescunt vel decrescunt geometricè, h. e. ut istæ sint ut Numeri, dum illæ sunt ut Logarithmi. Vocabitur hæc Curva *Logarithmica*, cujus hæc est proprietas, ostendente Acut. Leibnitio in Act. Lips. 1684. p. 473. ut Subtangentes ejus omnes AK, RN, $\varrho\nu$ sint æquales. Applicetur in A recta AB, & sumto quovis in curva puncto E (ϵ) ducatur recta EI ($\epsilon\iota$) parallela axi SA; voceturque AB 1, BI (Bι) x; adeoque AI (Aι) seu RE ($\varrho\epsilon$) $1 - x$; nec non AR (Aϱ) y, & constans curvæ subtangens b. Dato itaque numero RE ($\varrho\epsilon$) ejus Logarithmus AR (Aϱ) sic invenitur. Quoniam ex nat. gen. curvarum, elementum applicatæ EF ($\epsilon\varphi$) dx, est ad elementum abscissæ FG ($\varphi\gamma$) dy, sicut applicata RE ($\varrho\epsilon$) $1 - x$, ad curvæ subtaugentem RN ($\varrho\nu$) b, habebitur $dy \infty \frac{bdx}{1-x} \infty$ fractione in seriem resoluta per XXXVI & XXXVII) $bdx - bxdx + bxxdx - bx^3dx + bx^4dx - bx^5dx$ &c. ideoque facta summatione, y, hoc est, AR (Aϱ) $\infty\, bx - \frac{bxx}{2} + \frac{bx^3}{3} - \frac{bx^4}{4} + \frac{bx^5}{5} - \frac{bx^6}{6}$ &c. quæ insuper in casu speciali BI (Bι) ∞ BA ∞ BD, seu $x \infty 1$, fit $b - \frac{b}{2} + \frac{b}{3} - \frac{b}{4} + \frac{b}{5} - \frac{b}{6}$ &c.

Coroll. 1. Identitas hujus ſeriei cum illa, quam ſupra Prop. XLII. pro ſpatio Hyperbolico quadrando reperiimus, de mutua dependentia & affinitate inter Hyperbolam & Logarithmos nos admonet, perſpicuumque facit, quod ſumtis in utraque Fig. 1. & 6. ipſis BI ($B\iota$) æqualibus ſpatium hyperbolicum CBIO ($CB\iota o$) æquetur ▭lo ſub unitate AB & Logarithmo AR ($A\rho$). Unde porrò infertur, quòd ſumtis utrobique AB, $A\iota$, AD, hoc eſt, AB, $\rho\iota$, $\sigma\chi$ continuè proportionalibus, quo caſu ex natura Logarithmicæ $A\sigma$ dupla fiet ipſius $A\rho$, ſpatium hyperbolicum CBDQ duplum quoque ſit ipſius $CB\iota o$, indeque $CB\iota o$, $o\iota$DQ ſpatia futura ſint æqualia.

Coroll. 2. Quoniam evidens eſt, exiſtente BI ∞ AB, h. e. evaneſcente AI ſeu RE, Logarithmum AR reddi infinitum, ſequitur & ſeriem harmonicam Logarithmum hunc exprimentem, $b + \frac{b}{2} + \frac{b}{3} + \frac{b}{4} + \frac{b}{5}$ &c. talem eſſe; unde denuò veritas Prop. XVI. conſtat.

Coroll. 3. Dato quovis Logarithmo putà binarii, determinari poteſt ex illo curvæ ſubtangens b; cum enim poſita BD ∞ 1 ∞ AB, adeoque AD ∞ $\sigma\chi$ ∞ 2, oſtenſum ſit $A\sigma$ Log-um binarii eſſe ∞ $b - \frac{b}{2} + \frac{b}{3} - \frac{b}{4}$ &c. ∞ b in $\overline{1 - \frac{1}{2} + \frac{1}{3} - \frac{1}{4}}$ &c. erit viciſſim b ∞ $\frac{Log.\ 2.}{1 - \frac{1}{2} + \frac{1}{3} - \frac{1}{4}\ \&c.}$

XLVIII. *Dato Sinu complementi reperire Logarithmum Sinus recti per ſeriem.* Fig. 6.

In eadem fig. centro A per B deſcriptus eſto circuli quadrans $BH\sigma$, quem producta EI ſecet in H, erit AI ſeu RE ſinus arcus $H\sigma$, & AR ejus Logarithmus, exiſtente vid. radii AB ceu unitatis Logarithmo o. Ponatur ſinus complementi IH ∞ x, ut fiat ſinus rectus AI ſeu RE ∞ $\sqrt{1 - xx}$, ejusque elementum EF ∞ $\frac{-x\,dx}{\sqrt{1 - xx}}$, erit ex nat. gen. curv. EF $\frac{-x\,dx}{\sqrt{1 - xx}}$ ad FG, elementum Log-i AR; ut RE, $\sqrt{1 - xx}$ ad ſubtangentem Logarithmicæ RN quæ ſit 1; adeoque FG ∞ $\frac{-x\,dx}{1 - xx}$ ∞ (per XXXVI) $-x\,dx$

$-x^3$

$-x^3dx - x^5dx - x^7dx$ &c. Quare summando fient omnia FG, seu Log-us AR $\infty - \frac{xx}{2} - \frac{x^4}{4} - \frac{x^6}{6} - \frac{x^8}{8} - \frac{x^{10}}{10}$ &c. negativus scil. quia numerus ejus RE minor est unitate AB; at si fiat positivus $\frac{xx}{2} + \frac{x^4}{4} + \frac{x^6}{6} + \frac{x^8}{8}$ &c. hoc est, si AR transferatur ex altera parte in Aϱ, erit is propriè Logarithmus rectæ $\varrho\varepsilon$, id est (ex natura Log-orum) tertiæ proportionalis ad ipsum sinum RE & radium AB; qui tamen Log-us immediatè quoque reperiri potuisset ex valore numeri sui $\varrho\varepsilon \infty \frac{1}{\sqrt{1-xx}}$.

Idem etiam D. Leibnitius Act. Lipf. 1691. p. 180. eleganter hoc modo:

$$\left.\begin{array}{l}\text{Log.}\,\overline{1-x} \infty -y \infty -x - \frac{xx}{2} - \frac{x^3}{3} - \frac{x^4}{4} - \frac{x^5}{5} - \frac{x^6}{6}\ \text{\&c.}\\ \text{Log.}\,\overline{1+x} \infty +y \infty +x - \frac{xx}{2} + \frac{x^3}{3} - \frac{x^4}{4} + \frac{x^5}{5} - \frac{x^6}{6}\ \text{\&c.}\end{array}\right\}\ \text{per præc.}$$

$$\text{Log.}\,\overline{1-xx} \infty\ \text{(ex nat. log.)}$$

$$\text{Log.}\,\overline{1-x} + \text{log.}\,\overline{1+x} \infty -xx \quad -\frac{x^4}{2} \quad -\frac{x^6}{3}\ \text{\&c.}$$

$$\text{Log.}\sqrt{1-xx} \infty \tfrac{1}{2}\text{log.}\,\overline{1-xx} \infty -\frac{xx}{2} \quad -\frac{x^4}{4} \quad -\frac{x^6}{6}\ \text{\&c.}$$

Coroll. Posito sinu complementi HI hujus fig. ∞ BI vel Bι fig. 1. diæquabitur $\square$lum sub Logarithmo sinus recti AR & radio AB dimidio excessui, quo spatium hyperbolicum CBIO superat alterum CBιo. Patet ex Cor. 1. XLII, ubi CBIO $-$ CBιo serie præsentis dupla expressum legitur. Cæterùm moneri potuisset ibi, quod sumta z tertia proportionali ad 1 & x, seu posita $z \infty xx$, series illa convertatur in aliam $z + \frac{zz}{2} + \frac{z^3}{3} + \frac{z^4}{4}$ &c. qua quoque spatium hyperbolicum, putà CBGM, existente BG ∞ z vel xx, innuitur. Hinc enim patet, quòd CBIO $-$ CB$\iota o \infty$ CBGM; & CBIO $-$ CBGM seu MGIO ∞ CBιo; adeoque (cum his positis AI, $1-x$ sit ad AG, $1-xx$, sicut AB, 1 ad Aι, $1+x$) quòd sumtis AI, AG, AB, Aι utcunque proportionalibus spatia segmentis IG, Bι insistentia semper futura sunt æqualia.

XLIX. *Applicatam Curvæ Catenariæ exhibere per seriem.* Fig. 6.

Esto Curva $\mu B \lambda$, quam Catena ab extremitatibus suis liberè suspensa proprio pondere format, dicta *Catenaria*; cujus centrum A, vertex B, axis ABD, parameter $AB \infty 1$, abscissa $A\iota \infty z$, & applicata $\iota\lambda$ vel $\iota\mu \infty y$. Constat ex iis, quæ Act. Lipſ. 1691. p. 274. &c. hac de Curva memoriæ prodita leguntur, elementum applicatæ dy esse $\infty \frac{dz}{\sqrt{zz-1}}$. Hinc ad tollendam surditatem pono $\sqrt{zz-1} \infty t - z$; unde fit $z \infty \frac{tt+1}{2t}$, $dz \infty \frac{tt-1}{2tt} dt$, $\sqrt{zz-1} \infty t - z \infty \frac{tt-1}{2t}$, ac denique $\frac{dz}{\sqrt{zz-1}}$ $(dy) \infty \frac{dt}{t}$. Quam porrò fractionem ut in seriem convertam, facio denominatorem bimembrem, substituendo $1 + x$ loco t, & dx loco dt; eritque $\frac{dt}{t}$ seu $dy \infty \frac{dx}{1+x} \infty$ (per XXXVII) $dx - xdx + xxdx - x^3dx + x^4dx$ &c. unde omnia dy seu $y \infty x - \frac{xx}{2} + \frac{x^3}{3} - \frac{x^4}{4} + \frac{x^5}{5}$ &c. Quoniam autem $z \infty \frac{tt+1}{2t}$, hoc est, $tt \infty 2zt - 1$, & t seu $1 + x \infty z + \sqrt{zz-1}$, prodibit $x \infty z - 1 + \sqrt{zz-1} \infty$ (facta $\iota D \infty \sqrt{zz-1}$) $B\iota + \iota D \infty BD$; igitur data $A\iota$, z dabitur BD, x, indeque $\iota\lambda$ seu y per seriem.

Coroll. Ex serie inventa collata cum Prop. XLVII. liquet, y esse Logarithmum numeri x; unde data Logarithmica κBC, cujus subtangens $\infty AB \infty 1$, puncta Catenariæ reperire proclive. Cùm enim z, hoc est, $A\iota$ vel $\sigma\lambda$ $(S\mu) \infty \frac{tt+1}{2t} \infty \frac{1}{2}t + \frac{1}{2t}$, patet, abscissis hinc inde Logarithmis æqualibus $A\sigma$ (AS) ordinatam Catenariæ $\sigma\lambda$ $(S\mu)$ semissem esse oportere summæ duarum ab AB æquidistantium ordinatarum Logarithmicæ $\sigma\kappa$ & SC, quarum illa $\infty AD \infty t$, hæc ex natura Log. $\infty \frac{1}{t}$. Atque in hoc ipso consistit elegantissima hujus Curvæ constructio Leibnitiana, quam videsis in Act. Lipſ. 1691. p. 277. seqq.

L. Datis

L. *Datis latitudine loci alicujus in Curva Loxodromica & angulo Rumbi cum meridiano, exhibere longitudinem loci per seriem.* Fig. 3.

Lineam Rumbicam seu Loxodromicam vocant Nautæ, quam navis secundùm eundem venti Rumbum constanter incedens in superficie globi terr-aquei describit; adeoque curva est, quæ omnes meridianos eodem angulo obliquo intersecat. Incipit hæc in Æquatore, indeque versus alterutrum polorum obliquè recedendo, tandem in ipsum polum, quem infinitis gyris ambit, desinit. Sumto in fig. 3. sinus totus, idemque & radius Æquatoris, A C ∞ 1, B C D meridianus, B & D poli, tangens anguli Rumbici ∞ t, H punctum in Loxodromica, ejus latitudo H C, sinus latitudinis A E, & sinus complementi H E qui vocetur z, longitudo verò seu arcus æquatoris inter meridianum loci H & principium Loxodromicæ interceptus dicatur x. His positis, per illa quæ in Act. Lipf. 1691. p. 284. ostensa sunt, invenitur elementum longitudinis dx ∞ $\frac{-tdz}{z\sqrt{1-zz}}$: ad cujus tentandam reductionem pono primò z ∞ $\frac{1}{p}$; unde fit dz ∞ $\frac{-dp}{pp}$, $\frac{dz}{z}$ ∞ $\frac{-dp}{p}$, $\sqrt{1-zz}$ ∞ $\frac{\sqrt{pp-1}}{p}$, & denique $\frac{-tdz}{z\sqrt{1-zz}}$ (dx) ∞ $\frac{tdp}{\sqrt{pp-1}}$; porrò quidem memini, ejusdem formæ fuisse elementum Catenariæ in præc. pergo ponere sicut ibi, $\sqrt{pp-1}$ ∞ $p-q$, indeque elicio $\frac{tdp}{\sqrt{pp-1}}$ (dx) ∞ $\frac{-tdq}{q}$, ac rursum statuendo q ∞ $1-r$ tandem obtineo $\frac{-tdq}{q}$ (dx) ∞ $\frac{tdr}{1-r}$; quæ quidem quantitas etiam immediatè elici potuisset ex quantitate $\frac{-tdz}{z\sqrt{1-zz}}$ si statim fecissem z ∞ $\frac{2-2r}{2-2r+rr}$: at in tales hypotheses incidere sæpenumerò difficile est, nisi jam usu compertum habeatur, quæ formulæ in quas transformari possint. Nota, r ∞ A C — B I, excessui nempe radii suprà tangentem semissis complementi latitudinis puncti H; etenim supposita B I ∞ $1-r$, ductaque recta B H, cum similia sint triangula H E B, A B I, erit H E, z, ad E B, $1-\sqrt{1-zz}$, ut A B, 1, ad B I, $1-r$, unde

 resultat

resultat $z \infty \frac{2-2r}{2-2r+rr}$, ut oportet. Conversa autem per XXXVI. inventa quantitate $\frac{tdr}{1-r}$ in seriem, habetur $dx \infty tdr + trdr + trrdr + tr^3dr$ &c. & facta summatione $x \infty tr + \frac{trr}{2} + \frac{tr^3}{3} + \frac{tr^4}{4}$ &c. Patet igitur, quomodo ex data tangente semissis complementi latitudinis inveniatur longitudo.

Sciendum autem, elementum longitudinis $\frac{-tdz}{z\sqrt{1-zz}}$ adhuc aliter posse reduci, statuendo nempe $\sqrt{1-zz} \infty y$; hinc enim fit $z \infty \sqrt{1-yy}$, $dz \infty \frac{-ydy}{\sqrt{1-yy}}$, & $\frac{-tdz}{z\sqrt{1-zz}}$ (dx) $\infty \frac{tdy}{1-yy} \infty$ (per XXXVI) $tdy + tyydy + ty^4dy + ty^6dy$ &c. ac deniq; omnia dx seu $x \infty ty + \frac{ty^3}{3} + \frac{ty^5}{5} + \frac{ty^7}{7}$ &c. ubi perspicuum est, y seu $\sqrt{1-zz} \infty$ AE sinui recto arcus HC; unde constat ratio definiendi etiam quæsitum ex sinu recto latitudinis, quemadmodum fecit Dn. Leibnitius Act. Lips. 1691. p. 181. Et patet, si in calculo, per quem ad initio memoratam æquationem $dx \infty \frac{-tdz}{z\sqrt{1-zz}}$ perveni, loco quantitatis indeterminatæ ipsum siuum rectum AE præ sinu complementi HE selegissem, me statim ad alteram æquationem immediatè in seriem convertibilem $dx \infty \frac{tdy}{1-yy}$ perventurum fuisse. Cæterum ex eo, quod duæ inventæ series eandem quantitatem x denotant, obiter concludimus, quòd si in circulo sinus cujuslibet arcus AE dicatur y, & AC — BI excessus radii suprà tangentem semissis complementi vocetur r, perpetuò futurum sit $y + \frac{y^3}{3} + \frac{y^5}{5}$ &c. ∞ $r + \frac{rr}{2} + \frac{r^3}{3}$ &c. Notamus etiam, si locus H sit in ipso polo, quo casu $r \infty 1 \infty y$, fore $x \infty t + \frac{t}{2} + \frac{t}{3} + \frac{t}{4}$ &c. vel $\infty t + \frac{t}{3} + \frac{t}{5}$ &c. quarum serierum summæ cum sint infinitæ per XVI, docent longitudinem loci H quoque infinitam esse, adeoque, quod dixi, curvam loxodromicam infinitis polum gyris ambire, priusquam in ipsum incidat.

Coroll.

Coroll. 1. Si in eadem Loxodromica præter locum H alius ſit locus notæ latitudinis, cujus ſinus rectus ꝏ v, & exceſſus radii ſuprà tangentem ſemiſſis complementi ꝏ s, erit ſimiliter ejus longitudo ꝏ t in $\overline{v + \frac{v^3}{3} + \frac{v^5}{5}}$ &c. vel ꝏ t in $\overline{s + \frac{ss}{2} + \frac{s^3}{3}}$ &c. adeoque differentia longitudinum utriusque loci erit utriusque ſeriei differentia, np. t in $\overline{\frac{y = v}{1} + \frac{y^3 = v^3}{3} + \frac{y^5 = v^5}{5}}$ &c. vel, t in $\overline{\frac{r = s}{1} + \frac{r^2 = s^2}{2} + \frac{r^3 = s^3}{3}}$ &c. Hinc ſi in alia quadam Loxodromica duo concipiantur loca latitudine cum prioribus convenientia, erunt, manentibus y & v, vel r & s iisdem, differentiæ longitudinum ut tangentes angulorum, quos Rumbi faciunt ad meridianos. Vid. Act. Lipſ. 1691. p. 182. & 285.

Coroll. 2. Ex collatione harum ſerierum cum ſeriebus Propp. XLII. XLVI. & XLVII. liquet Problematis convenientia cum quadratura Hyperbolæ & Logarithmis. Speciatim notamus, quòd exiſtente ſubtangente Logarithmicæ ꝏ t, quæſita longitudo puncti H ſit ipſe Logarithmus rectæ $1 - r$ ſeu BI, ut patet ex XLVII; vel etiam (cum D. Leibnitio loc. cit.) ſemiſſis Log-i quantitatis $\frac{1+y}{1-y}$ ſeu $\frac{DE}{EB}$, quod ſic oſtenditur:

$$\left.\begin{array}{l} \text{Log.}\,\overline{1+y}\ ꝏ + ty - \frac{tyy}{2} + \frac{ty^3}{3} - \frac{ty^4}{4} + \frac{ty^5}{5} - \frac{ty^6}{6}\ \&c. \\ \text{Log.}\,\overline{1-y}\ ꝏ - ty - \frac{tyy}{2} - \frac{ty^3}{3} - \frac{ty^4}{4} - \frac{ty^5}{5} - \frac{ty^6}{6}\ \&c. \end{array}\right\} \text{per XLVII.}$$

$$\text{Log.}\,\overline{\frac{1+y}{1-y}}\ ꝏ$$

$$\text{Log.}\,\overline{1+y} - \text{log.}\,\overline{1-y}\ ꝏ\ 2ty + \frac{2ty^3}{3} + \frac{2ty^5}{5}\ \&c.$$

Coroll. 3. Data longitudine & latitudine loci, dabitur angulus Rumbi cum meridiano; cum enim x ꝏ t in $\overline{r + \frac{rr}{2} + \frac{r^3}{3}}$ &c. ꝏ t in $\overline{y + \frac{y^3}{3} + \frac{y^5}{5}}$ &c. erit t. 1 : : x. $r + \frac{rr}{2} + \frac{r^3}{3}$ &c. vel $y + \frac{y^3}{3} + \frac{y^5}{5}$ &c.

&c. id eſt, tangens anguli quæſiti ad ſinum totum, ut arcus longitudinis ad Log-um BI, vel ſemiſſem Log-i $\frac{DE}{EB}$; adeoque per Coroll. 1. hujus, ut differentia duarum longitudinum ad differentiam duorum Log-orum BI, vel ſemi-differentiam duorum $\frac{DE}{EB}$. Intellige hic Logarithmos acceptos in Curva, cujus ſubtangens ∞ radio ∞ 1. Nota, ſi deſideretur angulus Loxodromicæ, quæ non niſi poſt unam pluresve integras revolutiones in datum locum perducat, augendus eſt arcus differentiæ longitudinum integra peripheria æquatoris ejusve multiplo.

Schol. Ex hactenus dictis expeditus habetur modus conſtruendi *Scalam* quandam *Loxodromicam*: Eſto in Fig. 6. B M σ circumferentia æquatoris in gradus ſuos & graduum minutias diviſa; hæc extendatur in rectam A S axem Logarithmicæ C B ϰ, ejuſque diviſionibus ordine ab A adſcribantur gradus longitudinum: tum ſumto indefinitè in circumferentia hac puncto M, biſectoque arcu M σ per rectam A T occurrentem tangenti σϰ in T, ducatur ex T recta T E axi A S parallela, ſecans Logarithmicam in E; ac denique ex E demittatur in axem perpendicularis E R; punctoque R adſcribatur numerus graduum in arcu B M: ſic habebuntur etiam gradus latitudinum; parataque erit Scala Loxodromica, quæ primario inſerviet Rumbo, cujus anguli tangens æquatur ſub tangenti Logarithmicæ. Numeri enim graduum cujusvis datæ latitudinis in ſcala ſtatim à latere aſpectui offerunt reſpondentes longitudinis gradus. Eadem tamen etiam cuilibet Rumbo prodeſſe poterit, ſi fiat per Coroll. 1. hujus, ut ſubtangens Logarithmicæ, è qua ſcala conſtructa eſt, ad anguli Rumbici tangentem, ſic longitudo vel differentia longitudinum per ſcalam inventa ad longitudinem vel differentiam longitudinum quæſitam: adeo ut ſcala ejusmodi in uſum nautarum circino proportionis inſculpta, & lineæ partium æqualium, quæ longitudinum gradus repræſentarent, juxta poſita inſtrumentum foret omnium forſan, quæ Naturæ hactenus tractarunt, compendioſiſſimum & utiliſſimum. Sed de his ſatis.

Antequam

Antequam pergamus, Lector advertere potest, quòd hucusque in differentialium summatione pro quovis elemento semper ejus integrale purum seu absolutum substituimus, velut x *pro* dx, $\frac{xx}{2}$ *pro* xdx *&c.* *At scire ipsum volumus, hoc minimè esse perpetuum; quanquam enim una eademque quantitas* x *non nisi unum habeat differentiale* dx, *idem tamen differentiale* dx *infinita habet integralia, unum quidem purum* x, *reliqua admissione quantitatum constantium affecta* x + a, x — b &c. *quorum in summationis negotio pro re nata nunc hoc nunc illud seligendum est, neque adeo sine præsenti hallucinationis periculo indiscriminatim semper purum adsumi potest. Restat itaque, ut ad vitandum scopulum, quem communem ferè esse video omnibus iis, qui calculum hunc incautius tractant, subjiciamus adhuc ejus rei exemplum in uno alterove Problemate, è cujus enodatione Lectori constare possit, undenam & quibus criteriis dignoscatur, quid pro quovis semper elemento summando substitui conveniat.*

LI. *Exhibere longitudinem Curvæ Parabolicæ per seriem.* Fig. 4.

Fingamus BCD Curvam esse Parabolam, cujus vertex B, axis BG, latus rectum $\infty\ a$, abscissa BG $\infty\ x$, applicata GD $\infty\ y$, ipsa BCD curva $\infty\ s$; proinde elem. FG vel CH $\infty\ dx$, DH $\infty\ dy$, & CD ($\sqrt{dx^2 + dy^2}$) $\infty\ ds$. Erit ex natura Curvæ $ax \infty yy$; hinc differentiando $adx \infty 2ydy$, quadrandoque $aadx^2$ ($aads^2 - aady^2$) $\infty 4yydy^2$, & facta transpositione $aads^2 \infty aady^2 + 4yydy^2$, extractaque tandem radice $ads \infty dy\sqrt{aa + 4yy}$, quæ quantitas est, de qua summanda agitur. Ad surditatem primò eliminandam pono $\sqrt{aa + 4yy} \infty z - 2y$, fiet $aa \infty zz - 4zy$, & $y \infty \frac{zz - aa}{4z}$; hinc $dy \infty \frac{zz + aa}{4zz} dz$, nec non $\sqrt{aa + 4yy}$ ($z - 2y$) $\infty \frac{zz + aa}{2z}$, adeoque $dy\sqrt{aa + 4yy}$ (ads) $\infty \frac{z^4 + 2aazz + a^4}{8z^3} dz \infty$ (membris separatim positis) $\frac{zdz}{8} + \frac{aadz}{4z} + \frac{a^4dz}{8z^3}$, de quorum nunc summis dispiciendum. Hunc in finem considero relationem, quam habet assumta litera indeterminata z ad ordinatas Curvæ nostræ, eamque ex facta hyp. $\sqrt{aa + 4yy} \infty z - 2y$ cognosco talem esse, ut existente $y \infty 0$, z non pariter evanescat, sed

 sit

sit ꝏ a, & quod crescente y eò fortius crescere debeat z; quapropter extensa concipiatur ipsa z in recta DB fig. 3. à puncto D, & sit prima DA, quæ nascenti y respondet, ꝏ a, ultimaque z, quæ respondet ultimæ y seu applicatæ GD fig. 4. esto DE. Tum fluere intelligatur ab A ad E indefinita recta AK vel EH, æqualis ubique $\frac{zz}{16}$ (integrali scil. puro primi membri $\frac{zdz}{8}$) minimaque adeo in A & ꝏ $\frac{aa}{16}$; sic ipsum fluentis lineæ incrementum fiet $\frac{zdz}{8}$, & omnia incrementa quæ capit linea, dum ex A movetur in E, repræsentabunt omnia $\frac{zdz}{8}$, quæ ordinatis y à minima (o) ad ultimam (GD) ordine respondent, h. e. quæ pertinent ad Curvæ Parabolicæ portionem rectificandam BD (fig. 4.) Constituunt autem omnia illa incrementa, ut liquet, non integram EH ($\frac{zz}{16}$) sed excessum tantum ejus suprà rectam AK ($\frac{aa}{16}$) hoc est, EH — AK seu $\frac{zz-aa}{16}$. Integrale igitur primi membri $\frac{zdz}{8}$, quod huc quadrat, est $\frac{zz-aa}{16}$. Similiter pro integrando tertio membro $\frac{a^4dz}{8z^3}$, fingo z extendi in recta AD fig. 1. à puncto A, primamque quæ nascenti y respondet esse AB ꝏ a, & quæ respondet ultimæ, AD; hinc fluere concipio à B versus D quantitatem $\frac{a^4}{16zz}$, seu integrale purum ipsius $\frac{a^4dz}{8z^3}$, putà rectam BC vel DQ, quæ proin maxima erit in B & ꝏ $\frac{aa}{16}$, indeque versus D decrescet; decrementa itaque, quæ patitur linea BC quousque pervenit in DQ, denotabunt omnia elementa $\frac{a^4dz}{8z^3}$, quæ portioni Curvæ Parabolicæ BD (fig. 4.) respondent: sed omnia illa decrementa, ut apparet, non efficiunt rectam DQ seu $\frac{a^4}{16zz}$, verum potius BC — DQ seu $\frac{aa}{16}$ — $\frac{a^4}{16zz}$; quapropter integrale tertii membri $\frac{a^4dz}{8z^3}$ huc pertinens

ꝏ aa

$= \frac{aa}{16} - \frac{a^4}{16zz}$, ſummaque adeo primi & tertii $(S\frac{zdz}{8} + S\frac{a^4dz}{8z^3})$
$= \frac{zz-aa}{16} + \frac{aa}{16} - \frac{a^4}{16zz} = \frac{z^4-a^4}{16zz}$.

Reſtat intermedium adhuc membrum expediendum $\frac{aadz}{4z}$. Hoc cum abſolutè ſummari nequeat, in ſeriem converto, ponendo prius $z = a + t$, ut denominator fiat bimembris; hinc enim fit $\frac{aadz}{4z}$ $= \frac{aadt}{4a+4t} =$ (per XXXVII) $\frac{adt}{4} - \frac{tdt}{4} + \frac{ttdt}{4a} - \frac{t^3dt}{4aa}$ &c. & facta ſummatione, $S\frac{aadz}{4z} = \frac{at}{4.1} - \frac{tt}{4.2} + \frac{t^3}{4.3a} - \frac{t^4}{4.4aa} + \frac{t^5}{4.5a^3}$ &c. Nota, quod hìc pro quolibet ſeriei termino ſubſtituam ejus integrale purum, quoniam ex æquatione $z = a + t$ colligo, quod exiſtente $z = a$ (hoc eſt $y = 0$) ipſa t, ut & quantitates fluentes omnes, $\frac{at}{4.1}, \frac{tt}{4.2}, \frac{t^3}{4.3a}$ &c. quoque ſint $= 0$, id eſt, quod hæ à 0 fluere ſeu incrementa ſumere occipiant; hinc enim manifeſtè liquet, omnia ipſarum crementa, nempe omnia $\frac{adt}{4}, \frac{tdt}{4}$ &c. ipſis quantitatibus ultimis $\frac{at}{4}, \frac{tt}{4.2}$ &c. æqualia fore. Quod idem quoque, ſi quis examinet, in omnibus præcedentium Propp. exemplis contingere obſervabit, indeque concludet, rectè à nobis factum, quod ibidem inter ſummandum pura ſemper integralia aſſumſerimus, tametſi ejus rei rationem diſertè non adjecerimus. Sed revertamur ad propoſitum: Inventa ſumma medii membri $\frac{aadz}{4z}$, ſi reliquorum ſummæ ſuprà repertæ adjiciantur, emergit ſumma omnium $S\frac{zdz}{8} + S\frac{aadz}{4z} + S\frac{a^4dz}{8z^3}$, hoc eſt, $as = \frac{z^4-a^4}{16zz} + \frac{at}{4.1} - \frac{tt}{4.2}$ $+ \frac{t^3}{4.3a} - \frac{t^4}{4.4aa}$ &c. & facta diviſione per a, longitudo Curvæ s ſeu BD $= \frac{z^4-a^4}{16azz} + \frac{t}{4.1} - \frac{tt}{4.2a} + \frac{t^3}{4.3aa} - \frac{t^4}{4.4a^3}$ &c. quæ denique poſita $a = t = 4$, & $z = a + t = 8$, fit $\frac{15}{16} + 1 - \frac{1}{2} + \frac{1}{3} - \frac{1}{4} + \frac{1}{5}$ &c. unde cum ſit hoc caſu $y = \frac{zz-aa}{4z} = \frac{3}{2}$, & x

$\infty \frac{yy}{a} \infty \frac{9}{16}$, ſequitur, quod exiſtente latere recto Parabolæ 4, & abſciſſa BG $\frac{9}{16}$, aut applicata GD $\frac{3}{2}$, longitudo Curvæ Parabolicæ BD æquetur $\frac{15}{16} + \frac{1}{1} - \frac{1}{2} + \frac{1}{3} - \frac{1}{4} + \frac{1}{5}$ &c.

Coroll. Ex ſerie collata cum XLII. Curvam Parabolicam cum Spatio Hyperbolico inter Aſymptotas comparandi modus innoteſcit. Sufficit monuiſſe.

LII. *Rectificare Curvam Logarithmicam per ſeriem & aliter.* Fig. 6.

Inſiſtat axi SAσ Curva Logarithmica CBκ, cujus ordinata AB $\infty 1$, ſubtangens AK ∞b, alia quævis applicata RE (ϱε) ∞z, ejusque elementum EF (εφ) ∞dz; quæritur rectificatio portionis Curvæ BE (Bε). Quoniam per XLVII. elementum abſciſſæ AR (Aϱ) nempe FG (φγ) $\infty \frac{bdz}{z}$, erit EG² (EF² + FG²) $\infty dz^2 + \frac{bbdz^2}{zz} \infty \frac{zz+bb}{zz} dz^2$, indeque elementum curvæ EG (εγ) $\infty \frac{dz\sqrt{zz+bb}}{z} \infty$ (terminis fractionis per $\sqrt{zz+bb}$ æque-multiplicatis) $\frac{zzdz+bbdz}{z\sqrt{zz+bb}} \infty \frac{zdz}{\sqrt{zz+bb}} + \frac{bbdz}{z\sqrt{zz+bb}}$, de quorum ſummatione hîc quæritur. Prioris membri integrale purum eſt $\sqrt{zz+bb}$, quod (ob primam $z \infty$ AB $\infty 1$) inde à $\sqrt{1+bb}$ decreſcere (creſcere) intelligitur ad usque $\sqrt{zz+bb}$; adeo ut omnia ejus decrementa (incrementa) huc quadrantia, ſeu $S\frac{zdz}{\sqrt{zz+bb}}$ ſint $\infty \sqrt{1+bb} - \sqrt{zz+bb}$ ($\sqrt{zz+bb} - \sqrt{1+bb}$) hoc eſt, æqualia differentiæ duarum in B & E (ε) tangentium rectarum BK & EN (εν). Poſterioris membri $\frac{bbdz}{z\sqrt{zz+bb}}$ integrale, quoniam ita planum non eſt, prævia reductione inveſtigare conor, eaque ſimili huic, qua ſuprà Prop. L. pro Curva Loxodromica fui uſus, cum in elementis analogiam quandam obſervem. Pono itaque primò $z \infty \frac{bb}{p}$, eoque mediante transformo $\frac{bbdz}{z\sqrt{zz+bb}}$ in $\frac{-bdp}{\sqrt{bb+pp}}$; deinde facio $\sqrt{bb+pp} \infty p+q$, ſive $p \infty \frac{bb-qq}{2q}$;

inde-

indeque elicio $\frac{-bdp}{\sqrt{bb+pp}}$ $\left(\frac{bbdz}{z\sqrt{zz+bb}}\right)$ ∞ $\frac{bdq}{q}$, quod per XLVII. elementum esse cognosco abscissæ cujusdam in Logarithmica, quam tandem ita determino: Quoniam p ∞ $\frac{bb-qq}{2q}$, & z ∞ $\frac{bb}{p}$, fiet z ∞ $\frac{2bbq}{bb-qq}$, sicut vicissim q ∞ $\frac{-bb+b\sqrt{zz+bb}}{z}$; & quia prima z ∞ AB ∞ 1, erit quæ huic respondet prima q ∞ $-bb+b\sqrt{1+bb}$. Pro constructione, abscindo in tangente BK partem Kα ∞ KA, in ordinata AB partem BV ∞ Bα, & in V statuo VX parallelam ipsi AK; pari modo in tangente $\nu\varepsilon$ (idem imaginatione supple in NE) sumo νr ∞ $\nu\varrho$, hinc εv ∞ εr, & duco vx parallelam $\nu\varrho$; quo pacto constat fore VX ∞ primæ q ∞ $-bb+b\sqrt{1+bb}$, & vx ∞ ultimæ q ∞ $\frac{-bb+b\sqrt{zz+bb}}{z}$. Quocirca si ambæ VX & vx, vel etiam loco harum sola quarta proportionalis ad VX, vx & AB (quæ sit SC vel $\sigma\varkappa$) applicetur Logarithmicæ, erit intercepta applicatis VX & vx axis portio, vel etiam ipsis AB, SC ($\sigma\varkappa$) interjecta portio AS (Aσ) [ex natura enim curvæ æqualis utrisque intercipietur] ∞ S$\frac{bdq}{q}$, id est, omnibus $\frac{bdq}{q}$, seu omnibus $\frac{bbdz}{z\sqrt{zz+bb}}$ pro portione curvæ BE (Bε) rectificanda inservientibus. Et quoniam posita differentia inter AB & SC ($\sigma\varkappa$) ∞ x, resegmentum axis AS (Aσ) ∞ bx 8 $\frac{bxx}{2}$ + $\frac{bx^3}{3}$ 8 $\frac{bbdz}{z\sqrt{zz+bb}}$ summa etiam per seriem reperta. Additis itaque amborum summis fient omnia EG ($\varepsilon\gamma$) seu longitudo curvæ BE (Bε) ∞ $\sqrt{1+bb}=\sqrt{zz+bb}+bx$ 8 $\frac{bxx}{2}$ + $\frac{bx^3}{3}$ 8 $\frac{bx^4}{4}$ &c. ∞ differentiæ tangentium BK & EN ($\varepsilon\nu$) unà cum resegmento axis AS (Aσ).

Cum non omnes quantitates surdæ, nedum transcendentes, differentialibus admixtæ præcedentibus modis in rationales transformari, inque series converti possint, ad alia subinde nobis artificia recurrendum est ad obtinendum propositum, inter quæ ob universalitatem suam eminent Interpola-

 tiones

tiones Wallisianæ, *vel* Exaltatio binomii ad potestatem indefinitam, *vel* Assumtio seriei fictæ instar quæsitæ, *aut consimilia subsidia alia, quorum pro re nata nunc unum nunc plura in usum verti queunt. Nos pauca eorum specimina post generalia nonnulla in uno alterove exemplo subjungemus.*

LIII. *Quantitatem quamcunque surdam vel irrationalem in seriem infinitam rationalium convertere per interpolationes Wallisianas.*

Reducatur quantitas rationalis, cujus potestas fracta sive radix aut latus quæritur, ad fractionem hujus formæ $\frac{l}{m-n}$ (ponendo $m < n$). Hujus fractionis potestates integræ, prima, secunda, tertia, &c. convertantur ope divisionis continuæ in totidem series, per XXXVI. usque ad XL. Propp. hoc pacto:

Exp.	*Potest.*
0	$1 \infty 1 + 0 + 0 + 0 + 0$ &c.
1	$\frac{l}{m-n} \infty \frac{l}{m} + \frac{ln}{mm} + \frac{lnn}{m^3} + \frac{ln^3}{m^4} + \frac{ln^4}{m^5}$ &c.
2	$\frac{ll}{Q:m-n} \infty \frac{ll}{mm} + \frac{2lln}{m^3} + \frac{3llnn}{m^4} + \frac{4lln^3}{m^5} + \frac{5lln^4}{m^6}$ &c.
3	$\frac{l^3}{C:m-n} \infty \frac{l^3}{m^3} + \frac{3l^3n}{m^4} + \frac{6l^3nn}{m^5} + \frac{10l^3n^3}{m^6} + \frac{15l^3n^4}{m^7}$ &c.
4	$\frac{l^4}{Bq:m-n} \infty \frac{l^4}{m^4} + \frac{4l^4n}{m^5} + \frac{10l^4nn}{m^6} + \frac{20l^4n^3}{m^7} + \frac{35l^4n^4}{m^8}$ &c.

In his seriebus observabis, coëfficientes primorum terminorum constituere unitates, coëfficientes secundorum numeros laterales, tertiorum trigonales, quartorum pyramidales, & sic porrò; terminos verò puros ordine oriri ex ductu fractionis $\frac{l}{m}$ (ad potestatem elevatæ similem ei ad quam elevanda fractio $\frac{l}{m-n}$) in 1, $\frac{n}{m}$, $\frac{nn}{mm}$, $\frac{n^3}{m^3}$, &c. Hinc ad inveniendas potestates intermedias sive radices (ceu media quædam geometrica, quorum exponentes sunt arithmeticè medii inter exponentes integrorum) numeri terminorum figurati tantum sunt interpolandi juxta doctrinam Wallisii Prop.

Prop. 172. ſeqq. Arithm. Infin. Eſt vero, poſito exponente vel indice poteſtatis p, generalis character lateralium quoque p, trigonalium $\frac{p \cdot p+1}{1.2}$, pyramidalium $\frac{p \cdot p+1 \cdot p+2}{1.2.3}$, &c. ut ibid. docetur Prop. 182. Quare ſi p interpreteris per $\frac{1}{2}$, invenies poteſtatem dimidiam quantitatis $\frac{l}{m-n}$, nempe $\sqrt{\frac{l}{m-n}} \infty \sqrt{\frac{l}{m}}$ in $\overline{1 + \frac{1n}{2m} + \frac{1.3nn}{2.4mm} + \frac{1.3.5n3}{2.4.6m3} + \frac{1.3.5.7n4}{2.4.6.8m4} + \&c.}$ ſi p explices per $\frac{1}{3}$, habebis trientem poteſtatis ſeu $\sqrt{C.\frac{l}{m-n}} \infty \sqrt{C.\frac{l}{m}}$ in $\overline{1 + \frac{1n}{3m} + \frac{1.4nn}{3.6mm} + \frac{1.4.7n3}{3.6.9m3} + \frac{1.4.7.10n4}{3.6.9.12m4} + \&c.}$ ſi per $\frac{3}{2}$, obtinebis ſeſquialteram poteſtatem ſeu $\frac{l}{m-n}\sqrt{\frac{l}{m-n}} \infty \frac{l}{m}\sqrt{\frac{l}{m}}$ in $\overline{1 + \frac{3n}{2m} + \frac{3.5nn}{2.4mm} + \frac{3.5.7n3}{2.4.6m3} + \frac{3.5.7.9n4}{2.4.6.8m4} + \&c.}$ &c.

Coroll. Quoniam poſitis l, m & n æqualibus inter ſe, fit quantitas $\frac{l}{m-n} \infty \frac{l}{0} \infty \infty$, ſeries autem prædictæ abeunt in ſeries purorum coëfficientium $1 + \frac{1}{2} + \frac{1.3}{2.4} + \frac{1.3.5}{2.4.6}$ &c. $1 + \frac{1}{3} + \frac{1.4}{3.6} + \frac{1.4.7}{3.6.9}$ &c. $1 + \frac{3}{2} + \frac{3.5}{2.4} + \frac{3.5.7}{2.4.6}$ &c. colligimus, ſeries ejusmodi natas ex ductu continuo fractionum, quarum numeratores & denominatores in progreſſ. arithm. per differentias primo denominatori æquales inſurgunt, ſummas fundere infinitas; quod apertius ita conſtabit: Minue numeratores, eosque æquales conſtitue denominatoribus ſingulos ſingulis, nempe ſecundum numeratorem primo denominatori, tertium ſecundo, 4um 3^{tio}, & ita deinceps; ſic enim ex. gr. loco primæ ſeriei habebis $1 + \frac{1}{2} + \frac{1.2}{2.4} + \frac{1.2.4}{2.4.6} + \frac{1.2.4.6}{2.4.6.8}$ &c. ∞ (perimentibus ſe mutuo dictis numeris) $1 + \frac{1}{2} + \frac{1}{4} + \frac{1}{6} + \frac{1}{8}$ &c. $\infty \infty$, per Cor. 2. XVI, unde fortius altera $1 + \frac{1}{2} + \frac{1.3}{2.4} + \frac{1.3.5}{2.4.6}$ &c. ob numeratores majores infinita erit. Cæterùm poſtremus terminus cujusque ſeriei nunc nullus eſt nunc infinitus, prout exponens poteſtatis p, vel prima ſeriei fractio, unitate minor eſt majorve: Sic

ultimus

ultimus terminus primæ ſeriei $\frac{1.3.5.7}{2.4.6.8}$ &c. nullus eſt; nam ſi quantus eſſet, etiam hic foret quantus $\frac{2.4.6.8}{3.5.7.9}$ &c. utpote cujus ſinguli factores ſingulis factoribus præcedentis termini ordine ſumtis ſunt majores; quare & utriusque productum quantum foret, np. $\frac{1.3.5.7}{2.4.6.8}$ in $\frac{2.4.6.8}{3.5.7.9}$ &c. ∞ (permiſtis alternatim utriusque factoribus) $\frac{1.2.3.4.5\ldots\ldots\infty-1}{2.3.4.5.6\ldots\ldots\infty}$ ∞ (ob numeratores omnes primum ſequentes, & denominatores ultimum præcedentes ſe mutuò perimentes) $\frac{1}{\infty}$ ∞ o, quod abſurdum. Ultimus contra terminus tertiæ ſeriei $\frac{3.5.7.9}{2.4.6.8}$ &c. infinitus eſt; nam ſi finitus eſſet, etiam hic foret finitus $\frac{4.6.8.10}{3.5.7.9}$ &c. utpote cujus ſinguli factores ſingulis illius ſunt minores; quocirca & utriusque productum finitum foret, nempe $\frac{3.5.7}{2.4.6}$ &c. in $\frac{4.6.8}{3.5.7}$ &c. ∞ $\frac{3.4.5.6\ldots\infty}{2.3.4.5\ldots\infty-1}$ ∞ (deſtruentibus ſe mutuo numeratoribus qui ultimum præcedunt, & denominatoribus qui primum ſequuntur) $\frac{\infty}{2}$ ∞ ∞, quod pariter abſurdum.

L I V. *Idem præſtare per exaltationem binomii ad poteſtatem indefinitam.*

Quantitas rationalis, cujus poteſtas per ſeriem deſideratur, ſit expreſſa per binomium $1+n$ (ponendo $1>n$). Hujus binomii poteſtas indefinita p, ut jam paſſim inter Geometras notum, per ſeriem exprimitur $1+\frac{p}{1}n+\frac{p.p-1}{1.2}nn+\frac{p.p-1.p-2}{1.2.3}n^3+\frac{p.p-1.p-2.p-3}{1.2.3.4}n^4$ + &c. ubi perſpicuum eſt, quod quotiescunque exponens poteſtatis p eſt numerus integer & poſitivus, ſeries neceſſariò aliquando abrumpetur; quandoquidem in continuatione ulteriori coëfficientium $p.p-1.p-2.$ &c. neceſſariò tandem devenietur ad $p-p$ ∞ o; quod proin illum terminum & ab illo deinceps omnes evaneſcere facit. Sed quoties p numerus fractus eſt aut negativus, coëfficientes nunquam in nihilum abibunt, ac ideò ſeries in infinitum excurret: qua ratione habetur ex. gr. $\sqrt{1+n}$ (ubi p valet $\frac{1}{2}$) ∞

1 +

$1 + \frac{1}{2}n - \frac{1}{2.4}nn + \frac{1.3}{2.4.6}n^3 - \frac{1.3.5}{2.4.6.8}n^4 +$ &c. & $\sqrt{C.\,1+n}$ (ubi p valet $\frac{1}{3}$) ∞ $1 + \frac{1}{3}n - \frac{2}{3.6}nn + \frac{2.5}{3.6.9}n^3 - \frac{2.5.8}{3.6.9.12}n^4$ &c. & $\frac{1}{\sqrt{1+n}}$ (ubi p notat $-\frac{1}{2}$) ∞ $1 - \frac{1}{2}n + \frac{1.3}{2.4}nn - \frac{1.3.5}{2.4.6}n^3 + \frac{1.3.5.7}{2.4.6.8}n^4 -$ &c. & pariter in cæteris.

Nota, quòd exaltatio binomii ad poteſtatem indefinitam & interpolationis negotium revpſe in idem recidunt, unoque & eodem nituntur fundamento, quod conſiſtit in proprietate quadam numerorum figuratorum ſupra jam prælibata Propoſ. XIX. ſed cujus demonſtrationem, ne hîc nimii ſimus, in aliam occaſionem reſervamus.

LV. *Duarum quantitatum indeterminatarum relationem unius ad alteram per ſeriem exprimere, ope aſſumtæ ſeriei fictæ inſtar quæſitæ.*

Ponatur alterutra indeterminatarum x & y, quarum relatio ad ſe invicem quæritur, putà y, æquari ſeriei $a + bx + cxx + ex^3 + fx^4$, &c. aut $a + bxx + cx^4 + ex^6$, &c. aut $a + bx^4 + cx^8 + ex^{12}$, &c. aut ſimili, prout opus videbitur; atque tum in quantitate vel æquatione propoſita loco y ſubſtituatur hæc ſeries, nec non loco dy & ddy, &c. ſeriei differentiale aut differentio-differentiale, &c. quo facto ex comparatione homologorum terminorum determinari poterunt aſſumti coëfficientes a, b, c, &c. Sequuntur Exempla:

LVI. *Invenire relationem coordinatarum Curvæ Elaſticæ per ſeriem.* Fig. 7.

Flectatur Elater in curvaturam AQR à potentia applicata in A, & trahente juxta directionem AZ; ſitque AB vel $RZ \infty a$, AE vel $PQ \infty x$, AP vel $EQ \infty y$, & $AQ \infty z$; oſtenſum eſt in Act. Lipſ. 1694. p. 272. & 1695. p. 538. naturam hujus curvæ exprimi æquatione $dy \infty \frac{xxdx}{\sqrt{a^4 - x^4}}$, è qua qui methodo Diophanti, qua in præced. part. uſi fuimus, irrationalitatem tollere vellet, ætatem conſumeret; cum deprehenſum ſit à Geometris, ſummam vel differentiam duorum biquadratorum, qualis eſt $a^4 - x^4$, nunquam poſſe conſtituere quadratum:

dratum: Quare nobis confugiendum eſt vel ad Interpolationes, vel ad indefinitam Potentiam binomii, hoc pacto:

1. *Mod.* Interpretemur x^4 tam per l, quàm per n, & a^4 per m; erit $\frac{x^4}{a^4-x^4} \infty \frac{l}{m-n}$; unde per LIII habetur $\sqrt{\frac{l}{m-n}}$, id eſt, $\sqrt{\frac{x^4}{a^4-x^4}}$ aut $\frac{xx}{\sqrt{a^4-x^4}} \infty \frac{xx}{aa} + \frac{1x^6}{2a^6} + \frac{1.3x^{10}}{2.4a^{10}} + \frac{1.3.5x^{14}}{2.4.6a^{14}} +$ &c. & (facta multiplicatione per dx) $\frac{xxdx}{\sqrt{a^4-x^4}}$ ſeu $dy \infty \frac{xxdx}{aa} + \frac{1x^6dx}{2a^6} + \frac{1.3x^{10}dx}{2.4a^{10}} + \frac{1.3.5x^{14}dx}{2.4.6a^{14}}$ &c. & denique ſummando, AP ſeu $y \infty \frac{x^3}{3aa} + \frac{1x^7}{2.7a^6} + \frac{1.3x^{11}}{2.4.11a^{10}} + \frac{1.3.5x^{15}}{2.4.6.15a^{14}} +$ &c.

2. *Mod.* Explicemus nunc a per 1, & $-x^4$ per n; erit $a^4-x^4 \infty 1+n$, & $\frac{1}{\sqrt{a^4-x^4}} \infty \frac{1}{\sqrt{1+n}}$: unde per LIV. fit $\frac{1}{\sqrt{1+n}}$ ſeu $\frac{1}{\sqrt{a^4-x^4}} \infty 1 + \frac{1}{2}x^4 + \frac{1.3}{2.4}x^8 + \frac{1.3.5}{2.4.6}x^{12} +$ &c. & (multiplicand. per $xxdx$) $\frac{xxdx}{\sqrt{a^4-x^4}} \infty xxdx + \frac{1}{2}x^6dx + \frac{1.3}{2.4}x^{10}dx + \frac{1.3.5}{2.4.6}x^{14}dx$ + &c. & integrando, $\frac{1}{3}x^3 + \frac{1}{2.7}x^7 + \frac{1.3}{2.4.11}x^{11} + \frac{1.3.5}{2.4.6.15}x^{15}$ + &c. ſeu denique ſupplendo unitatem, $\frac{x^3}{3aa} + \frac{1x^7}{2.7a^6} + \frac{1.3x^{11}}{2.4.11a^{10}} + \frac{1.3.5x^{15}}{2.4.6.15a^{14}} +$ &c. ut anteà.

Coroll. Sumta $x \infty a \infty 1$, fit tota $AZ \infty \frac{1}{3} + \frac{1}{2.7} + \frac{1.3}{2.4.11} + \frac{1.3.5}{2.4.6.15} +$ &c. Conf. Act. Lipſ. 1694. p. 274. & 369.

LVII. *Rectificare eandem Curvam ſeriem.* Fig. 7.

